
3 1761 07833896 9

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SACRÆ CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ conſentanee ad Tridentinorum PP. Decreta, aliaſque Canonici Juris Sanctiones,

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM S. CONGREGATIONIS

OBEUNTE

R.^MO P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In Cauſis ſub anno 1758 propoſitis

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprime utilis, & neceſſarius.

TOMUS XXVII.


DUPLICI INDICE
LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLVIII.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI

SUPERIORUM FACULTATE.



INDEX
TITULORUM CAUSARUM,
QUÆ IN SACRA CONGREGATIONE
Anno 1758. *fuerunt proposita*.

Mar-

Dic

Die Sabbathi 14. Januarii 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SARSINATEN. PROCESSIONUM. *In Congregatione* habita *die* 19. tranſacti menſis *Novembris* Cauſa hæc *dilationem* obtinuit *ad hanc Congregationem*: Eam itaque hic damus, ut ejus Dubium nunc expediatur. *Seſſ. 25. c. 13. de Regul.*

An liceat Parochis Glageoli, & Linarii explere Proceſſionem Sanctiſſimi Corporis Chriſti die ejuſdem ſolemnitatis privativè quoad Archipresbyterum Rivoſchi, & Plebanum Sancti Romani, ſeu potius hæc die dicta privativè ſpectet ad dictos Archipresbyterum, & Plebanum, aut ſaltem cumulativè in caſu &c.

Licere omnibus cumulativè.

HORTANA BENEFICII, SEU CAPPELLANIÆ: Definita fuit hæc Cauſa in eadem *Congregatione* habita *die* 19. tranſacti menſis *Novembris*, Dubioque ejus, quod erat: *An Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, ſeu potius unio ſubſtineatur in caſu &c.*: Reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam*. Redit nunc ad novum eorum Judicium, ut cognoſcendum ſit. *Seſſ. 25. c. 9. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

NOLANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Hæc quoque Cauſa definita fuit in eadem *Congregatione diei* 19. *Novembris* Dubioque ejus - *An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.*: reſponſum fuit -- *Affirmativè*. Reproponitur nunc, ut impleatur forma Conſtitutionis SACRATISSIMI PRINCIPIS NOSTRI, & expediendum Dubium. *Seſs. 25. c. 19. de Regul.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata ad primam poſt Cineres.

Sess.24. c.8. de Ref.Matr.

PIENTINA, SEU MONTIS POLITIANI SEPARATIONIS THORI. Species omnis hujus Causæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 21. superioris mensis *Maii*. Rescripserunt ea die Eminentissimi Patres -- *Dilata*, *&* *ad mentem*. Nunc igitur, impleta jam mente, reproponitur, & expediendum erit Dubium.

An substineantur Censuræ, seu potius sit locus separationi Thori in casu &c.

Transmittantur acta Curiæ Pientinæ, & scribatur Nuncio Apostolico, & Episcopis Pientino, & Montis Politiani, & interim coadjuventur probationes super prætensis servitiis.

Sess.24. c.12. de Ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI. Proposita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 17. transacti mensis *Septembris*, & frustra dilationem alteram petente Præposito Centoflorinio, Eminentissimi Patres Tria ejus Dubia definiverunt. Dubia hæc erant. I. *An Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur interesse divinis officiis in Choro unà cum cæteris Canonicis, & Dignitatibus quotidie, seu potius diebus tantùm festivis, & de præcepto, itaut sit standum, vel recedendum a Decreto de anno* 1722.? & quatenus affirmativè ad primam partem. II. *An, & a qua die, & in qua summa teneatur solvere fallentias pro tempore præterito*? III. *An, & quam summam teneatur deponere in casu, quo debeat interesse solis diebus Festivis, & de Præcepto in casu &c.* His responsum fuit -- *Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad II. Affirmativè a die motæ litis pro tertia parte reddit
uum. Ad III. Provisum in primo*. Postulavit Præpositus *Audiri*, & nunc respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro informatione, & præsertim super qualitate, & quantitate reddituum Præposituræ.

Sess.24. c.12. de Ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI SUPER COMPULSORIA, ET REMISSORIA. Postulante Archipresbytero Clemente Politi Compulsoriam, & Remissoriam, ut probare posset veros redditus Beneficiorum, quæ possidet, Eminentissimi Patres in *Congregatione* habita *die* 9. transacti mensis *Julii* honestam petitionem censentes responderunt -- *Concedendas esse literas Compulsoriales, & Remissoriales*. Audiri contra hanc concessionem postulavit Præpositus Centoflorinius, propositoque in *Congregatione* habita *die* 20. sequentis mensis *Augusti* Dubio -- *An sit standum, vel recedendum a decisis super concessione literarum*

Com-

Compulsorialium; & *Remissorialium in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *In decisis, non omisso interim servitio quotidiano.* Displicuit hæc conditio Archipresbytero Politi, qui censuit ea definiri quæstionem, antequam fierent probationes, ideoque postulavit audiri adversus eam, & nunc respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in secunda parte Decreti in casu &c.

Iterum proponatur.

JACEN. Consuetudo est in pluribus Hispaniarum Diœcesibus, & præsertim Toletana Compostellana, & Jacensi, quam plura Provincialia Concilia approbarunt; sed quam neque improbat, neque approbat SACRATISSIMUS PRINCEPS NOSTER in aureo suo opere *de Synod. Diœces. lib.*4. *cap.*7. *num.*11., damnavit verò Sacra hæc Congregatio *in Abulen.*, quam refert *Garzia*, ut in omnibus Beneficiis curam animarum adnexam habentibus, quæ per concursum conferuntur, quilibet provisus solvere teneatur certam pecuniarum quantitatem tam Examinatoribus Synodalibus, quàm Curiæ Episcopalis Officialibus, sive nomine stipendii, sive largitatis. Quantitas hæc in Diœcesi Jacensi est librarum 145., & solidorum quatuor: ex his capiunt Examinatores Synodales octo solidos, qui faciunt obulos quadraginta monetæ Romanæ. Qui verò Jacensi Ecclesiæ ultimo loco præfuit Episcopus legem condidit, qua statuit, ut, vacantibus pluribus Ecclesiis Parochialibus, unicum fieret examen concurrentium protracto solum longius ab Examinatoribus examine, sed nihil detrahendo de taxa, quæ solvi deberet a Provisis, ac si non unum, sed plures essent concursus, plura examina. Indicto igitur uno ex his concursibus ad plures vacantes Parochiales Ecclesias, Provisus fuit inter alios Sacerdos Antonius la Forcada, qui solventibus aliis Provisis, seu ut vocant Oppositoribus, taxatam quantitatem unus solvere renuit, vetante Tridentino Examinatores quicquam accipere. Officialibus Curiæ Episcopalis debitum esse stipendium fatebatur, sed pro virili dividendum esse inter Oppositores, non veró integrè a singulis esse præstandum, deposuitque integram summam, protestatione emissa se aditurum Judices; Inde facta partiali consignatione depositi preces obtulit Sacro huic Tribunali, a quo auditus qui nunc Ecclesiæ Jacensi præest, vetustissimam esse respondit consuetudinem, quæ si forte tollatur, periculum esse, ne unus quidem reperiatur, qui velit Examinatoris Synodalis munus subire. *Sess.*24.*c.*18. *de Ref.*

Causa nunc proponitur, & disputat Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis servandam esse consuetudinem, quæ Tridentini dispositioni

sitioni non adversatur, cum Tridentinum prospicere voluerit, ne symoniæ vitio locus esset; hic autem præstetur quantitas taxata largitionis nomine, vel stipendii titulo: Abesse symoniam, cum absit pactum præcedens, & ideo id probatum fuisse a Conciliis Provincialibus, & consuetudinem hanc servandam esse defendant magni nominis Doctores *Petr. Navarr. de restitut. lib.2. cap.2. n.188. Barbos. de offic. & potest. Episcop. par.3. allegat.60. num.53. Ledesm. in summ. par.2. tract.7. cap.1. conclus.7. prope fin. circa 13. difficultatem Castropalao tom.1. tractat.17. sub num.5. §. Verum. Zerol. in Praxi Episcop. par.1. Verbo Parochia §.2. dub.13.* aliique. Hinc frustra peti a Parocho la Forcada restitutionem depositi, cum ea, quam ipse vellet, virilis distributio stipendii Officialium Curiæ Episcopalis inter Oppositores, locum habere non possit, quia unicum esse examen constitutum quidem fuerit lege præcedentii Episcopi Jacensis gratia concurrentium, non verò in detrimentum Examinatorum Synodalium, & Officialium Curiæ Episcopalis, quibus auctus fuit labor, & ideo expressè declaratum fuerit, abesse omne eorum damnum, quod ut absit, necesse sit in uno concursu unoque examine, plures esse considerandos concursus, plura examina. Hæc atque alia Promotor Fiscalis. A Parocho la Forcada nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An, & quæ emolumenta debeantur occasione examinis in concursu, & collationis Ecclesiarum Parochialium in casu &c.*

II. *An, & quæ emolumenta sint restituenda in casu &c.*

Ad I. Quoad Præsides, & Examinatores negativè: In reliquis ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem. Ad II. Ad eumdem Eminentissimum Præfectum.

IMOLEN. MEDIÆ ANNATÆ. Duabus a san. mem. Clemente XII. anno 1733. erectis in Terra Lugi Ecclesiis Collegiatis tot tantæque inter earum Capitula ortæ fuerunt controversiæ, ut ad eas componendas SACRATISSIMUS PRINCEPS NOSTER motu suo proprio lato anno 1741. duo illa Capitula in unum unire debuerit sub titulo SS. Petronii, & Prosperi, atque ita controversiæ omnes sopitæ fuerunt; iis tamen ardentibus Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Imolensis exegit a Provisis de Beneficiis in una, vel altera ex iisdem Collegiatis Ecclesiis *mediam annatam*, licèt aliquando deposita fuerit, donec alii cautiores annis 1752., & 1753. eam deposuerunt sub expressa protestatione, ut Capitulo Collegiatæ solvi deberet. Verum, cum ob contradictionem Capituli Cathedralis exigi non posset, ideo Capitulum Collegiatæ preces obtulit SACRATISSIMO PRINCIPI NOSTRO, quibus postulabat, ut Cathedralis Capitulum

pitulum damnaretur ad restituendum quidquid *ex mediis annatis* perceperat a die erectionis duarum Ecclesiarum Collegiatarum factæ a san. mem. Clemente XII., dataque causæ hujus cognitione Amplissimis Patribus, auditus fuit, ut moris est, Episcopus, qui contra Capitulum Cathedralis respondit. Causa igitur nunc duobus distincta Capitibus proponitur.

Disputat igitur Capitulum Collegiatæ non potuisse a Capitulo Cathedralis, neque posse exigi *medias annatas* a Provisis de Beneficiis in una, vel alia Collegiata tunc temporis divisa, & inde in unum Capitulum unita ob apertissimam dispositionem Constitutionis Benedictinæ, quæ impressa est *in Append. ad Concil. Rom. num.*24., quam frustra evadere putat Capitulum Cathedralis excipiens eam habere locum in Collegiatis jam existentibus, non verò in iis, quæ inde erectæ fuerunt, atque erigantur, cum hanc distinctionem non patiatur natura legis generalis, causa finalis legis, quæ cum sit, ut sarta tecta serventur ædificia Ecclesiarum Collegiatarum, utrisque convenit, & iis, quæ aderant, & iis, quæ post Constitutionem erectæ sunt, exempla denique aliarum Collegiatarum, quæ inde erectæ fuerunt. Hinc teneri Capitulum Cathedralis restituere quidquid hoc nomine percepit, neque juvari posse bona fide, nam quæ depositæ fuerunt *mediæ annatæ* nunquam in dominium Capituli translatæ sunt, sed in dominio sint Ecclesiæ Collegiatæ, quæ verò exactæ, & consumptæ fuerunt, mala non bona fide exactas, & consumptas fuisse. Cum enim Capitulum Cathedralis eas exegerit jure legis Benedictinæ, ignorare non poterat spectare ad Collegiatas, cum in ipsa lege expressum id sit apertissimè. Hæc Capitulum Collegiatæ Lugi. A Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Imolæ nihil habuimus. Causæ Capita sunt.

I. *An media annata Beneficiorum, de quibus agitur, spectet ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Imolæ, seu potius ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi Terræ Lugi in casu &c.?* & quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam.

II. *An, & a qua die teneatur Capitulum Cathedralis restituere Capitulo Collegiatæ medias annatas in præteritum perceptas in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad II. Teneri a die erectionis utriusque Collegiatæ.

NUL-

Sess. 24. c. 5. de Ref. Matr.

NULLIUS SANCTI BENIGNI NULLITATIS MATRIMONII. Secundas nuptias contraxerunt bona fide, & coram Ecclesia duo vidui Joseph Barone, & Joanna Catharina Betasta, sed post paucos a contracto matrimonio dies rumor ortus est in Oppido Montanarii utriusque Conjugis Patria, eos affinitate conjunctos esse, ideoque Promotor Fiscalis Curiæ Abbatialis postulavit, ut Conjuges separarentur. Separati Conjuges subjecti fuerunt Fiscalibus interrogationibus, & ex eorum responsis compertum fuit conjunctos esse in quarto gradu affinitatis. Verùm, quia facilè apparuit eos ignoranter, & bona fide matrimonium contraxisse, remissa fuit pœna, & ipse Fiscus assensum præstitit, ut Civile Judicium nullitatis matrimonii instrueretur. Eminentissimus igitur Abbas illud legitimari mandavit, citato auditoque *defensore matrimonii*, qui excepit conjugum confessiones, utpote de collusione suspectas, non esse spectandas. Joseph Barone Apostolica dispensatione matrimonium validari volebat, sed obstitit Joanna Catharina, quæ ad probandum impedimentum dirimens edidit testes, & fides matrimoniorum, & baptismatum ascendentium. Collatis igitur fidibus cum libris Parochialibus, & examinatis duobus testibus Sacerdotibus, longævis, & quorum alter affinis etiam est, de impedimento dirimente plenissimè constitit, ideoque Eminentissimus Abbas sententiam tulit nullitatis matrimonii contracti, & libertatis utriusque contrahendi alias nuptias.

Appellavit *defensor matrimonii*, sed inopia Contrahentium obstabat, ne prosequeretur appellatio, frustra ipsis petentibus, ut Causæ notio *alteri in partibus per Breve* committeretur. Promotor itaque Fiscalis Curiæ Abbatialis, ut exorta scandala removeret, rē egit sumptibus Curiæ, obtulitque preces SACRATISSIMO PRINCIPI NOSTRO, a quo causæ cognitio data fuit S. huic Tribunali. Actorum exemplar transmissum fuit, auditus Eminentissimus Abbas, præfixus terminus viro, & mulieri ad jura sua deducenda; nec quicquam tamen, obstante semper inopia, ex qua fit, ut causam susceperit, defendatque idem Promotor Fiscalis, qui urget dubitandum non esse de nullitate matrimonii contracti inter affines in quarto gradu ex aperta sanctione Innocentii III. *in cap. non debet de consang. & affin.*; dubitandum quoque non esse de affinitate in eo gradu, cum constet non solum ex confessione conjugum, sed ex testibus, & ex fidibus matrimoniorum, & baptismatum ascendentium; neque excipiendum esse, ut excipiebat *Defensor matrimonii* paucos esse duos testes, quia in quacumque re satis sint testes duo, præsertim Sacerdotes, quique confirmantur a matrimoniorum, & bapismatum fidibus. Hæc Promotor Fiscalis Curiæ Abbatialis. A *Defensore matrimonii* nihil habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes, & extrahantur fides Baptismatum, & Matrimoniorum.

Die

Die Sabbathi 28. Januarii 1758. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA. Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habita *die* 21. *Maii* anno nuper transacto. Duo erant ejus Capita. I. *An sit approbanda concordia in casu &c.* II. *An, & in qua summa sint assignandæ dotes pro filiabus Oratoris in casu &c.* -- Responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Negativè. Ad II. Assignandas esse dotes scutorum mille pro qualibet* -- Redit nunc Antamorius ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & cognoscendum erit. *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius in utroque.

MONTIS ALTI VISITATIONIS. Definita fuit ab Eminentissimis Patribus hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 19. transacti mensis *Novembris*, Dubioque ejus, quod erat: *An Cappella publicorum Carcerum Civitatis Montis Alti posita subtus Palatium Apostolicum Præsidis sit subjecta Visitationi, & Jurisdictioni Episcopi ejusdem Civitatis in casu &c.* -- responderunt -- *Affirmativè*. Reproponitur nunc, ut definiatur. *Sess. 22. c. 8. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

BAREN. Post plures moras expedita tandem fuerunt in *Congregatione* habita *die* 3. transacti mensis *Decembris* XIII. hujus Causæ Dubia, adjecta clausula, *& amplius* excepto Dubio X., quod erat -- *An emolumenta pro administratione Sacramentorum, aliarumque functionum ad curam animarum spectan. percipi debeant ab Archipresbytero, seu potius constet de contraria consuetudine,* *Sess. 23. c. 13. & 14. de Ref.*

eaque

eaque sit servanda in casu &c. -- cuique responsum fuit -- *affirmativè ad primam partem*, *& negativè ad secundam*. Nunc igitur, ut Causa universa finem habeat, Eminentissimi Patres respondere debent.

An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad X. Dubium in casu &c.

In decisis quoad emolumenta stolæ tantum, & amplius.

Sess. 24. c. 9. de ref.

CAPUANA, SEU CALVEN. MATRIMONII: Proposita fuit hæc Causa, & definita in eadem *Congregatione* habita *die* 3. transacti mensis *Decembris*, Dubioque ejus, quod erat -- *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.* -- responderunt Eminentissimi Patres -- *affirmativè*. Expediri nunc eam postulat Borellius, ideoque cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

TERRACINEN. UTENSILIUM. In Ecclesia Cathedrali Terracinæ plures erectæ sunt Cappellaniæ, Rectores autem earum, a quibus sacra aguntur, recusant Sacrario Ecclesiæ solvere Utensilia, quæ ab eodem Sacrario præstantur, licèt id ab Episcopo in Visitatione decretum fuerit, data ipsis optione; ut si solvere nolint *proprias candelas*, *vinum*, *& paramenta secum afferant*. Capitulum igitur venit ad hoc Sacrum Tribunal, ut ejus auctoritate Cappellani solvere compellantur, auditoque jam Episcopo, disputat nunc Capitulum rem esse perspectissimam, ut pro Utensilibus taxa sit solvenda; Taxam verò pluries ab hoc Sacro Tribunali constitutam fuisse pro sacris quotidianis in sc. 6. vel in sc. 4., pro aliis sacris manualibus in sc. 1. pro quolibet centenario, ut apud *Piton. de controv. patron. alleg.* 54. *n.* 46., *& Monacell. in formul. supplement. ad tom.* 3. *num.* 179.; solutionem verò hanc faciendam esse a Cappellanis pro tempore præterito, ut sarciatur damnum ab ipsis illatum Sacrario. Hæc Capitulum: A Cappellanis nihil habuimus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An debeantur utensilia in casu &c.*? Et quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur*?

Dilata ad primam post Cineres.

MON-

MONTIS PELUSII, SEU HIERACEN. SPOLII. Postquam Episcopus Cæsar Rubeus undecim annis Ecclesiæ Montis Pelusii præerat, translatus fuit ad Ecclesiam Hieracensem, & repertorium, seu inventarium fecit rerum, bonorumque omnium, quæ secum tulit. Evenit hæc translatio anno 1750. evectus inde fuit ad honorem Episcopi assistentis Solio Pontificio. Decessit verò anno 1755., & testamento hæredem scripsit matrem, fratresque, quibus etiam nonnulla prælegavit: In bonis autem quæsitis ex redditibus Ecclesiasticis utramque Ecclesiam scripsit hæredem, Hieracensem nempe, & Montis Pelusii, huic etiam prælegavit argenta, dato onere ea convertendi in argenteam imaginem S. Euphemiæ. Plura etiam dedit legata, de quibus nihil attinet dicere: Morte obita ab eo Capitulum Ecclesiæ Montis Pelusii revocabat a Capitulo Hieracensi bona omnia descripta in repertorio, seu inventario tamquam, Episcopo defuncto, quæsita ex redditibus primæ Ecclesiæ. Obstitit Capitulum Hieracense, & obstiterunt hæredes. Hinc controversia ad hoc Sacrum Tribunal delata est, Causaque, audito jam novo Episcopo Hieracensi, nunc proponitur. Declarat autem Capitulum Montis Pelusii nullam hæredibus movere quæstionem de bonis Patrimonialibus, rem esse de bonis quæsitis ex redditibus Ecclesiasticis. Sess.22. c.11. de ref.

Disputat igitur testamentariam dispositionem, qua utraque Ecclesia prima nempe, & secunda hæres scripta fuit viribus non subsistere, quod sacri Canones testamenti factionem adimant Episcopis in bonis Ecclesiasticis, idque, etiamsi favore piæ Causæ testentur, quod si etiam favore utriusque Ecclesiæ Episcopus ille testari potuisset, irritum tamen fuisse testamentum, quia unaquæque Ecclesia hæres scripta non fuit in bonis Episcopo quæsitis ab unaquaque ipsarum, ideoque cum longe superent bona, quæ ipse ex redditibus primæ Ecclesiæ quæsiverat, testamentum substineri non possit in detrimentum Ecclesiæ Montis Pelusii. Ex his consequi, ut onus ab Episcopo adjectum prælegato facto eidem Ecclesiæ pro non scripto habendum sit, & prælegata data matri, fratrique pro non scriptis pariter sint habenda: Dispositionem quoque, quam idem testator fecit uti Episcopus Pontificio Solio assistens effectum habere posse censet in iis dumtaxat bonis, quæ proveniunt ex redditibus secundæ Ecclesiæ, quia honorem illum testator accepit post translationem, & indultum testandi ad pias causas de ducatis mille auri de Camera accipiendum sit sine detrimento juris tertio quæsiti, quod Summus Pontifex nulli auferre censetur, prout in actu translationis jus quæsitum fuerat Ecclesiæ Montis Pelusii: Concludendum igitur esse, ut quæ bona patrimonialia sunt ad hæredes spectent, comparata verò ex redditibus Ecclesiasticis primæ Ecclesiæ, ut etiam credita quæcumque, quæ ante translationem habebat, ad *primam* spectent *Ecclesiam*, quæ denique comparata sunt ex redditibus *secundæ*, spectent ad *secundam*, non autem ex æquo inter *primam*, *vel secundam* Ecclesiam dividenda esse, ut

voluit testator, ita enim in hac vexatissima Doctorum opinionibus quæstione definitum fuisse ab hoc Sacro Tribunali in cognitissimis Causis *Svessana . seu Cathacen. Spolii* 18. *Sept.* 1709. *&* 25. *Januarii* 1710., *& Trivicana , seu Tricaricen.* 6. *Julii* 1726., *& Acerrarum , seu Matheranen. Spolii* 3. *Januar.* 1735. Hæc atque alia Capitulum Montis Pelusii . A Capitulo Hieracensi , atque hæredibus nihil habuimus . Duo sunt Causæ Capita .

I. *An , & quomodo Testamentum bon.mem. Episcopi de Rubeis Montis Pelusii , deinde Hieracen. substineatur in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit distribuenda illius hæreditas in casu &c.*

Non proposita .

Sess.21.c.7. de Ref.

URBEVETANA JURISDICTIONIS . Splendidissimum Urbevetanæ Ecclesiæ Cathedralis opus , quod inter Italiæ nostræ miracula numeratur , animo conceptum fuit sæculo Christi XIII. ab Episcopo Urbevetano Francisco Balneoregiensi , qui illam fundare voluit in solo veteris Ecclesiæ Cathedralis , & proximæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Constantii , ejusque ædium Canonicalium meditans utriusque Ecclesiæ Capitula in unam Ecclesiam unamque Canonicam unire , utque omnes superaret difficultates injectas a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ , hypothecæ obstrinxit ejus favore feudum nuncupatum *la Meana* , eidemque cessit , & renunciavit Abbatiam S. Hyppoliti *Vallis Lacus* , quæ ad Episcopalem mensam spectabat , habita cessionis hujus confirmatione a Nicolao IV. Summo Pontifice . Rebus ita compositis , manus operi admovit anno 1290. , & solo æquatis omnibus utriusque Ecclesiæ , iisque adjunctis ædificiis , fundamenta jecit immensæ molis tam lata , ut idem Summus Pontifex Nicolaus IV. , qui primum lapidem auspicato posuit, per ea cum Cardinalibus , Episcopis, & universo Clero ambulaverit . Inceptum opus perductum fuit ad annum usque 1295. sub cura ejusdem Episcopi , & Capituli: sed cum nimis a divinis distraherentur, curarunt, *ut a Capitaneo Populi , & Consulibus septem artium* , a quibus Civitas eo tempore regebatur , eligerentur , prout electi fuerunt , laici quidam aptiores , qui fabricæ præessent , vulgò nuncupati *Soprastanti* . Horum cura , & pecunia Episcopi , Capitulique , atque oblationibus piorum ita excrevit opus , ut anno 1300. penè absolutum sit , ideoque Summus Pontifex Bonifacius VIII. præ oculis habens immanem impensam , quam fecerant Episcopus , & Capitulum eorum mensis univit Monasterium *S. Mariæ in Sylva* Ordinis Camaldulensis ea lege , ut pars dimidia fructuum , reddituumque ejusdem per quinquennium in opus fabricæ ejusdem Cathedralis Ecclesiæ erogaretur .

Per-

Perfecto tandem, absolutoque opere, cessavit cura laicorum, qui ejus fabricæ præerant, & per annos 128. administratio ejus redditum, & oblationum fuit penes Episcopos, & Capitulum, sed anno 1419. vacante Sede Episcopali Conservatores Civitatis, adito Summo Pontefice Martino V., & narrantes ære publico, & oblationibus Civium extructam fuisse Cathedralem Ecclesiam, ab eo impetrarunt, ut exclusis Episcopo, & Capitulo, administratio ejusdem fabricæ, & redditum, atque oblationum in ejus causam factarum ipsis Conservatoribus tribueretur, qui duos, vel plures eligerent, ut administrationi præessent. Hanc Martini dispositionem revocavit immortalis ille Pontifex Leo X., qui voluit, ut Episcopus, & duo Canonici eligerent eos, qui administrarent, quosque vocant *Camerarios*, quique etiam rationem reddere tenerentur, sed, defuncto inde Episcopo, Conservatores Civitatis pristinum jus recuperarunt, revocato ab ipso Leone suo Brevi, atque ita Camerarii Laici redditus omnes fabricæ administrarunt, & ipsius fabricæ Curatores fuerunt ad annum usque 1528., quo anno cum Clemens VII. in ea Civitate esset, lata constitutione jussit, ut unus annalis esset Camerarius, qui in generali Concilio Civitatis eligeretur, quique rationem redderet *Revisoribus*, inter quos esset Episcopus. Cum autem ex his Summorum Pontificum constitutionibus Episcopo, & Capitulo adempta fuisset *œconomia*, *& providentialis* cura, & administratio fabricæ, ejusque bonorum, non verò *ministerialis*, ideo Camerarii nihil in Ecclesia agere posse censuerunt sine venia, & consensu Episcoporum, & Capituli. Diversum tamen visum est Camerario præsenti, qui cum proposuisset ampliare Cappellam Sacratissimi *Corporalis*, monitorium accepit a Tribunali A. C., ut custodiretur in possessione *proprio libitu, & arbitrio in elegantiorem formam redigendi, ampliandi, & augendi Ecclesiam Cathedralem in quacumque ejus parte, prout Domino Camerario visum fuerit, & placuerit &c. sine alicujus dependentia*.

Præsidio hujus monitorii, quod, & Promotori Fiscali Curiæ Episcopalis, & Capitulo præsentatum fuit novi operis fundamenta effodit, spretis omnibus etiam judicialibus actis appositis ab Episcopo, & Capitulo, donec ejus impetus repressus fuit Decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi, qui Causæ hujus notionem dedit Sacro huic Tribunali. Cum autem *in Congregatione* habita *die* 17. *Septembris* anno nuper transacto, idem Camerarius postulasset *provisionem*, Eminentissimi Patres responderunt -- *nihil de provisione petita, & interim scribatur Episcopo, qui auctoritate Sacræ Congregationis provideat, ne fabrica Ecclesiæ detrimentum patiatur sumptibus pro nunc fabricæ, & deinde cujus de Jure*. Mandata Sacri Tribunalis exequutus Episcopus eo, quo potuit, modo curavit, ne quid Ecclesia ab effossione fundamentorum detrimenti caperet; Nunc autem ad rem expediendam Causæ propositionem urgent, & Promotor Fiscalis, & Capitulum, longumque esset omnia, quæ in eorum libello disputabat, excerpere, nam *folium* in volumen excresceret. Quid sit

sit id, de quo disceptatur, satis intelligitur ex duobus, quæ subjecta sunt, Dubiis. A Camerario nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Camerarius, seu Administrator Bonorum fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Urbis veteris valeat opus, de quo agitur, vel aliud quodlibet moliri in, & circa eamdem Ecclesiam sine licentia Episcopi, & participatione, ac consensu Capituli in casu &c.?* Et quatenus negativè.

II. *An constet de sufficienti consensu Episcopi, itaut sit locus prosequutioni operis incepti, seu potius omnia sint reducenda in pristinum statum, & cujus expensis in casu &c.*

Dilata ad primam post proximam.

Sess. 24. c. 18. de Ref.

FIRMANA, SEU FARFEN. Constitutione Sacratissimi Principis nostri, cujus initium est -- *Dum universi Gregis* -- Ecclesiæ omnes Archidiœceseos Firmanæ, quæ pridem jurisdictioni Abbatiæ Farfensis subiciebantur, Episcoporum jurisdictioni subjectæ fuerunt, reservato tamen Eminentissimis Abbatibus Commendatariis Farfensibus jure nominandi ad ea Beneficia, quæ pridem ab ipsis conferebantur. Cum autem, transacto mense Julio, vacasset Prioratus Collegiatæ Ecclesiæ S. Victoriæ, qui prima Dignitas est in eadem Ecclesia, & Animarum curam annexam habet, controversia orta fuit inter Archiepiscopum Firmanum, & Eminentissimum Abbatem Commendatarium Farfensem, an nominatio facienda sit prævio concursu, vel potius prævio dumtaxat examine, atque approbatione Archiepiscopi, & Eminentissimus Abbas nominavit Sacerdotem Josephum Terribili. Consulti fuerunt duo Advocati, qui in diversam abierunt sententiam. Ad rem igitur definiendam Eminentissimus Abbas, & Archiepiscopus amicè convenerunt, ut ab hoc Sacro Tribunali peteretur responsum. Disputat nunc igitur Sacerdos Terribili ab Eminentissimo Abbate nominatus Tridentini dispositionem silere, ubi res est de primis Dignitatibus Collegiatarum Ecclesiarum, quibus cura Animarum incumbit, ut tradunt *Fagnan. in cap. cum sit a n.*19. *ad* 27. *de ætat.*, *& qualiter Gonzal. ad Reg.*8. *Cancell. Gloss.*6. *n.*164. *Garz. de Benef. par.*9. *cap.*2. *n.*195. *Barbos. de offic., & potest. Paroch. cap.*2. *n.*27., *& de Episcop. alleg.*60. *n.*28., *& seq. Mussobr. in Prax. Concurs. Prælud.* 3. *dub.*3. *n.* 28., *& seqq. Piton. discept. Eccles.* 116. *num.*43. *Rigant. ad regul.*4. *Cancellar.* §.2. *num.*24.

Eoque amplius quia hi Prioratus erant prius Vicariæ Regulares, in quibus conferendis nullus requirebatur concursus, atque inde a Summo Pontifice Urbano VIII. erectæ fuerunt in Vicarias perpetuas, jussumque fuit, *ut prævio examine*, providerentur ab Eminentissimis Abbatibus Commendatariis Farfensibus, ac demum

mum erectis ab eodem Summo Pontifice Ecclesiis in Collegiatas, cautum fuit, ut Prioratus providerentur *præviis examine*, *& approbatione*, itaut eorum natura numquam mutata fuerit, nec mutare dispositionem Constitutionis Sacratissimi Principis nostri *in* §. *Abbas verò*, ubi hæc habentur -- *Ad paræcias verò*, *& signanter ad Paræciam S. Petri de Penna*, *Personas*, *quas maluerit ex approbatis ab Ordinario in concursu præcedenter habito ad præscriptum Concilii Tridentini cap.* 18. *sess.* 24. *de refor.*; quia, cum se referat ad dispositionem Tridentini, si hæc non complectitur primas dignitates, quibus incumbit animarum cura, neque eas complecti a constitutione dicendum sit. Hæc atque alia Sacerdos nominatus ab Eminentissimo Abbate Commendatario. Ab Archiepiscopo Firmano nihil habuimus. Dubium est.

An nominatio ad Prioratum S. Victoriæ facienda sit prævio concursu in casu &c.

Negativè.

NULLIUS FORIPOMPILII: Decretum fuit in visitatione habita a Capitulo S. Petri in Vaticano perpetuo Commendatario Abbatiæ S. Rufilli, ut intra mensem clauderentur fenestra, quam Fratres Zauli habebant in muro Ecclesiæ S. Mariæ ad Nives in Terra *Montis l'Abbate*, & janua, quæ in Sacrarium emittebat. Appellarunt Zauli ad Tribunal A.C. sed Causæ cognitio data fuit Eminentissimis Patribus. Proponitur nunc, & disputat Capitulum rem esse in jure Pontificio cognitissimam nulli licere fenestras habere, & januas, quæ in Sacraria Ecclesiarum publicarum emittant, ne servitus Ecclesiis imponatur, nisi Patroni sint, qui hoc sibi jus servaverint, aut Barones locorum, aut indultum a Sancta Sede obtinuerint. Zaulios neque Patronos esse, neque Barones, neque Indultum obtinuisse, immo in emptione quam fecerunt expressè a venditore exceptam fuisse Ecclesiam, & Sacrarium: non posse igitur retinere fenestram in Ecclesia, & januam in Sacrario, ne jure quidem longissimi temporis, cum in his præscriptioni locus non sit. Hæc Capitulum. A Zaulis nihil habuimus. Dubium est. *Sess.* 7. *c.* 8. *de Ref.*

An Decretum Sacræ Visitationis de claudendo januam, & fenestram Domus Laicorum de Zaulis, unde aditus, & prospectus patet in contigua Ecclesia S. Mariæ ad Nives substineatur in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 18. Februar. 1758. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Sess. 25. c. 19. de ref.

NOLANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Imperio Eminentissimorum PP. hæc Causa reproponitur, qui in *Congregatione* habita *diei* 14. transacti mensis *Januarii* rescripserunt -- *dilata ad primam post Cineres*. Obsequimur itaque eorum imperio, eamque damus, ut expediatur dubium.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

IMOLEN. MEDIÆ ANNATÆ. In eadem *Congregatione diei* 14. *Januarii* frustra dilationem postulante Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Imolensis definita fuerunt duo hujus Causæ dubia. *I. An media annata Beneficiorum, de quibus agitur spectet ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Imolæ, seu potius ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi Terræ Lugi in casu &c.?* Et quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam. *II. An, & a qua die teneatur Capitulum Cathedralis restituere Capitulo Collegiatæ medias annatas in præteritum perceptas in casu &c.* respondentibus Eminentissimis PP. *Ad I. negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam*: *Ad II. teneri a die erectionis utriusque Collegiatæ*. Nunc autem jura sua proponente Capitulo Cathedralis Ecclesiæ cognoscendum erit.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. In decisis juxta modum nempe a die 17. Sept. Anni 1752. juxta Votum Ordinarii, & lampius.

TER-

TERRACINEN. UTENSILIUM : Indulgentia Eminentissimorum PP. in *ultima Congregatione* habita *die* 28. transacti mensis *Januarii* dilationem obtinuerunt in hac causa Cappellani *ad hanc Congregationem*. Damus igitur hic duo ejusdem Causæ dubia ab Eminentissimis PP. definienda. *Sess.22.decr. de observ. & ev.* in celeb. Missar.*

I. *An debeantur utensilia in casu &c.*? Et quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur?*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Deberi a die motæ litis juxta consuetudinem Diœcesis, & amplius.

MONTIS PELUSII, SEU HIERACEN. SPOLII. Dedimus omnem hujus causæ speciem, & rationes propositas a Capitulo Montis Pelusii *in folio ejusdem ultimæ Congregationis*, sed Causa proposita non fuit: proponetur nunc, ut credimus, & ideo duo ejus Capita subiicimus. *Sess.22.c.11. de ref.*

I. *An, & quomodo Testamentum bo: me: Episcopi de Rubeis Montis Pelusii, deinde Hieracen., substineatur in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit distribuenda illius hæreditas in casu &c.*

Ad I. Testamentum substineri quoad legata in eo relicta vigore indulti dummodo non excedant in totum summam ducatorum 1000. de Camera: In reliquis autem Bonis ab una, vel alia Ecclesia provenientibus, ab Episcopo adhuc vivente non distractis, nequaquam substineri, sed eadem Bona utrique Ecclesiæ deberi jure precarii absque ullo onere. Ad II. Detractis prius Legatis ut ad primum, bona, quæ proveniunt ab Ecclesia Montis Pelusii juxta Inventarium anni 1750., & non fuerunt ab Episcopo in ejus vita distracta deberi ipsi Ecclesiæ Montis Pelusii: Reliqua vero Ecclesiæ Hieracen., atque ita hæreditatem esse inter d.Ecclesias repartiendam.

NULLIUS FORIPOMPILII. Hanc quoque Causam dedimus *in eodem folio ultimæ Congregationis*, sed cum dubium *reformandum* esset, proposita non fuit. Nunc igitur, mutato dubio, definienda erit ab Eminentissimis PP. repetita lectione *ejusdem folii*: Novum dubium est. *Sess.7. cap.7. de ref.*

An Decretum D. Visitatoris substineatur in casu &c.

Affirmativè, & amplius.

NERITONEN. Proposita, fuit hæc causa in *Congregatione* habita *die* 3. *Decembris* transacti nuper *anni* 1757. duo erant *Sess.5. cap.2. de ref.*

ejus

ejus Capita I. *An substineatur Edictum in ea parte, qua Sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam christianam sub pœna suspensionis in casu &c.* II. *An substineatur pœna interdicti in eodem Edicto inflicta adversus Ecclesias, in quibus contigerit deficere Formularium Doctrinæ Christianæ in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal: *Ad* I. *affirmativè juxta modum explicandum Episcopo*: *Ad* II. *negativè* -- Modus autem fuit -- *quod Edictum substineatur tantùm quoad Sacerdotes celebrantes in Ecclesiis Ruralibus, & quoad Sacerdotes, qui Missam celebrabunt in aliis Ecclesiis ante tamen Missam Parochialem*. Displicuit definitio primi dubii Capitalis, & Clero Neritonensi, & Terræ Mattini: displicuit Episcopo definitio secundi dubii, nec placuit definitio primi; ideoque omnes redeunt nunc unanimes ad novum Eminentissimorum PP. judicium, a quibus cognoscendum erit, perpensis novis utriusque Partis rationibus. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Ad I. In decisis juxta modum, modus est substineri Edictum quoad Ecclesias Rurales tantum sublata pœna suspensionis, & Episcopus se gerat ad formam Constit. SS.D.N. Ad II. In decisis, & amplius.

MONTIS ALTI ERECTIONIS CAPPELLANIÆ: Testamento, quo decessit anno 1722. Maria Anzidora Ciassoni vidua Bartholomæi Franceschini, scripto hærede Dominico filio, quoque sine filiis decedente ita legavit -- *in tal caso vuole, che delli trecentocinquanta scudi residuali della sua dote in quella maniera, che si troverà assegnata in terre, o in denari si costituisca una Cappellania mera laicale da consegnarsi alli detti suoi nipoti, e figli respettivamente della anzidetta Signora Maria Santa con obligo di celebrare, o far celebrare due Messe la settimana in qualsivoglia luogo, e Chiesa per l' anima sua, del Sig. Bartolomeo suo Marito, e de suoi fratelli carnali*. Matris hæreditatem adiit Dominicus sine beneficio legis, & inventarii, decessit inde sine liberis anno 1739. scriptis hæredibus Arcodante, aliisque fratribus Recchiis, qui adito Vicario Generali Montis Alti, postularunt, ut ex illis sc.350., quibus erigenda erat Cappellania, detraheretur portio legitima sc.150. Dominico eorum auctori debito: *paratos se esse, & promptos exequi voluntatem Testatricis, cum agatur de dispositione ad pias causas* apertissimè protestati sunt hisce verbis facta detractione portionis legitimæ: Vicarius Generalis secundum eorum postulationem decrevit.

Numquam tamen Arcodantes aliorum fratrum Donatarius Cappellaniam constituit, & qui Ecclesiæ Montis Alti nunc præest Episcopus, una atque altera visitatione acta annis 1751., & 1754. decretis suis eum impulit ad implendam Testatricis voluntatem intra terminum *decem dierum*: Promotor autem Fiscalis petiit, ut

ut idem Arcodantes compelleretur *ad assignandum in termino superius concesso capitale scut.200. sub pœna in casu contumaciæ interdicti ab Ecclesia &c. interimque fructus omnes, & redditus quoscumque provenien. ex prædio nuncupat. di S. Martino stare sub arcto, & stricto sequestro ad effectum illos erogandi in satisfactionem Missarum non celebratarum de tempore præterito*. Appellavit Arcodantes ad Tribunal A. C., sed causæ notio data fuit Eminentissimis Patribus, qui *die 22. Martii anno nuper transacto* rescripserunt libello -- *Episcopus procedat pro erectione Cappellaniæ pro nunc pro sc.200., & fructibus eidem correspondentibus, & in reliquis Promotor Fiscalis utatur jure suo coram suis Judicibus*, & in hujus rescripti exequutionem relaxatum fuit mandatum in eadem summa sc.200. At Arcodantes facultatem impetravit ab Eminentissimo Domino Cardinali Præfecto adeundi Eminentissimos Patres.

Nunc itaque causa proponitur, & disputat Promotor Fiscalis non esse locum detractionis legitimæ, sed integra sc.350. in Cappellaniam esse eroganda, ut jussit Testatrix, cujus voluntatem exequi voluisse Dominicum dicendum sit, quia vivens legitimam portionem non detraxit, quia matris hæreditatem adiit sine inventario, quia tacitæ jussit dispositioni Testatricis cognitissima *Cauthela Soccini*: Cæterum sive integra sc.350. sive dumtaxat sc.200. eroganda sint in Cappellaniam non posse Arcodantem fugere solutionem fructuum respondentium juxta taxam legalem quantitati illi, quæ Emis PP. statuetur ob malam fidem, quæ impressa fuit ejus animo a scientia dispositionis Testatricis, sicuti manifesto patet ex verbis postulationis suæ anno 1739. coram Vicario Generali, quæ supra retulimus: nihil denique interesse quibus bonis hæreditariis, nempe vel propriis Arcodantis Cappellania fundetur, dummodo fundetur. Hæc Promotor Fiscalis: Ab Arcodante nihil habuimus. Dubium est.

An, & pro qua summa, & super quibus bonis sit erigenda Cappellania ordinata a quondam Maria Anzidora Ciassoni in casu &c.

Cappellaniam erigendam esse pro scutis biscentum ex bonis hæreditariis Dominici Ciassoni.

THELESINA. Precibus universitatis, & Populi Terræ S. Salvatoris Thelesinæ Diœceseos annuit hoc Sacrum Tribunal anno 1744. decernens, ut Archipresbytero Ecclesiæ, quæ una est in illa terra, quæque nuper pecunia ejusdem Populi a solo restituta fuit, duo adjungerentur Æconomi Sacerdotes, qui in animarum cura Archipresbyterum adjuvarent. Verum, quia Populus illius Terræ ita numerosus est, ut mille capita excedat, hinc Archipresbyter, & duo Æconomi satis esse non possunt Confessionibus excipiendis præsertim solemnioribus diebus festis, neque Populus universus opportunum habet tempus Sa- *Sess.21. c.4. de reform.*

 crum

crum audiendi festis diebus ob paucitatem trium Sacerdotum; ideoque Populus, ægrotante Archipresbytero, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulabat, ut ultra Archipresbyterum, duosque Æconomos, tres alii adjungerentur Sacerdotes, qui de ejusdem Ecclesiæ redditibus participarent. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis PP., a quibus audito, ut fieri solet, Episcopo, hic in sententiam Populi pedibus discessit. Defuncto interim Archipresbytero, novoque electo Cive ejusdem Terræ, conventio inter eum, & Populum inita fuit, laudante Episcopo, qua pactum fuit, ut Populus, prævio Regio assensu, antiquis Ecclesiæ redditibus alios adderet ducatos quinquaginta: contra verò Archipresbyter assensum præstaret, ut tres alii Sacerdotes participantes adjungerentur.

Rebus ita compositis, præstitus fuit Regius assensus, & nunc Populus simul, & Archipresbyter postulant ab Eminentissis PP. ut gratiam indulgeant adjungendi tres sacerdotes participantes, cum detractis oneribus omnibus redditus Ecclesiæ aucti, ut diximus, a Populo ascendant ad annuam summam duc.370. quorum 150. attribui possint Archipresbytero pro sua congrua. Alii verò duc.100. præstari possint duobus Œconomis adjutoribus Archipresbyteri in cura animarum; reliqui demum duc.120. dividi possint inter adjungendos tres participantes cum onere præstandi servitium Choro juxta modum, & tempus ab Episcopo designandum, necnon adjuvandi in subsidium ipsum Archipresbyterum in animarum cura, & denique agendi cum eodem Archipresbytero, & Œconomis Sacra tam pro Populo, quàm pro piis testatoribus. Hæc summa est postulationis: rationes autem sunt, quia Tridentini dispositione cautum sit, ut si Populus ita numerosus sit, ut rector unus Sacramentis administrandis satis non sit, Sacerdotes alii adjungantur, quod necessitas postulat: necessitatem hanc inficiari non posse, cum numeroso Populo satis esse non possint tres Confessarii, neque tria sacra possint eidem Populo sufficere, ut impleatur præceptum diebus festis: id requirere servitium Ecclesiæ, & augmentum divini cultus: id requirere gravitatem aeris, qua Terra illa laborat, cum ob eam, aut facilè moriantur Archipresbyteri, aut ne moriantur, discedant, & ita Populus careat frequenter Pastore. Hæc, atque alia Populus, & Archipresbyter in eorum libello: Eminentissimi vero PP. perpendere poterunt, qua ratione expediendum sit dubium.

An in Ecclesia Archipresbyterali Terræ S. Salvatoris cum qualitate receptitia augendus sit numerus aliorum trium Participantium ad formam Concordiæ moderni Archipresbyteri cum Universitate, aliisque &c.

Affirmativè.

CIVI-

CIVITATIS PLEBIS LEGATI. Legavit Pontianus Fargna sc.500. Hospitali Civitatis Plebis = *perchè possa sopra le case possedute da detto Ospedale, e già comprate farsi una corsìa commoda per gl' Infermi, metà per li Uomini, e metà per le Donne mediante l' intersecazione ch' una muraglia in mezzo divisoria, ed in mezzo a detta muraglia si faccia un' Altare per celebrarvi la Santa Messa.* Ut defuncti voluntatem impleret, Franciscus Maria Fargna manus illico operi apposuit, dirutisque Domibus fundamenta jecit novi ædificii erogata impensa sc.83. At, cum facilè compertum fuisset sc.500. Legata satis non futura, destitit ab opere, quod tamen alia ratione supplevit Canonicus Philippus Doni, extructis sua pecunia duobus Cubiculis *non quidem juxta methodum a dicto Pontiano præscriptam*, verba sunt Episcopi ad hoc Sacrum Tribunal, *sed tamen, ut sufficientia sic separata, & distincta tantum, ut communicatio non adsit inter viros, & mulieres, quibus utrisque pro præsenti statu hospitalis dici possit satis fuisse provisum.* Sess.22. c.6. de reform.

Franciscus igitur Maria -- *volendo in parte secondare la pia volontà* fratris sui Pontiani legantis, *e contribuire al sostentamento, e caritatevole ajuto di essi Infermi* anno 1739. apocam scripsit in hæc verba -- *prometto, e m' obligo per li residuali scudi* 417. *compimento di detto Legato contribuire al detto luogo Pio li frutti ricompensativi a ragione di scudi* 3. *per ogni centinaro, ed anno fin tanto, che da detti Signori Deputati non si determinasse la prosecuzione di detta Fabrica, o in altra forma* -- Causam verò susceptæ obligationis hanc addidit -- *e questa promessa, ed obligo lo faccio a contemplazione, che con detti frutti annui possa supplirsi in parte alle indigenza di detto Luogo Pio per sostentamento di detti poveri Infermi, ed a questo effetto, e nel modo sopra espresso obligo me stesso, eredi, e beni.* Dum vixit Franciscus Maria, datam fidem singulis annis liberavit: Verùm, eo defuncto, Advocatus Fargna, & Legantes, & Promissoris hæres, postquam per aliquot annos obligationem a Patruo susceptam impleverat, denegavit inde annuam fructuum solutionem, ideoque Administratores Hospitalis, adito Sacratissimo Principe Nostro, postularunt, ut voluntatem Pontiani Fargna commutaret, permittendo, ut residualibus illis sc.417. emerentur bona immobilia, quorum redditibus subministrari possent alimenta Infirmis.

Data fuit Eminentissimis Patribus postulationis hujus cognitio, eaque proposita in *Congregatione* habita *die* 28. *Augusti anno* 1756. responsum fuit -- *Pro gratia juxta petita, dummodo pecuniæ investiantur in bonis stabilibus solutis etiam per hæredem fructibus reversis.* Re comperta ab Advocato Fargna se se præstitit contradictorem huic commutationi voluntatis, & nunc disputant Administratores Hospitalis commutationi esse locum, quia juxta dispositionem Tridentini justa ad sit, & necessaria causa, cum opus eo modo, quo a Pontiano præscriptum fuit, perfici non possit, ideoque in alium modum, aliumque usum legatum commutari debeat, ut disertè scriptum est in *leg. Legatum Cod. de administr. rerum ad civit. pertinen.* Præsertim, cum ad commu-

tationem voluntatis sola satis sit moralis difficultas, nec physica requiratur, ut tradunt collecti a *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 83. *num.* 3. Eoque amplius, quod duo nunc reperiantur cubicula pro Infirmis instructa pecuniis Canonici Doni, itaut *pro præsenti statu Hospitalis dici possit satis fuisse provisum*, ut his verbis refert Episcopus. Contra verò redditus Hospitalis ita tenues sint, ut vix attingant annua sc. 2. 70., quæ satis non sunt alimentis infirmorum, ideoque & utilius, & pene necessarium est legatum convertere in emptionem bonorum stabilium, quorum redditibus alantur Infirmi, quàm erogare Legatum in fabricam, quæ inutilis erit, si desint alimenta Infirmis præstanda: Hæc atque alia in suo libello Hospitale. Ab Advocato Fargna nihil habuimus. Dubium est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

Die

Die Sabbathi 4. Martii 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit S. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FANEN. JURISDICTIONIS. Cauſa hæc, quæ agitur inter Curiam Legationis Urbini, & Curiam Epiſcopalem Fani de Viſitatione quatuor Operum Piorum Terræ Urceani propoſita fuit *in Congregatione* habita *die* 18. *Junii* tranſacto Anno 1757. Dubioque ejus, quod erat: *An & cui competat jus viſitandi Loca Pia, de quibus agitur, in caſu &c.* Reſponderunt EE. PP.: *Competere Epiſcopo ad formam Concilii ſalva auctoritate Curiæ Legationis in exercendis Adminiſtrationibus Æconomicis*. Cum verò nunc ad novum veniat Sacri Tribunalis Judicium, cognoſcendum erit ab EE. PP. *Seſs. 22. c. 8. & 9. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

URBEVETANA JURISDICTIONIS: Dedimus hanc Cauſam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 28. tranſacti Menſis *Januarii*, ſed placuit EE. PP. Camerario dilationem indulgere *ad hanc Congregationem*. Nunc itaque duo ejus Capita ſubjicimus, ut, repetita lectione *ejuſdem Folii*, expediri poſſint. *Seſs. 21. c. 7. & ref.*

I. *An Camerarius, ſeu Adminiſtrator Bonorum Fabricę Eccleſiæ Cathedralis Urbis veteris valeat opus, de quo agitur, vel aliud quodlibet moliri in, & circa eamdem Eccleſiam ſine licentia Epiſcopali, & participatione, ac conſenſu Capituli in caſu &c.* Et quatenus negativè.

II. *An conſtet de ſufficienti conſenſu Epiſcopi, itaut ſit locus proſequutioni Operis incepti, ſeu potius omnia ſint reducenda in priſtinum ſtatum, & cujus expenſis in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt Agnos etiam unica.

VA-

Sess.22. c.10. de Ref.

VADEN., SEU URBANIEN. ROGITUUM: Postquam hæc, & quæ sequitur Causa *disjunctim* datæ fuerunt *in Foliis Congregationum* habitarum *diebus* 4. *Maii*, *&* 22. *Junii anno* 1754. ut videre est *in Vol.XXIII. Thesaur. Resol. S. Congr.* Dubiis tamen earum numquam definitis, ad Causam veniente Communitate Vadensi iterum eas dedimus *in Folio Congregationis* habitæ *die* 3. *Decembris* transacto nuper *an.*1757., sed propositæ non fuerunt. Damus nunc eas quarto, & ut credimus proponentur: repetita igitur ab EE. PP. lectione *folii Congregationis* habitæ dicta *die* 4. *Maii* 1754., quod in lucem hominum editum fuit in eodem *Vol.XXIII. Thesaur. pag.*37. *& seqq.*, & in quo utriusque Causæ species habetur, duo, quæ singulis adscripta dudum fuerunt Dubia, tandem poterunt definiri.

I. *An, & in quibus casibus constet de privativa Notarii, & Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ rogandi omnes actus inter vivos & ultimæ voluntatis tam Ecclesiasticorum quàm Locorum Piorum in casu &c.*

II. *An constet de exemptione Cancellarii Episcopalis Urbaniæ tam a taxa Archivii, quàm ab asportatione Exemplarium Rogituum ad idem Archivium Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Dilata ad primam post Agnos etiam unica.

Sess.22. c.10. de Ref.

VADEN., SEU URBANIEN.; In qua alia duo Dubia disputantur.

I. *An juxta solitum quietantiæ, & extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem Acta, per quæ rogata fuit obligatio in casu &c.*

II. *An, & quæ Protocolla Instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivium publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Dilata ad primam post Agnos etiam unica.

Sess.14. c.7. de Ref.

FULGINATEN. IRREGULARITATIS: Fulginiam perventus anno 1722. Commissarius Fabricæ S. Petri quæsitor implementi Legatorum piorum ursit duos Fratres Petrum Marini laicum, & Michaelem Angelum *Clericum*, ut ederent probationes implementi legatotum, quæ eorum Majores reliquerant, cum Pater abesset, qui rusticationis gratia morabatur in castro *Scopuli*, Clericus Michael Angelus equum conscendit, profe-

ctusque

ctusque ad Patrem certior ab eo factus de loco scrinii, in quo erant probationes, quas Commissarius exigebat, equo iterum ascenso Fulginiam revisit concitans calcaribus equum, ne nox ingruens eum præoccuparet, nam hora diei vigesimaquarta aberat tertio lapide a Civitate. Currens igitur quantum poterat vidit in obscura illa dubiaque luce ante se in via euntem lento gressu agrestium hominum, qui e Piceno Romam veniunt ad agros colendos, Turbam, clamavitque, ut sibi ab equo caverent, sed nullus ex iis loco cessit, itaut equus effræno cursu prætergrediens in unum ex turba illa impegerit, cujus casu agrestes omnes ira perciti in Clericum equitantem irruerunt, qui, ut furentes reprimeret, converso in eos equo inanem ictum fudit brevis tormenti vulgo *pistola*, repetiitque celerrimè iter suum, sed, dum credit tormentum reponere, erravit, causa cursus, & tormentũ in Terram delapsum e t, magno dolore animi equitantis Clerici, quod suum non esset, & argento ornatum, miraque artis præstantia ductum esset, neque tamen ausus fuit equum retinere, & descendere, ut illud recuperaret metuens a supervenienti illa agrestium hominum Turba.

Dolens igitur Paternos Lares pervenit, omniaque narravit Petro Fratri majori, qui voluit illico agresti Turbæ occurrere, sed eum repressit, cohibuitque Clericus Michael Angelus dicens expectandum esse, ut illa prætergrederetur Civitatem, eaque prætergressa, accedi posse ad locum, ubi jacebat tormentum, & perquiri, ac recuperari. Abstinuit igitur Petrus ab occursu agrestium, perventaque hora quarta noctis, & putantes Turbam illam dudum prætergressam fuisse Civitatem, domo egressi sunt armis instructi, brevibus nempe tormentis Petrus Clericus Michael Angelus, & quidam eorum amicus. Sed eos fefellit eorum opinio Turbam illam agrestem prætergressam fuisse, nam egressi Civitate, neque ab ea longè progressi, audiverunt strepitum rusticorum hominum advenientium. Clericus Michael Angelus, & amicus eorum socius, qui leviores erant, transilierunt aquam, quæ erat in latere viæ, & secesserunt in campum vitantes occursum Turbæ illius agrestis. Petrus, qui gravior erat, diffidens transilire aquam posse, remansit in via magno vitæ suæ discrimine, nam agrestes illi homines in eum irruerunt, accepitque vulnus in fæmore ab ictu tormenti bellici: sed animo nequaquam territus, & genibus subsistens terram reciprocavit, exploso in proximiorem tormento suo; At vires defecerunt, clamavitque Fratri, & socio ut sibi morienti opem ferrent: Amicus aufugit. Clericus Michael Angelus nesciens quid consilii caperet, duos ictus tormenti sui e Campo, in quo erat, explosit, evenitque res feliciter, nam Turba illa agrestis reputans multos esse homines huc illuc dilapsa est, & Clericus Michael Angelus aqua transiliens ad fratrem jacentem securus pervenit, eumque suis humeris ferendo vexit in Civitatem, Petro, qui bene cognoverat occidisse unum ex illis hominibus suo ictu, precante, ut deferretur in locum immunem,

ut

ut factum fuit a Clerico Fratre; Mane autem facto compertum est occisum fuisse Hominem agrestem uno ictu.

Qui Civitati præerat, conjectis in carcerem pluribus ex agresti illa Turba, iisque sub interrogationibus judicialibus auditis, auditoque pariter amico, socioque illo duorum Fratrum, qui aufugerat, processum Criminalem de homicidio contra Petrum instruxit, instructumque transmisit ad sacram Consultam; Curia verò Ecclesiastica contra Clericum Michaelem Angelum nullum fecit Processum, nullo suspicante eum de homicidio reum esse. Relato autem in Sacra Consulta processu contra Petrum, visum est Judicibus homicidium ab eo commissum fuisse ob tutelam vitæ suæ, & eumdem *non esse molestandum jusserunt constito de consensu, & pace consanguineorum occisi*, prout habita pace, & consensu liberatus fuit. At Clericus Michael Angelus post annos 32. ab eo homicidio volens Sacros Ordines suscipere memor nocte illa duos explosisse ictus, ex quorum aliquo si forte Rusticus ille obiisset, ipse factus fuisset irregularis, satius duxit ad omnes animi sui dubitationes removendas preces offerre Sacratissimo Principi nostro, quibus petebat dispensationem *ad cauthelam*, dataque ab optimo Principe cognitione postulationis hujus EE. PP. auditus fuit Episcopus, qui re omni, ut evenerat, narrata censuit Clerici precibus annuendum. Verùm eædem rejectæ pluries fuerunt: nunc autem, propositis Dubiis, disputat idem Clericus non constare de irregularitate, & si constaret, consulendum esse *Sanctissimo Domino nostro* pro dispensatione.

Rationes, quibus negat de irregularitate constare, hæ fere omnes sunt, quod nullus ex actibus ab eo gestis illicitus fuerit, & in causa homicidi, ut singulis expensis probare videtur; quod non sit certum, sed maxime dubium evenisse homicidium ex uno, vel altero ejus ictu, ideoque in foro externo, & judiciali non debeat declarari irregularis, ut tradunt *Fagnan. in cap. ne innitaris. n.*197. *ee Constitut. Vanespen. Jur. Canon. par.*2. *Tit.*10. *cap.*8. *n.*23. *Majol. de Irregular. lib.*1. *cap.*3. *n.*3. *& lib.*5. *cap.*51. *n.*10. *Sanchez ad præcept. Decalog. Tractat.*1. *cap.*10. *n.*11. *Diana de Irregular. Resol.*104. *n.*1. *Escobar. de Utroq. Foro artic.*1. *n.*74. *Monacell. in Formul. tom.*3. *in Prælud* §. *de Irregularitate n.*156. Quod denique etsi certum esset homicidium non a Petro, sed a Clerico commissum fuisse, nulla in eum infligi pœna posset ex dispensatione Juris Civilis, quia commissum fuisset ad defensionem Fratris aggressi, & vulnerati, & quem Clericus Frater ex naturæ obligatione defendere tenebatur, ut probat innumeris collectis, quos inter *Panimol.* qui plures congregat. *dec.*146. *n.*2. *& seqq.* quam Juris Civilis dispositionem sequendo Jus Pontificium non solùm Clerico impune esse homicidium voluit, sed ne irregularem quidem eum esse, ut probant *Henric. Boich. in cap.*2. *n.*10. *& seq. de Homicid. Covarruvv. in Clement. si furiosus par.* 3. §. *unic. n.* 5. *Barbos. in Collect. Clementin. lib.*3. *Tit.*4. *n.*19. *Boekn in Jus Canon. lib.*5. *Tit.*12. §.4. *n.*29. *Petr. Navarr.*

de

de Restitut. lib.2. cap.3. n.429. Agrer. De Homicid. necess. par. 1. num.226. & seqq. Sayr, de Censur. cap.17. n.21. versic. secunda opinio. Panimoll. d. dec.146. n.3. Hinc transgreditur ad probandum consulendum saltem esse Sanctissimo Domino nostro pro dispensatione, sed longum esset rationes omnes excerpere *in Folio* ita longo. Expendent eas EE. PP., ut duo, quibus collecta Causa est, Dubia definiant.

I. *An constet de Irregularitate in casu &c.* Et quatenus affirmativè.
II. *An sit consulendum Sanctissimo super Dispensatione in casu &c.*

Affirmativè ad utrumque.

MARSORUM LEGATI PII. A Silverio Piccolomineo tria Legata Pia data fuerunt Testamento, quo decessit anno 1569. favore Celanensium, e qua Civitate illi erat origo, attributa cuilibet Legato tertia parte usurarum annuarum, quæ perciperentur ex summa ducatorum septem millium implicanda ab Administratrice Communitate Celani ad annuam rationem scut.8., vel 9. pro centenario, ut ea tempestate fieri solebat. Primum Legatum fuit subsidii præstandi tribus pauperibus juvenibus nominandis ab Episcopis Marsicano, & Sulmonensi, Præpositoque Celani, qui juvenes studio literarum sacrarum incumberent in Collegio Germanico Urbis Romæ, vel in alio Collegio, alioque Loco, si Collegium Germanicum dissolveretur, præstita ab ipsis fidejussione de restituendis subsidiis acceptis, nisi ad Sacerdotium ascenderent. Alterum Legatum fuit trium subsidiorum dotalium favore Puellarum Celanensium, quæ ab iisdem Episcopis, & Præposito nominandæ essent. Tertium Legatum fuit pro redemptione captivorum, præsertim Celanensium, vel pro alimentis hebræi alicujus ad catholicam fidem conversi, prout æquius melius visum fuisset iisdem Episcopis, & Præposito. Pœnam denique caducitatis inflixit in casu inadimplementi substitutis Hospitali S. Jacobi *Incurabilium*, & Monasterio S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentium, vulgo *Convertite*. Amplius sanè, quàm par esset de summa illa, ejusque usuris speravit Testator, nam partim diminutione usurarum, partim pessima administratione, partim verò debitorum causa, anno 1738. eo pervenerant fundi hujus operis pii, & trium Legatorum, ut non alia, quàm duo Loca Montium superessent, & Census, cujus debitrix erat Gens *del Cinque*, occupatis aliis fundis a Creditoribus ejusdem operis Pii. *Sess.24. c.6. de Ref.*

Noverunt igitur Syndici Communitatis necessarium esse precibus adire Summum Pontificem Clementem XII., a quo postularunt onerum reductionem, & postulationis hujus notio Sacro huic Tribunali data fuit. Intercessit tamen Fabrica S. Petri contendens esse locum applicationi bonorum. Victa demum Fabrica, reno-

varunt Syndici Communitatis postulationem reductionis onerum, & ab hoc Sacro Tribunali rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Rezzonico, ut rem expenderet, animique sui sententiam aperiret. Opera functus est diligentissimè Eminentissimus Rezzonico, scripto luculentissimo *voto*, in quo censuit reducenda esse onera, & per decennium omnino suspendenda, data interim optima methodo, qua possint expungi debita, & recuperari fundi a Creditoribus detenti. Hanc sententiam probavit Sacrum Tribunal in *Congregatione*, habita *die* 24. *Augusti* 1743., eamque exequi jussit Marsorum Episcopus decreto lato *die* 16. *Decembris anno* 1745. unde factum est, ut non *tribus in Urbe*, *sed duobus tantummodo Juuenibus in Seminario Marsorum retinendis* subsidium esset præstandum, & dotes Puellarum in ducatis 20. pro qualibet taxatæ fuerint. Atque hac prudentissima methodo res feliciter evenit, nam administrationi operam dante Canonico Dominico Matthejo intra decennium plures Creditores dimissi fuerunt, & recuperatis fundis, qui ab iis detinebantur, facilè poterunt eorum redditibus solvi usuræ aliorum debitorum, & sortes extingui: Sed transacto decennio, redditaque a Canonico Matthejo ratione, eoque ob diligentissimam administrationem plenissimè liberato, Marsorum Episcopus ad subsidium *in Urbe excipiendum* nominavit Clericum Andream Santuccium grammaticæ operam dantem. Obstitit Communitas, & re ad Sacrum hoc Tribunal delata, Causa omnis quatuor Capitibus collecta nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur.

Disputat Communitas non esse locum præstationi subsidii *in Urbe*, sed retinendos esse juuenes in Collegio, seu Seminario Marsorum, quia duret adhuc causa, ex qua ita censuit Eminentissimus Rezzonico *in suo voto*, & definivit Sacrum hoc Tribunal, ac exequi jussit ipse Marsorum Episcopus cum redditus aucti non fuerint, iidemque sint nunc Pii operis fundi, qui erant anno 1745., & licèt aliqui recuperati fuerint, dimissis, qui eos detinebant, Creditoribus, non tamen eorum redditus satis sint alendis in Urbe juuenibus, præsertim cum inquilini, & conductores ædium e turba Civitatis proletaria sint, a quibus difficile est pensiones exigere. Calculo quoque facto, monstrat impossibile esse, ut subsidium in Urbe juuenibus præstari possit. Addit nominationem Clerici Santucci non substineri, cum neque probetur ejus paupertas, quam voluit Testator, neque studiis Sacrarum literarum incumbere possit, cum nunc discendæ grammaticæ operam navet. Inverecundum denique esse a diligentissimo Administratore Canonico Matthæjo iterum redditionem rationis exigere, cum eam reddiderit, & plenissimè liberatus fuerit. Hæc summa est libelli dati a Communitate. A Clerico Santucci nihil habuimus. Causæ capita hæc sunt.

I. *An juxta præsentes redditus Legati Pii studentes nominati manuteneri debeant in Seminario, seu potius in Urbe in casu &c.*
Et quatenus affirmativè ad secundam partem.

II. *An*

II. *An, & in qua summa sint taxanda Alimenta in casu &c.*
III. *An sustineatur nominatio Clerici Andreæ Santucci in casu &c.*
IV. *An Canonicus Dominicus Matthæi præteritus Administrator cogi debeat ad redditionem rationis in Urbe, seu potius obstet quietantia in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Affirmativè ad effectum commorandi in Seminario Marsorum, & amplius. Ad IV. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam, & amplius.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANA PRÆCEDENTIÆ SUPER RESERVATIS: Cathedrali Ecclesiæ Civitatis Hortæ univit Eugenius IV. Pontifex Maximus anno 1437. aliam Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castellanæ, itaut unus esset Episcopus qui utramque Ecclesiam, ambasque Diæceses regeret methodo, & forma in suo Motu proprio præscripta. Ab eo tempore ad annum usque 1582. quotquot fuerunt Episcopi sese in omnibus actibus, aut simpliciter Hortinos Episcopos dixerunt, aut præmiserunt Hortinum Episcopatum alteri Civitatis Castellanæ. Variatum fuit anno 1582., quo sedente Gregorio XIII. Episcopus electus fuit Andreas Longus præmissa denominatione Civitatis Castellanæ. Variationis causa dicitur elenchus Episcopatuum, qui servatur in Cancellaria Apostolica, in quo litera initialis Civitatis Castellanæ præcedit literam initialem Civitatis Hortæ. Quidquid autem hac de re sit, novitate commota Civitas Hortæ, ejusque Capitulum, & Clerus universus adiverunt Sacras Congregationes Rituum, & Episcoporum ac Regularium pluribus editis juribus, & expedito coram Cardinali Vicario Urbis monitorio, ut metu Censurarum compellerentur testes ad veritatem pandendam, prout detecta fuit ab ipso Episcopo Longo, Archipresbytero, aliisque Capitularibus Civitatis Castellanæ, sed opera, & studio ejusdem Episcopi, qui Hortinæ sedi pristinum honorem restituit, sopita lis fuit ad annum usque 1607., quo ipse decessit. Recruduit tamen inde, nouus enim Episcopus suadente Capitulo Civitatis Castellanæ Diæcesanam Synodum in ea Civitate, non in Ecclesia Cathedrali Hortina indixit. Clamarunt Capitulum Clerus, & Civitas Hortæ ad hoc Sacrum Tribunal, a quo prudenter jussum fuit, ut Episcopus abstineret a convocanda Synodo, donec jura utriusque Ecclesiæ cognoscerentur. *Sess. 7. cap. 1. de Ref.*

Anno igitur 1624. *die* 8. *Junii* sex dubia, quibus controversia omnis complectebatur, proposita fuerunt, & cæteris definitis, altero eorum, quod erat -- *In qua ex dictis Civitatibus sit primo inchoanda Synodus* -- responsum fuit -- *Synodum esse indicendam, ac celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad præsens Episcopus reperitur, & deinde in Civitate Hortana, & sic deinceps*

singulis annis observari debere absque tamen præjudicio Partium tam in Petitorio, quàm in Possessorio Judicio, & donec Articulus Præcedentiæ plenè cognitus, & definitus fuerit. Plures post hoc provisionale decretum indictæ, & actæ fuerunt Synodi, servata forma ejusdem decreti, cum numquam de præcedentia proposita quæstio fuerit. At cum nuper ab Episcopo indicta fuerit Synodus in Civitate Castellana, quæ juxta ordinem decreti indici debebat in Civitate Hortæ, iterum excitata est controversia, cujus scientia delata *ad Sanctissimum Dominum nostrum* jussit convocari in Civitate Castellana, *salvis tamen juribus Partium contendentium, itaut nemini præjudicium ullum sive in Petitorio sive in Possessorio per hujusmodi Synodi celebrationem, seu interventum, aut per præsens Sanctitatis suæ rescriptum inferatur*. Post hoc rescriptum de proponendo Dubio, quod complectebatur locum agendi Synodum, actum fuit, sed decreto Emi nentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi Causa *quoad omnia* Judicio Sacri hujus Tribunalis commissa fuit, ideoque alia dubia adjecta fuerunt. quæ omnia nunc proponuntur, disputante Capitulo, Clero, & Civitate Hortæ majorem esse dignitatem eorum Civitatis, quam ab innumeris actis, & ab ultima Italiæ nostræ repetunt antiquitate, ut cognoscent Eminentissimi Patres ex libello, quem dabunt. A Capitulo Civitatis Castellanæ nihil habuimus. Tria sunt Causæ Capita.

I. *An, & cui Ecclesiæ Cathedrali competat Præcedentia pro inchoanda Synodo in in casu &c.*

II. *An, & cui ex dictis Ecclesiis competat Prænominatio in Bullis Provisionum Episcopatus, & in cæteris actibus communibus respicientibus utramque Diœcesim in casu &c.*

III. *In qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda solemnis Possessio in casu &c.*

Dilata, & reformato ordine dubiorum, proponatur Causa completo Processu Compulsoriali.

Sess.25.c.4. de Ref.

PERUSINA LEGATI DOTIS. Testamento, quo decessit anno 1694. Petrus Jacobus Rodulphus post data plura Legata Pia perpetua, quæ inter subsidii dotalis sc.30. pauperi alicui honestæque Puellæ Perusinæ ab Exequutoribus Testamentariis nominandæ, hæredem scripsit in usufructu universæ hæreditatis uxorem suam Comitissam Victoriam Fiume, qua defuncta, substituit Primogenitos masculos in infinitum descendentes a Camilla Rodulphi sorore sua, ejusque Viro Petro Rastellio, & masculis deficientibus, substituit descendentes fœminas eodem Primogenituræ ordine servato. Hæreditatem defuncti Viri perpetuis alienationibus ita diminuit usufructuaria, ut, ea tandem decedente,

te, Vincentius Rastellius, ad quem ex substitutione delata fuit Rodulphi hæreditas, inane dumtaxat nomen susceperit, cum redditus hæreditarii vix satis essent implendis oneribus Legatorum Piorum, quæ requirunt annuam quantitatem sc.83. Desperatis igitur rebus, Perusiam deseruit, & Romam petiit, utque se alere posset nomen dare debuit militiæ, administrationem hæreditatis post ejus discessum suscipientibus Exequutoribus Testamentariis, qui eamdem viam ingressi, quam tenuerat usufructuaria, hæreditatem Petri Jacobi Rodulphi ad incitas deduxerunt.

Id ubi rescivit Vincentius metuens, ne ob inadimplementum Legatorum Piorum ad annum usque 1731. Fabrica S. Petri bona fideicommissaria, quæ supererant, sibi applicaret, transegit cum ea, atque inde postulavit in Tribunali A.C. reintegrationem in possessione Bonorum contra Exequutores Testamentarios, habitaque tandem sententia, & mandato, ut eadem fideicommissaria bona servaret, aliam anno 1741. transactionem iniit cum Fabrica, & inde Legata Pia pro viribus expilatæ hæreditatis implevit, postulans alias a Fabrica compositiones pro iis Legatis, quorum ob defectum reddituum impossibile erat adimplementum. Defuncto Vincentio, Joseph ejus filius coactus, & ipse ab inopia nomen dare militiæ, preces obtulit anno 1744. *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus postulabat, ut annuum illud dotale subsidium sc.30. facto cumulo applicaretur pro dote sororis, aliarumque fœminarum, quæ a suis descendentibus orirentur. Data fuit hujus rei notio Eminentissimis Patribus, auditoque Episcopo, hic respondit Exequutores Testamentarios assensum præstare applicationi non tamen in infinitum, & dummodo possessores bonorum fideicommissariorum cætera Legata Pia adimpleant, atque in hac sententia ipse quoque Episcopus fuit. Oblatis igitur a Josepho novis precibus anno 1745. Eminentissimi Patres iis rescripserunt *die 7. Augusti -- Episcopo pro meliori informatione, & voto, & præsertim pro firmatione status hæreditatis, & docto de adimplemento Legatorum*.

Post longas moras rescripsit tandem Episcopus Legata Pia impleta fuisse ad integrum annum 1752., excepta dote, cujus applicationem, & cumulum postulat Joseph pro sorore. Ex firmatione status hæreditatis compertum esse redditus ascendere ad annua sc.128., detractisque oneribus, vix pro hærede superesse annua sc.18. Sententiam itaque suam esse, ut indulgeretur applicatio dotis. Post hoc responsum Joseph anno 1756. novas obtulit preces, quibus postulabat applicationem subsidii dotalis ab anno 1752 cum adjectione aliorum annorum in futurum arbitrio S. Tribunalis: sed Emi Patres in *Congregatione* habita *die* 28.*Augusti* eodem anno 1756. rescripserunt-- *Episcopo pro meliori informatione, & voto juxta instructionem* -- quæ fuit, ut Episcopus exquireret, an Exequutores Testamentarii consensum applicationi præstarent. Respondit Episcopus alios ex iis consensum denegare, alios illum præstare pro annis dumtaxat præteritis, se in ea esse senten-

tia

tia, ut ex causa paupertatis indulgeri possit applicatio etiam pro aliquibus annis futuris. Ad rem igitur finiendam vocatis in jus iisdem Exequutoribus, Causa nunc proponitur disputante Josepho, debitam esse dotem Puellis de sanguine prælativè ad extraneas, quibus utpote incertis nullum jus quæsitum est: Hanc esse Doctorum sententiam, cum præsumi nequeat Testatorem ignotis extraneisque potius, quàm consanguineis Puellis consulere voluisse, si putasset eas ob inopiam dotari non posse: Hanc esse Praxim Tribunalium centenis Sacræ hujus Congregationis decretis comprobatam: Hæc Joseph. Ab Exequutoribus Testamentariis nondum libellum habuimus. Dubium est.

An, & ad quot annos applicanda, sive assignanda sit sorori Josephi hæredis gravati Dos, de qua agitur in casu &c.

Affirmativè ad decennium incipien. ab anno 1752. inclusivè, & amplius.

Sess. 23. c. 6. de Ref.

CREMONEN. DISPENSATIONIS. Hæreditate sua fundari jussit Andreas Rosa tria simplicia Beneficia in Ecclesia Parochiali Terræ Pomponisci Diœceseos Cremonensis, eorumque Patronatum legavit Communitati ejusque Prioribus hac lege -- *che habbiano da nominare, e presentare a detti Beneficj Chierici nativi di questa Terra, che siano di buon nome, e fama, e che siano abili a dir l' officio, e non forestieri, e quando non vi fossero Chierici, nomineranno Sacerdoti del Paese come sopra, e dovranno sempre preferire nella nomina Preti delle Casate del Sig. Dovara, del Sig. Alfiere Settimio Brunelli, del Sig. Coppi, e del Fellini se ve ne saranno*. Erectis Beneficiis, alterum eorum vacavit mense Decembris anni 1756., & Priores elegerunt Clericum Josephum Carolum Brunellium, qui nondum undecimum ætatis annum impleverat, quique ob id ætatis veniam postulavit a Sacratissimo Principe Nostro. At obstitit alius Clericus Jacobus Antonius Magotti, ideoque Causæ cognitio Sacro huic Tribunali data fuit. Re comperta a Patronis, alium cumulativè præsensentarunt Clericum Hermenegildum Fellini, qui decimumtertium ætatis annum nondum compleverat, hac tamen conditione, ut nullum jus ad Beneficium ex ea præsentatione acquireret, nisi in casu, quo primus veniam ætatis a Sede Apostolica impetrare non posset, & hanc conditionem agnoverunt ejusdem Clerici Hermenegildi Parentes. Auditus interim fuit ab hoc Sacro Tribunali Episcopus, qui Edicta proposuerat advocandos interesse habentes; At, cum lex fundationis ignota esset, Eminentissimi Patres in *Congregatione* habita *die* 18. *Junii* anno nuper transacto, rescripserunt libello Clerici Brunelli -- *Dilata, & scribatur Episcopo pro meliori informatione transmissa particula fundationis, & citatis omnibus interesse habentibus*.

Ite-

Iterum propositis Edictis, cessit Clericus Jacobus Carolus Magotti, & sese Brunellio contradictorem præstitit Clericus Hermenegildus Fellini. Causa igitur, hoc contradicente, proponitur, & disputat Brunellius veniam ætatis, quam ipse postulat, ut Beneficium assequatur, a Dataria Apostolica facilè concedi, neque ab hoc Sacro Tribunali denegari, ut constat centenis exemplis, quæ in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg.* occurrunt, & præsertim in *Brixien. Dispensationis* 1. *Martii eodem anno*, *in Cathacen. Dispensationis* 15. *Martii eodem anno in Barcbinonen. Dispensationis* 30. *Januarii* 1740.. *in Lucana Beneficii, seu Cappellaniæ* 17. *Maii* 1749., *& in Asculana Cappellaniarum super Dispensatione* 22. *Augusti* 1750., neque officere Testatorem voluisse, ut Clerici præsentandi *siano abili a dir l' officio*, cum Episcopus testetur hanc Brunellio esse capacitatem; Episcopo autem omnem fidem esse habendam. Hinc rejiciendum esse Clericum Hermenegildum Fellini, sive ipse jus suum capiat a præsentatione, sive a lege fundationis: nam si præsentationi nititur, hæc conditionem habet adjectam, ut supra diximus, nullum jus ei quæri posse ex hac præsentatione, nisi quo casu primus præsentatus, sive Clericus Brunellius veniam ætatis a Sede Apostolica impetrare nequeat, neque posse sese contradictorem gratiæ dispensationis præstare, ut eludat conditionem adjectam suæ præsentationi, præsertim cum ejus Parentes eamdem conditionem agnoverint, & lubentes acceperint. Quod si legi fundationis nitatur, hæc eum excludat, cum ipse sit e Familia Fellini ultimo loco vocata, Brunellius verò e Familia secundo loco nominata. Hæc Brunellius. A Clerico Fellini nihil adhuc habuimus. Dubium est.

An sit concedenda dispensatio, & respectivè relaxanda supplicatio in casu &c.

Affirmativè.

Die

Die Sabbathi 15. Aprilis 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes primæ, quas damus, Cauſæ in *ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 4. tranſacti *Menſis Martii* dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem*: Rogamus itaque EE. PP., ut ad eas definiendas *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

Seſſ. 21. c. 7. de ref.

URBEVETANA JURISDICTIONIS, cujus duo ſunt Capita.

I. *An Camerarius, ſeu Adminiſtrator Bonorum Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis Urbis Veteris valeat opus, de quo agitur, vel aliud quodlibet moliri in, & circa eamdem Eccleſiam ſine licentia Epiſcopali, & participatione, ac conſenſu Capituli in caſu &c.* Et quatenus negativè.

II. *An conſtet de ſufficienti conſenſu Epiſcopi, itaut ſit locus proſequutioni Operis incepti, ſeu potius omnia ſint reducenda in priſtinum ſtatum, & cujus expenſis in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad ſecundam expenſis Camerarii.

Seſſ. 22. ca. 10. de ref.

VADEN., SEU URBANIEN. ROGITUUM, cujus pariter duo ſunt Capita.

I. *An, & in quibus caſibus conſtet de privativa Notarii, & Cancellarii Curiæ Epiſcopalis Urbaniæ rogandi omnes actus inter vivos, & ultimæ voluntatis tam Eccleſiaſticorum quàm locorum Piorum in caſu &c.*

II. *An conſtet de exemptione Cancellarii Epiſcopalis Urbaniæ tam a taxa Archivii, quàm ab aſportatione Exemplarium Rogituum ad idem Archivium Communitatis Urbaniæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam Reſolut. *in Comen.*, & juxta Elenchum datum in app. Concilii Romani. Ad II. Negativè exceptis actis contentis in Reſolutione Dubii.

VA-

VADEN, SEU URBANIEN., in qua duo alia dubia disputantur. *Sess. 22. c. 10. de ref.*

I. *An juxta solitum quietantiæ, & extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem Acta, per quæ rogata fuit obligatio in casu &c.*

II. *An, & quæ Protocolla Instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivium publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Affirmativè exceptis actis contentis in Resolutione primi Dubii alterius Causæ.

CIVITATIS PLEBIS LEGATI. Dedimus omnem hujus Causæ speciem *in Folio Congregationis* habitæ *die* 18. superioris *Mensis Februarii*, sed dilationem postulante Advocato Fargna, EE. PP. eam indulserunt *ad hanc Congregationem*. Repetita igitur *ejusdem Folii* lectione, expediendum erit Dubium. *Sess. 22. ca. 6. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

MONTIS PELUSII, SEU HIERACEN. SPOLII: Proposita fuit hæc Causa, & definita *in eadem Congregatione* habita *die* 18. *Mensis Februarii*. Duo erant ejus Capita. *I An, & quomodo Testamentum bon. mem. Episcopi de Rubeis Montis Pelusii, deinde Hieracen sustineatur in casu &c. II. An, & quomodo sit distribuenda illius hæredttas in casu &c.* His responderunt EE. PP. *Ad I. Testamentum sustineri quoad Legata in eo relicta vigore Indulti, dummodo non excedant in totum summam Ducatorum mille de Camera: in reliquis autem bonis ab una vel alia Ecclesia provenientibus, & ab Episcopo adhuc vivente non distractis nequaquam sustineri, sed eadem bona utrique Ecclesiæ deberi Jure peculii absque ullo onere. Ad II. detractis prius Legatis, ut ad I. Bona, quæ proveniunt ab Ecclesia Montis Pelusii, juxta inventarium anni* 1750., *& non fuerunt ab Episcopo in ejus vita distracta deberi ipsi Ecclesiæ Montis Pelusii; Reliqua verò, Ecclesiæ Hieracen., atque ita hæreditatem esse inter dictas Ecclesias repartiendam*. Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, a quibus cognoscendum erit. *Sess. 22. c. 11. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess.23.ca.18. de ref.

POTENTINA BENEFICII: Vetus est hæc Causa in hoc Sacro Tribunali, & *die* 12. *Mensis Maji anno* 1753. proposito dubio. *An sit relaxanda supplicatio in casu &c.* Eminentissimi Patres contra Canonicum Januarium Cominellium illud definiverunt responso: *Negativè*. Post longas demum moras Extractis Partitis e Libris Seminarii Potentini, & firmato statu Beneficiorum reproposita Causa *in Congregatione* habita *die* 3. *Decembris* transacto *anno* 1757. Eminentissimi Patres responderunt: *In decisis, & amplius*. Re comperta a Ministris Datariæ Apostolicæ precibus adierunt *Sacratissimum Principem nostrum* postulantes *Audiri*, quòd unio Beneficii Collegio puerorum, seu Seminario Potentino perpetuum inferat detrimentum Juribus Datariæ. Rescripto igitur optimi Principis redintegrata Causa, onus nunc erit Eminentissimorum Patrum cognoscendi.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad primam.

Sess.23.c.6. de ref.

CREMONEN. DISPENSATIONIS: Dilationem frustra postulante Clerico Hermenegildo Fellini Eminentissimi Patres *in ultima Congregatione* habita *die* 4. transacti *Mensis Martii* Dubio hujus Causæ quod erat: *An sit concedenda dispensatio, & respectivè relaxanda supplicatio in casu &c.* Responderunt: *Affirmativè*. Hermenegildus igitur postulavit audiri, & nunc perpensis rationibus, quæ ab eo proponentur, cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.25.c.9. de ref.

NICIEN. CAPPELLANIÆ: Testamento, quo Romæ decessit anno 1754. Causidicus Jo. Antonius de Mays hæc scripsit, quæ suis verbis damus. *Ritrovandosi esso Sig. Testatore diversi Stabili, e Censi a di lui favore imposti da diverse persone in detta sua Patria* (nempe Villa Franca) *questi tutti tanto in sua proprietà, che ne frutti di essi, tanto finora decorsi, e non pagati, quanto in avvenire da decorrere, intieramente lascia per titolo di Legato, ed in ogni altro miglior modo alla Ven. Compagnia del Santissimo Confalone, e sotto il Titolo di S. Girolamo della sua Patria suddetta, di cui esso Signor Testatore da molti anni*

in

in quà n'è indegno Fratello , con peso , ed obligo alla suddetta Compagnia di fondare una Cappellania perpetua di celebrazione di Messe in suffragio dell'Anima sua , de' suoi Congiunti , ed Antenati ; lasciandone in tutto , e per tutto la cura , instituzione provista del Cappellano , e fissazione del numero di Messe all'arbitrio , e prudenza di Monsig. Illustrissimo , e Reverendissimo Vescovo di detta sua Patria , e da erigersi essa Cappellania colla sua ordinaria autorità di modo , che questa in tutto e per tutto in qualsivoglia futuro tempo , ed in perpetuum al medesimo Monsignor Illustrissimo Vescovo presente , e pro tempore aspetti , ed appartenga , e non altrimenti . Certiores de hac dispositione redditi tum Episcopus tum sodales in controversiam de Jurepatronatus acti sunt. Episcopus itaque sodalitium interpellavit, an vellet legatum agnoscere, & Cappellaniam fundare: sodales legatum agnoverunt, & Cappellaniam fundarunt, assignatis in ejus dotem bonis omnibus a Testatore relictis cum reservatione Patronatus, & Cappellanum nominarunt. Episcopus accepit fundationem, & dotem, rejecit Patronatum.

Proposuit inde Programmata, sive Edicta, quibus decem dierum terminum præfixit iis omnibus, qui jus sibi aliquod assererent in Bonis, & Censibus Cappellaniæ assignandis: cum nullus venisset, Cappellaniam erexit, servavitque sibi & successoribus jus eam conferendi; assignavit autem pro dote Cappellaniæ bona omnia, & Census, quos Testator Sodalitio legaverat, dato onere Rectori, seu Cappellano *celebrandi , seu celebrare faciendi in Oratorio* Sodalitii *Missas , quarum numerum sibi reservavit taxandum , habita distincta notitia redituum ejusdem Beneficii per informationes in contradictorio Cappellani nominandi sumendas* : Rectorem denique sive Cappellanum fecit Clericum Horatium Mariam Viani, qui, nullo contradicente, possessionem accepit. Sodales, audita repulsa a jurepatronatus, ad hoc Sacrum Tribunal venerunt. Auditus Episcopus rem omnem in epistola sua narravit, addiditque mandasse *Perito* ut Bona eorumque redditus æstimaret, *& cum ex ejusdem relatione*, ipsa sunt verba epistolæ, *necnon ex aliorum testium informationibus mihi constiterit , redditus bonorum , & Censuum ejusdem Beneficii ad scuta annua octuaginta monetæ Romanæ ascendere posse , habita ratione ad difficultatem annuos Census exigendi , nec non ad infortunia , quibus bona sunt subjecta , determinavi , celebrandas esse cum sacrificii applicatione secundum Testatoris mentem in Oratorio prædictæ Confraternitatis per dictum Rectorem &c. Missas omnibus diebus festivis de præcepto &c. & insuper quatuor aliis diebus ferialibus in unaquaque hebdomada cum onere tamen servandi indemne ipsum Oratorium ab omnibus expensis , quæ ratione celebrationis Missarum fieri debent .*

Hæc Episcopus: Causa inde omnis tribus Capitibus collecta fuit, quæ nunc proponuntur disputantibus Promotore Fiscali, & Clerico Viani nullum Sodalitio competere posse jus nominandi, aut præsentandi Rectorem sive Cappellanum, cum aperta sint, quæ

supra dedimus, Testamenti verba, quibus data fuit Episcopis *in tutto, e per tutto la Cura, Instituzione, Provista del Cappellano, e fissazione del numero di Messe*, aliaque, quibus Testator voluit, *che questa*, nempe Cappellaniam, *in tutto, e per tutto in qualsivoglia futuro tempo, & in perpetuum al medesimo Monsignor Illustrissimo Vescovo presente, e pro tempore spetti, & appartenga*: Eoque amplius, quod Sodales nudi sint in fundatione hujus Cappellaniæ Ministri, atque exequutores voluntatis Testatoris, ideoque nequeant sibi jura patronatus asserere, ut tradunt *Card. de Luca de Jurepatron. disc.55. n.12., & Monacell. in Formul. tom.1. tit.2. form.1.* Ex eodem quoque Testamento colligi omnia bona, omnesque Census, quæ Testatoris erant, in dotem tradi debuisse, itaut nulla ad Sodalitium portio spectare possit, neque Sodales de sumptibus, & impensis ob Sacra agenda, quærere debere, postquam hoc ab Episcopo onus Rectori datum est, ut patet ex ejus Epistola. Hæc Promotor, & Clericus Viani. A Sodalibus nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Reverendissimus Episcopus Niciensis potuerit sibi suisque Successoribus reservare jus conferendi Cappellaniam erectam sub Titulo Sancti Hieronymi in loco Villæ Francæ, seu potius Ven. Confraternitas nuncupata* del Confalone *sub eodem Titulo S.Hieronymi habeat jus nominandi seu præsentandi Cappellanum in casu &c.*

II. *An onus dictæ Confraternitati impositum fundandi Cappellaniam respiciat omnia, & singula bona eidem Confraternitati a bon. mem. Jo: Antonio de Mays legata, seu potius aliqua tantum eorum portio in fundationem dictæ Cappellaniæ sit impendenda, & residuum spectet ad dictam Confraternitatem in casu &c.*

III. *An, & in quo numero annuatim sint celebrandæ Missæ a Cappellano, & an ipse teneatur solvere Ven. Confraternitati utensilia, & in qua quantitate in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius. Ad II. & III. Fundandam esse Cappellaniam cum bonis redden. annua sc.60. mon. Romanæ, imposito onere Cappellano celebrandi Missam quotidianam, residuum vero spectare ad Confraternitatem cum onere subministrandi utensilia Cappellano.

Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr. BENEVENTANA MATRIMONII. Consuetudo, qua Vincentius Re per quam familiariter versabatur in domo Advocati Nicolai Riccii, eò pervenit, ut Anna ejusdem Advocati filia stuprum passa, læsionem quoque acceperit suæ famæ in opinione hominum Beneventanæ Civitatis. Ad læsum honorem reparandum Anna, & Vincentius, contractis sponsalibus, postularunt ab Archiepiscopo veniam contrahendi Matrimonium, sed obstitit Annæ Pater ob inæqualitatem conditionis, & inopiam Vincentii. Denegata igitur venia contrahendi matrimonium,

nium, Anna in *Conservatorium* conjecta fuit: Sponsi pertœsi mora ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt. Auditus Archiepiscopus eadem, quæ Pater, obiicit Matrimonio. Causa nunc proponitur, & disputant sponsi, consensum a Patre perperam denegari, cum ipse in causa fuerit amorum, præsertim cum Anna 25. ætatis annum excesserit, nec Pater Virum invenerit: Causas, quas proponit, insubsistentes esse, cum nulla sit inæqualitas inter has familias, & si esset, spectari non debeat: Inopem non esse Vincentium, ita ut uxorem alere non possit, & Fratrem habere, qui ad alimenta ipsis præstanda sese obstringit: Eò denique rem pervenisse, ut nisi Vincentio nubat Anna, alii nubere non possit, & perpetua famæ suæ læsione vitam ducere debeat, quæ res in causa esse deberet, ut si Vincentius Matrimonium contrahere nollet, deberet Annæ Pater eum compellere ad contrahendum. Hæc Sponsi. A Riccio nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus exequutioni Matrimonii in casu &c.

Dilata, & ad Mentem.

Die Sabbathi 22. Julii 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs. 23. c. 13. de refor.

POTENTINA BENEFICII. In ultima Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 15. tranſacti menſis *Aprilis* reſcriptum fuit huic Cauſæ -- *Dilata ad primam*. Damus itaque eam nunc obſequentes imperio Eminentiſſimorum Patrum, ut repetita lectione *Folii ejuſdem Congregationis* Dubium expediant.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

Seſs. 24. c. 5. de ref. Matr.

NULLIUS SANCTI BENIGNI NULLITATIS MATRIMONII: Species omnis hujus Cauſæ data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 14. ſuperioris *menſis Januarii*. Difficultates, quas movit *Defenſor Matrimonii*, Eminentiſſimos Patres impulerunt, ut ea, qua ſolent, diligentia rem penitius ſcrutarentur, ideoque reſponderunt -- *Dilata, & coadjuventur probationes, & extrahantur fides Baptiſmatum, & Matrimoniorum*. Impleta omnia fuerunt, & Cauſa nunc reproponitur, ut idem Dubium definiatur.

An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.

Affirmativè, & amplius.

Seſs. 25. c. 19. de regul.

PASSAVIEN. PROFESSIONIS. Contumace P. Æmiliano Gerlinks, qui jura non propoſuit, definita fuit hæc Cauſa in *Congregatione* habita *die* 3. *Decembris* ſuperiore *anno* 1757., Dubioque ejus, quod erat -- *An conſtet de validitate, vel invaliditate Profeſſionis in caſu &c.* reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Non conſtare de invaliditate Profeſſionis*. Ut res tandem expediatur, urſit Cauſæ repropoſitionem P. Abbas Cremiſanienſis, ideoque nunc cognoſcendum erit.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

RECI-

RECINETEN. SERVITII CHORI SUPER COMPULSORIA, ET REMISSORIA. Postquam Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ Recinetensis Clemens Politi obtinuit ab Eminentissimis Patribus in *Congregatione* habita *die* 9. *mensis Julii* transacto *anno* 1757. Literas compulsoriales, & remissoriales, ut veros Beneficiorum, quæ possidet, redditus probare posset, Præpositus ejusdem Ecclesiæ Carolus Centoflorinius in *Congregatione* habita *die* 20. sequentis mensis *Augusti* Dubium proponi curavit -- *An sit standum, vel recedendum a decisis super concessione Literarum compulsorialium, & remissorialium in casu &c.* -- cui Eminentissimi Patres responderunt -- *In decisis non omisso interim servitio quotidiano*. Cum vero hæc conditio displicuisset Archipresbytero, rediit ad hoc Sacrum Tribunal, ut ab ea recederetur, sed re in *Congregatione* habita *die* 14. superioris mensis *Januarii* proposita, scissis Eminentissimorum Patrum suffragiis rescriptum fuit -- *Iterum proponatur*. Nunc itaque idem Dubium proponitur, quod est. Sess. 24. c. 12. de refor.

An sit standum, vel recedendum a decisis in secunda parte Decreti in casu &c.

In ultimo loco decisis, & amplius.

ÆSINA MATRIMONII. Nuptias contrahere cupientibus Nicolao Cucchi, & Victoria Novelli obstitit Matthæus Nicolai Pater, expulso primum Filio e domo, inde vulgato Canonico impedimento, quòd ipse polluisset adulterio Magdalenam Victoriæ Matrem, & Nicolaus stuprum intulisset Angelæ sorori Victoriæ, sed, cum his spretis prima a Parocho facta fuisset denunciatio, tres venerunt Testes, qui de stupro a Nicolao Angelæ illato retulerunt. Suspensis igitur denunciationibus, certiores facti fuerunt a Curia Episcopali de hoc impedimento Nicolaus, & Victoriæ Pater. Nicolaus ad hoc Sacrum Tribunal venit, negavitque juratus constuprasse Angelam: Matthæus Nicolai Pater auditus a Curia Episcopali cognovisse inquit ex aliorum sermonibus Angelam a filio compressam fuisse, se vero polluisse Angelæ matrem, paratumque esse id jurejurendo confirmare. Episcopus ab hoc Sacro Tribunali, ut fieri solet, rogatus rem deduxit ad stuprum Angelæ illatum a Nicolao, de quo tres, ut diximus, Testes retulerunt: Agi inquit de matrimonio contrahendo, non de contracto: ad impediendum matrimonium contrahendum leviores satis esse probationes, etiam quæ ex unico Teste educantur, ut *in cap. 2. de consang. & affin. & in cap. 2. de testib.* Sess. 24. c. 4. de ref. Matr.

Hæc Episcopus. Causa nunc proponitur, disputantibus Nicolao, & Victoria quæstionem omnem definitam fuisse ab Innocentio Tertio *in cap. cum in sua Diœcesi. de Sponsal. & Matrim.* ubi ait --

ad

ad desistendum monere poteris , non compellere contrahentes -- Rem hanc plenam esse calumniarum , quas movet Matthæus , ne Matrimonium inter eos contrahatur : de honestate Angelæ , quæ nunc nupta est , Testificationem facere Parochum aliosque viros integerrimos : Nicolaum negasse juratum stuprum illatum : Testes qui de hoc stupro retulerunt , a Matthæo submissos fuisse , ut unus ex his declaravit : Infames eos esse , & vitiis notatos , ut nulla iis in re , quæ publice non fit , habenda sit fides. Hæc Nicolaus , & Victoria . A Matthæo nihil habuimus . Dubium est .

An constet de canonico impedimento , seu potius sit locus celebrationi Matrimonii in casu &c.

Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam.

Sess.22. c.6. de refor.

ROMANA LEGATI . Testamento , quo decessit Joseph Camillus Valentinus Auximanus , & in Foro Romano Causidicus , condi voluit in Templo S. Mariæ Lauretanæ Nationis Picenæ , cui legavit sc.200. , tribus his adjectis oneribus , quæ suis verbis exprimimus : *Primo di farsi celebrare nella stessa Chiesa mille Messe per suffragio dell' anima sua . Secondo di fare nell' Altare del Santissimo Crocefisso una vetriata con li piombi dorati per coprire , e custodire quella santa statuetta per maggior venerazione. Terzo di concedersi da' Signori Deputati della Congregazione segreta nella detta Cappella del Santissimo Crocefisso , oppure nell' altra Cappella , che stà dirimpetto un sito proporzionato per la costruzione del deposito* . Tanta vero fuit hujus cenotaphii cupidit s , ut addiderit -- *sodisfatti li suddetti Legati tutto quanto avanzerà de' miei effetti di Roma si convertirà in denaro , e si fabrichi un deposito elevato nella detta Cappella del Santissimo Crocefisso , oppure nell' altra Cappella dirimpetto , rimettendomi in questa parte in tutto , e per tutto alla premura, ed attenzione degl' Infrascritti miei Esecutori* . Proposita hac dispositione in Congregatione secreta , visum fuit ea exequi non posse , aliumque modum Exequutori Testamentatio proposuit , ut nempe loco specularium ad Altare Sanctissimi Crucifixi fierent candelabra , aut opertorium vulgo *Paliotto* impresso nomine , & stemmate Testatoris , & cenotaphium alio loco erigeretur , honesto equidem , in cujus conspectu aliæ sunt monimenta Benefactorum ejusdem Ecclesiæ .

Renuit primum Exequutor Testamentarius consensum præstare his mutationibus , inde agnita necessitate variandi modum adimplendi voluntatem Testatoris assensum præstitit . Varius denique , & inconstans ad primum rediit suæ mentis propositum , & precibus oblatis *Sacratissimo Principi Nostro* postulavit , ut vel eo , quam Testator voluerat , modo illius voluntas sine mora exequeretur , vel sibi fieret potestas Testatoris voluntatem in

alia Ecclesia adimplendi. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, a quibus semel, atque iterum rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Protector Nationis Picenæ, ut animi sui sententiam aperiret. Rescripsit binis Epistolis causas, quibus Testatoris voluntas eo, quem Testator designaverat, modo exequi non poterat, probavit mutationem modi, & loci in eadem Ecclesia, nam quod monimentum Testatoris Piceni, qui in Ecclesia Picenorum condi voluerat, & conditus erat, in alia Ecclesia poneretur, incongruum omnibus videri debebat. Causa nunc igitur duobus collecta capitibus, quorum primo de mutatione specularium, & loci cenotaphii, altero vero agitur de solvendis utensilibus ob mille sacra, Eminentissimis Patribus definienda proponuntur, disputante Exequutore Testamentario ultimas defunctorum voluntates ratas esse debere: nihil proponi, cur exequi Valentini voluntas non possit, & specularia apponi, loca duo esse vacua in Cappellis, quas Testator designavit in conspectu cenotaphiorum, quæ posita fuerunt amplissimis S. R. E. Cardinalibus Marefuschio, & Simonetto, neque incongruum esse, ut in conspectu Cardinalium sint juris periti, & legum doctores: Utensilia pro sacris adventitiis, & manualibus, qualia hæc dicenda sint, non esse præstanda sæpius ab hoc S. Tribunali responsum fuisse.

Contra vero Congregatio exequi non posse disputat opus specularium, quod Altaris faciem dehonestaret, & requireret impensam sc.200., ut ab Architectis relatum est, cum tamen soluto stipendio mille sacrorum, non supersint in legato tot pecuniæ quot necessariæ sunt ad opus conficiendum, neque onerandam esse Ecclesiam perpetuo hoc onere sarta tecta servandi specularia, in aliam itaque rem convertendum esse legatum, ut memoria Testatoris alio, & licito genere celebretur, sicuti ab Herennio Modestino scriptum est in *leg. Legatum* 16. *de usufr. leg.* De loco cenotaphii hæc disputantur; vetitum esse iis poni, qui nullo nomine inter mortales fuerunt: Sanctiones Pontificii juris collegerunt *Tomasin. vet. & nov. Eccles. discipl. tom.*3. *lib.*1. *cap.*67. *num.*2. *Card. Laurea in Epitom. Canon. Verb. Sepultura. Pignatell. consul.*48. *num.*1. *tom.*4. *Medic. de Sepult. tom.*2. *quæst.*7. *num.*4. *Card. Petra ad Constit.*3. *Cœlestini III. sect.*1. *num.*12. Pretium saltem esse solvendum Ecclesiæ, ut tradunt *Barbos. in cap. abolendæ num.*2. *de Sepult. Lara de Anniv. lib.*1. *cap.*15. *n.*17. *Frances de Eccles. Cathedr. cap.*16. *num.*89. *Lotter. de re Benefic. lib.*1. *quæst.*4. *num.*13. Congregationem tamen neque vetare, ut ponatur, neque postulare pretium: satis esse, ut ponatur honesto loco, non in illustri, atque honestissimo, qui reservatur S. R. E. Cardinalibus, eoque amplius, quod ad elegantiam servandam, & concinnitatem necesse esset Valentini cenotaphium respondere illis, quæ in conspectu sunt Cardinalium Marefuschii, & Simonetti. Impensa autem, qua unumquodque eorum positum fuit, absumpsit sc.1700.: huic vero impensæ impares esse vires patrimonii Valentini, quod vix est sc.600.

Utensilia denique pro mille Sacris solvenda esse ad rationem unius obuli pro quolibet sacro, cum res non sit de adventitiis, & manualibus, sed de grandi Sacrorum numero, quo casu utensilia solvenda esse centies ab hoc Sacro Tribunali responsum fuit. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua ratione expedienda sint duo controversiæ hujus Capita.

I. *An voluntas Testatoris præter celebrationem mille Missarum sit commutanda, & quomodo in casu &c.*

II. *An, & pro qua summa debeantur Utensilia pro celebratione dictarum Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta Votum Emi Protectoris, & amplius.
Ad II. Negativè.

Sess. 24. c. 4. de ref. Matr.

FAVENTINA MATRIMONII. Conscientiæ stimulis actus Nobilis Vir Hieronymus Pasius uxorē ducere statuit Joannam Mattheucci, qua adversæ suæ valitudinis gratia, quam familiariter utebatur: Matrimonium autem clam omnes contrahere diù studuit, sed frustra, præpedientibus semper consanguineis, ne vetus eorum nobilitas servili cognatione pollueretur. Pertesus igitur Hieronymus nocte 31. mensis Martii anno 1756. vocato in ædes suas Sacerdote Petro Nediani, qui absentis a Civitate Parochi, & ex deputatione Episcopi munus confessarii extraordinarii Monialium in Castro Fugnani exercentis, vices gerebat, coram eo, & duobus famulis Matrimonium contraxit, pronunciantibus Johanna, & Hieronymo solemnia verba nuptiarum. Id ubi rescitum est a Curia Episcopali, duo instructi fuere processus alter criminalis ad pœnam exigendam, qui solutione scut.50. absolutus fuit: civilis alter ad Matrimonii nullitatem probandam. Interrogationibus Promotoris Fiscalis subjecti fuerunt Vicarius ille Nediani, qui Matrimonio præsens fuerat, Parochus, qui aberat Matrimonii tempore, & duo Testes matrimoniales, non deputato *Defensore Matrimonii*, neque servata forma cognitissimæ Constitutionis *Sacratissimi Principis nostri*. Post hæc duæ latæ fuerunt sententiæ altera nullitatis Matrimonii, altera libertatis eorumdem Conjugum novum inter se Matrimonium contrahendi. Appellarunt ab hac sententia ad Tribunal A. C. consanguinei Viri, & Vicarius Generalis appellationem admisit, sed decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi *remissa fuit Causa ad eumdem Vicarium Generalem, qui procederet extrajudicialiter ad celebrationem Matrimoni, & concederet licentiam contrahendi Matrimonium.*

Dum autem Curia Episcopalis cunctatur hoc decretum exequi consanguinei viri Johannam vi armata rapuerunt, transtuleruntque in

in alienam ditionem. Querelam Vir proposuit, sed tandem restituta muliere, dum uterque postulat exequi Decretum, repulsam acceperunt, quod raptus tempore Eques Jacobus Pasi filius fratris Hieronymi, qui mulierem in alienam ditionem transtulerat, eam cognovisset, ideoque obstaret Matrimonio contrahendo impedimentum affinitatis. Re ad hoc Sacrum Tribunal delata, postulant Hieronymus, & Johanna declarari non constare de nullitate Matrimonii ab ipsis contracti coram Vicario Nediani, & si res Eminentissimis Patribus dubia videatur responderi, renovandum esse ad cauthelam juxta formam Concilii. Validum fuisse Matrimonium contra quam censuit Curia Episcopalis, quæ illud pronunciavit nullum, negata tam a Parocho, quam a Vicario facultate assistendi Matrimoniis, quia cum contractum fuerit coram Vicario relicto a Parocho absente, Vicarius hic licet facultas expressa ei a Parocho data non fuerit, habeat tamen illam a lege, Tridentino nempe Concilio, cum deputatus dicatur ad universam curam animarum, ad differentiam Cappellani, vel Vicarii Parochi præsentis, cui facultas expressa a Parocho dari debet, ideoque de Matrimonii validitate ambigendum non esse, ut tradunt *Navarr. in cap. placuit n.69. de pœnit. & remiss. Fagnan. in cap. quod nobis* 2. *num.*23.28. & 29. *de cland. de spons. Piring. in decretal. lib.*1.*tit.*28. *sect.*1. *num.*23. & 24. *Picler ad eumdem tit.* §.3. *num.*14. *in fin. Schmalzgreub. par.*4. *jur. canon. tit.*18. §.1. *num.*8. & 10. *Sanchez de Matrim. lib*,3. *disput.*31. *num.*19. *in fin.* & *disput.*35. *num.*8. *Diana par.*11. *tract.*5. *resol.*32. *quæst.*2. & 3. aliisque, qui proponuntur.

Quod si adhuc Dubium aliquod superesse possit, renovandum sit Matrimonium ad cauthelam juxta praxim, quam in aliis similibus Causis servavit hoc Sacrum Tribunal, quia non probetur Vicarium illum non habuisse facultatem assistendi Matrimoniis, aut specialiter vetitum ei fuisse, ne Matrimonio, de quo quæritur, præsentiam præstaret, cum tam Parocho, quam Vicario nulla habenda fides sit, quod contraria dixerint, seseque invicem collidant, & alia Matrimonia contracta fuerint coram eodem Vicario, nullamque eorum examinis, totiusque processus habendam esse rationem, cum factus fuerit non servata forma Constitutionis *Sanctissimi Domini Nostri*, ideoque nullus sit, nullamque probationem constituere possint, quæ in eo sunt. Despiciendum denique esse impedimentum affinitatis, quod obiiciunt Viri consanguinei, quia, cum cognitam fuisse Johannam ab Equite Jacobo ex ipsius Equitis assertione probetur, qui præcipuum habet in hac Causa interesse, nilque intactum relinquit, ut Matrimonium hoc non contrahatur, nulla fides ei, qui propriam turpitudinem detegit, haberi debeat, ut tradunt *Gloss. in can. extraordinaria* 35. *quæst.*3. *verb. Sacramenti. Hostiens. in cap. præterea num.*3. *de sponsal. Monacell. in formular. tom.*1. *tit.*8. *form.*9. *num.*2., & pluries respondit hoc Sacrum Tribunal, ut in *Signina Matrimonii* 23. *Februarii* 1606., *in Tudertina Matrimonii* 24. *Januarii* 1632., *in Pisauren. Matrimonii* 12. *Novembris*

bris 1689., *in Asculana Matrimonii* 1690. 6. *Maii*, *in Salisburgen. Matrimonii* 22. *Septembris* 1696., *in Tropien. Matrimonii* 28. *Novembris* 1705., *& in Neapolitana Matrimonii* 25. *Januarii* 1722. Hæc atque alia plura Hieronymus, & Johanna. A Consanguineis Hieronymi nihil habuimus. Dubium eſt.

An conſtet de validitate Matrimonii, ſeu potius ſit renovandum ad cauthelam in caſu &c.

Renovetur coram Parocho, & Teſtibus ad cauthelam, & amplius.

Seſs. 22. c. 6. de refor.

BARCHINONEN. OPERIS PII, SEU MISSÆ QUOTIDIANÆ. Fundavit anno 1702. Sacerdos Johannes Padrell in Parochiali Eccleſia B. Mariæ Virginis *de Mari* Civitatis Barchinonæ opus pium perpetuum ſacri quotidiani cum abſolutione in fine agendi ad aram majorem ejuſdem Eccleſiæ hora meridiana a Vicario perpetuo, aliiſque Beneficiariis, & Cappellanis ejuſdem Eccleſiæ ſervato inter eos ordine turni cum eleemoſyna octo ſolidorum pro quolibet Sacro, quorum ſeptem, & denarii ſex Sacerdoti præſtari deberent, reliqui vero ſex denarii Ædituo, ſeu Sacriſtæ Eccleſiæ. Huic pio operi univit legatum ſexaginta ſeptem ſacrorum annuorum, quæ in eadem Eccleſia agi juſſerat ejus mater Franciſca Vilar. Præcipuæ hujus fundationis leges hæc fuerunt, quas hic damus ſuis verbis: *Ordinans quod caſu, quo in futurum inveniatur in dicta Eccleſia aliquis Presbyter, ſeu Cappellanus ejuſdem de genere meo tam ex linea paterna, quam materna, qui dictam velit quotidianam celebrare Miſſam poſſit, & debeat ipſam celebrare, non obſtantibus quibuſcumque impedimentis per dictum R. Vicarium perpetuum, & inſignem communitatem Presbyterorum Parochialis fortaſſe opponendis, quia ipſa tali caſu ceſſare volo; necnon quod caſu, quo eſſent in dicta Eccleſia Parochiali duo, vel plures Presbyteri reſidentes, de genere meo debeat tali caſu inter ſe æqualiter dividi celebratio dictæ Miſſæ quotidianæ, ſeu facultas eam celebrandi*. Has leges ita declaravit: *quibus quidem conjunctis meis, qui dictam Miſſam modo prædictio celebraverint, nullum ideo inferatur præjudicium Miſſarum charitate majori ſeptem ſolidorum, & ſex denariorum, ſeu illius charitatis de qua dicta Miſſa quotidiana per me cum præſenti inſtituta die obitus mei dotata exiſtet, immo quando erunt in turno Miſſarum charitatis majoris debeant dictæ Miſſæ in eorum epodigiis reſpectivè ſignari, & continuari*.

Alias addidit leges, quas longum, & inutile eſſet referre inter quas facultatem augendi eleemoſynam Sacrorum, & reſervationem uſusfructus dotis pii operis, quam conſtituit in proprietate librarum 2979., & ſolidorum decem, quæ partim proveniebant a quibuſdam Perſonatibus ab ipſo extinctis, partim a dote, & fundo Sacrorum 67. relictorum a Franciſca Vilar, partim denique ex ſuo patrimonio. Hanc fundationem, ejuſque leges

leges agnovit Communitas Presbyterorum, & Episcopi auctoritas confirmavit. Anno inde 1705. eleemosynam sacrorum auxit idem Fundator ad solidos duodecim pro quolibet Sacro, secrevitque a suo opere pio Sacra illa 67., quæ agi voluerat Francisca Vilar, subrogatis aliis fundis, quorum redditus respondebant doti separatorum Sacrorum, data tamen facultate Communitati Presbyterorum postulandi ab Episcopo novam eorumdem Sacrorum unionem, si redditus solidorum sex pro quolibet Sacro non haberentur. Acta hæc sunt a Fundatore *sine præjudicio primæ fundationis*, & *sine ejusdem innovatione*. Anno demum 1711. iterum auxit eleemosynam Sacrorum, jubens, ut diebus festis præstaretur in solidis viginti, repetitis tam clausula *sine præjudicio primæ fundationis*, quam lege prælationis Presbyterorum consanguineorum, quibus voluit, ut cederet *omnis charitas*, & *augumentum*. Post hæc dissidia orta sunt inter Fundatorem, & Communitatem Presbyterorum, quod hi fructus dotis operis pii, quos sibi donec viveret, servaverat, non solverent, aut moram facerent, & rationem administrationis bonorum reddere recusarent. Pœnituit igitur Fundatorem pium opus suum in ea Ecclesia fundasse, jamque parabat Testamentum suum mutare, & alia in Ecclesia sepulturam eligere, sed sive quia amici eum ab hoc proposito revocaverint, sive quia eum mors occupaverit, nihil egit.

Morte obita a Fundatore Sacrorum, quæ ipse instituerat, onus implendum suscepit Joseph Vilar conjunctus e linea materna. Hic litem egit cum Communitate, quæ ipsi negabat facultatem illud adimplendi *per alium*, & victa fuit Communitas sententia Vicarii Generalis; Josepho Vilar successit Sacerdos Johannes Leopoldus Padrell Fundatoris Consanguineus. Graviores inter hunc, & Communitatem Presbyterorum ortæ sunt lites, & controversiæ, quarum aliæ fuerunt, de quantitate eleemosynæ quam ex causa reductionis censuum assignatorum in dotem pii operis, non integrè præstare Communitas intendebat, Aliæ vero de facultate ejusdem Sacerdotis reassumendi adimplementum Sacrorum, quæ ipse absens valetudinis adversæ causa per menses aliquot intermiserat; negabat enim Communitas eum reducem reassumere posse adimplementum operis pii. Rursus contendebat Communitas fundationem rescindendam esse, quia fuisset læsiva ob censuum, qui in ejus dotem constituti fuerant, reductionem. Augumentum quoque eleemosynæ Sacrorum, quæ agebantur diebus Festis, adimendum esse, & parem omnium Sacrorum, quæ singulis diebus agi debent, esse stipendium. His accessit factum custodis Archivi ejusdem Communitatis, a quo idem Sacerdos impetrare non potuit probationes Sacrorum, quæ ipse absens, ut diximus, valetudinis gratia, prætermiserat, quæque reversus egerat; decretum quidem traditionis earumdem probationum tulit Vicarius Generalis, indicta etiam pœna, ni Custos ille obtemperaret, sed appellavit Custos, & Vicarium ejusque decretum elusit. Hæc omnia in

causa

causa fuerunt, ut omnes consanguinei, atque Exequutores Testamentarii Fundatoris preces offerrent *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus postulabant traslationem hujus operis pii ad aliam Ecclesiam, ut ita lites omnes tollerentur, & quies perpetua haberetur. Postulationis hujus cognitio Sacro huic Tribunali data fuit, & audito jam Episcopo, Causa omnis tribus Capitibus collecta fuit, quorum lectione intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. Longum enim esset in facto tam longo Leopoldi, & Consanguineorum rationes excerpere. A Communitate nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An sit locus translationi Operis Pii in casu &c.* & quatenus negativè.

II. *An Leopoldus Padrell possit celebrare, dimittere, & reassumere celebrationem Missarum in casu &c.*

III. *An teneatur Communitas solvere eleemosynas Missarum celebratarum cum absolutionibus in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. Affirmativè juxta liquidationem faciendam cor. Ordinario, & amplius.

Sess. 22. c. 8. de ref.

AQUIPENDEN. EXPENSARUM. Testamento, quo decessit anno 1750. Canonicus Johannes Savinius post legatum usumfructum partis dimidiæ omnium suorum bonorum Franciscæ Studiosi ita inquit -- *Item voglio, che dopo la mia morte di tutti li miei beni stabili, e censi se ne fondi un Benefizio, o Cappellania, cioè per adesso per la metà de suddetti Beni, e dopo la morte della mia Signora Cognata si accresca di tutto quello, che ho lasciato alla medesima al suddetto Benefizio nella Chiesa Catedrale di questa Città d' Acquapendente con l' obligo di tante Messe l' Anno secondo frutteranno li suddetti stabili a raggion di bajocchi venti per ciascheduna Messa, e di servire alla suddetta Chiesa Catedrale tutte le Feste, e la Settimana Santa, e dichiaro, e nomino per il primo adesso il Signore Canonico Sordoni con liberarlo di servire alla sua Chiesa*. Exequutores denique suæ voluntatis nominavit ipsum Canonicum Sordoni, & Ferdinandum Rolium, cui suffectus fuit Raymundus Rolius. Defuncto Testatore, erectum fuit Beneficium, institutus fuit Canonicus Sordoni, data eidem possessione bonorum; Sed Fratres Savinii Senenses, qua ex antiquo Fideicommisso jus in bonis illis habere putabant querelam in Curia Ecclesiastica proposuerunt nullitatis erectionis, & institutionis ob non servatam formam publicæ affixionis edictorum.

Agnita

Agnita ab Exequutoribus hac nullitate, confugerunt pro sanatione ad *Sanctissimum Dominum Nostrum*, qui eam concessit, Literis suis Apostolicis directis Rotæ Auditorio. Fratres Savinii his visis renunciarunt querelæ propositæ reservantes sibi jura agendi ex Fideicommisso: sed, semel & bis victi fuerunt. Finitis litibus, Raymundus Rolius petiit, ut reficerentur impensæ, quas ipse fecerat, ab hæreditate Testatoris, inter quas illa erat Literarum Apostolicarum. Auditus ab hoc Sacro Tribunali Episcopus omnes probavit, exceptis, quæ factæ fuerant pro iisdem literis, vel quia necessariæ non fuissent, cum posset ritè recteque fieri erectio, & dari institutio nominato a Fundatore sine edictorum propositione, vel quia, si necessariæ fuerunt, refici deberent a Canonico Sordoni, non ab hæreditate Testatoris. Rescripserunt igitur Eminentissimi Patres: *Pro Gratia, deductis tamen expensis Bullarum Beneficii*, sed iterum, urgente Rolio, visum fuit rem esse in *Folio* referendam *citatis Promotore Fiscali, & Beneficiato, necnon transmissa dispositione*. Omnibus impletis, disputat nunc Rolius edicta omitti sine nullitate non potuisse ob apertam sanctionem *Textus in cap. fin. de elect. in 6.*, atque hanc esse communem Doctorum sententiam, hanc esse Curiarum Ecclesiasticarum praxim. Necessariam itaque fuisse impensam Literarum Apostolicarum, ideoque reficiendam, præsertim, cum post eas fratres Savini renunciaverint: sua nihil interesse, a quo hæc impensa sarciatur, judiciumque esse Eminentissimorum Patrum. Hæc Rolius. A Promotore Fiscali, & Canonico Sordoni nihil habuimus. Dubium est.

An sint reficiendæ expensæ Bullarum Beneficii, & per quem in casu &c.

Iterum proponatur.

Die

Die Sabbathi 12. Augusti 1758. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Sess.23. c.13. de Ref.

POTENTINA BENEFICII. Dilationem in *ultima* Amplissimi ordinis *Congregatione* habita *die* 22. transacti *mensis Julii* postulante Dataria Apostolica Eminentissimi Patres rescripserunt -- *Dilata ad sequentem*. Obsequimur itaque eorum imperio, & Causam hic damus, ut cognoscatur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis in casu de quo agitur, & amplius.

Sess.24. c.12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI. Causa hæc, quæ agitur inter Archipresbyterum Politi, & Præpositum Centoflorinium definita fuit in *Congregatione* habita *die* 17. *Septembris* superiore *anno* 1757. Tria erant ejus Capita: I. *An Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur interesse divinis Officiis in Choro una cum cæteris Canonicis, & Dignitatibus quotidie, seu potius diebus tantum Festivis, & de Præcepto itaut sit standum, vel recedendum a decreto de anno* 1722.? & quatenus affirmativè ad primam partem. II. *An, & a qua die, & in qua summa teneatur solvere fallentias pro tempore præterito?* III. *An, & quam summam teneatur deponere in casu, quo debeat interesse solis diebus Festivis, & de Præcepto in casu &c.* His responsum fuit -- *Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad II. Affirmativè a die motæ litis pro tertia parte reddituum. Ad III. Provisum in primo*. Postulavit Præpositus *Audiri*, & re proposita Causa *in Congregatione* habita *die* 14. *mensis Januarii hujus anni* Eminentissimi Patres rescripserunt -- *Dilata, & scribatur Episcopo pro Informatione, & præsertim super qualitate, & quantitate redditUum Præpositurae*. Omnibus impletis Causa nunc proponitur, ut definiatur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

NI-

NICIEN. CAPPELLANIÆ. Dedimus hanc Causam in *Folio Congregationis* habitæ *die* 15. superioris *mensis Aprilis*, & tribus ejus Dubiis, quorum Primo erat -- *An Reverendissimus Episcopus Niciensis potuerit sibi suisque Successoribus reservare jus conferendi Cappellaniam erectam sub titulo S. Hieronymi in Loco Villæ Francæ, seu potius Ven. Confraternitas nuncupata* del Confalone *sub eodem titulo S. Hieronymi habeat jus nominandi, seu præsentandi Cappellanum in casu &c.* Secundo vero, *An onus dictæ Confraternitati impositum fundandi Cappellaniam respiciat omnia, & singula bona eidem Confraternitati a bon. mem. Jo: Antonio de Mais legata, seu potius aliqua tantum eorum portio in fundationem dictæ Cappellaniæ sit impendenda, & residuum spectet ad dictam Confraternitatem in casu &c.* Tertium denique, *An, & in quo numero annuatim sint celebrandæ Missæ a Cappellano, & an ipse teneatur solvere Ven. Confraternitati utensilia, & in qua quantitate in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius. Ad II. & III. Fundandam esse Cappellaniam cum bonis reddentibus annua scut.60. monetæ Romanæ, imposito onere Cappellano celebrandi Missam quotidianam. residuum vero spectare ad Confraternitatem cum onere præstandi Cappellano utensilia.* Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & cognoscendum est. Sess.25. c.9. de Ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

URBEVETANA JURISDICTIONIS. Post longas moras, & repetitas dilationes, quas impetravit *Camerarius* Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Urbis veteris, definita tandem fuit hæc Causa ab Eminentissimis Patribus in *Congregatione* habita *die* 15. transacti *mensis Aprilis* frustra novam *dilationem* postulante eodem Camerario. Duo erant ejus Capita -- I. *An Camerarius, seu Administrator Bonorum Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Urbis veteris valeat opus, de quo agitur, vel aliud quodlibet, moliri in, & circa eamdem Ecclesiam sine licentia Episcopali, & participatione, ac consensu Capituli in casu &c.*, & quatenus negativè. II. *An constet de sufficienti consensu Episcopi, itaut sit locus prosequutioni Operis incepti, seu potius omnia sint reducenda in pristinum statum, & cujus expensis in casu &c.* His responsum fuit -- *Ad I. Negativè. Ad II. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam expensis Camerarii.* Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, a quibus cognoscendum est. Sess.21. c.7. de Ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad primam post aquas etiam unica.

Sess.22. c.10 de Ref.

VADEN., SEU URBANIEN. ROGITUUM. Hæc quoque, & quæ hanc sequitur Causa proposita, & definita fuit in eadem *Congregatione diei* 15. transacti mensis *Aprilis*, & duobus ejus Dubiis, quorum primum erat -- *An, & in quibus casibus constet de privativa Notarii, & Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ rogandi omnes actus inter vivos, & ultimæ voluntatis tam Ecclesiasticorum, quam Locorum Piorum in casu &c.* Alterum vero -- *An constet de exemptione Cancellarii Episcopalis Urbaniæ tam a Taxa Archivii, quam ab asportatione exemplarium Rogituum ad idem Archivium Communitatis Urbaniæ in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal -- *Ad I. Affirmativè ad formam resolutionis in Comen., & juxta elenchum datum in Concilio Romano. Ad II. Negativè exceptis actis contentis in resolutione primi dubii*, Cum nunc reproponatur, respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess.22. c.10. de ref.

VADEN., SEU URBANIEN. Duo quoque erant hujus Causæ Dubia - I. *An juxta solitum quietantiæ, & extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem acta, per quæ rogata fuit obligatio in casu &c.* II. *An, & quæ Protocolla Instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivium publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*, & de his quoque cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 25. c.1. de Regul.

URBINATEN. Erecta fuit auctoritate Episcopali *anno* 1636. in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi Civitatis Urbini Congregatio Presbyterorum Oratorii Sancti Philippi Nerii, cui paullo post Cardinalis Sanctacrucius Archiepiscopus redditus omnes addixit ejusdem Ecclesiæ, & Presbyteros ejusdem Congregationis immunes, exemptosque esse voluit a reddenda ratione Archiepiscopi administrationis eorumdem redditīum. Hanc erectionem, atque exemptionem probavit, confirmavitque Summus Pontifex Clemens X.; idem factum fuit sæculi hujus initio ab Optimo Principe Clemente XI., qui etiam eamdem Presbyterorum Congregationem honestatam esse voluit privilegiis, gratiis, & exemptionibus, quæ indulta fuerunt Congregationi Presbyterorum ejusdem Oratorii Sancti Philippi, quæ Romæ est in Ecclesia S. Mariæ, & Gregorii in Vallicella, inter quæ illud præcipuum est, ut Presbyteri ejusdem Congregationis immunes sint a quacumque Jurisdictione, & Visitatione Episcopali. Summus denique Pontifex Benedictus XIV. Brevi suo Cardinalis Sanctacrucii decretum confirmavit, eamdemque Congregationem im-

immunem esse jussit ab omni Jurisdictione, & auctoritate Archiepiscoporum, quibus vetuit, ne se in administratione Bonorum ejusdem Congregationis miscerent, quam voluit integram esse apud ejus Præpositos. Cum tamen inde quidam P. Ubaldinius in administratione Bonorum, & redditcuum Congregationis male se gessisset, & gravi ære alieno Congregatio premeretur, Archiepiscopus anno 1745. postulavit ab eodem Summo Pontifice facultatem compellendi Præpositum Ubaldinium ad reddendam rationem administrationis, & eam facultatem obtinuit per epistolam *Secretariæ Status*, qua declaratus fuit in hanc rem Delegatus Apostolicus.

Ex redditione rationis compertum est Præpositum Ubaldinum non solum debitorem esse, sed etiam plurimum detrimenti intulisse Congregationi distractis ejus bonis. Ut igitur Archiepiscopus rem ejus restitueret, Presbyterum sæcularem administrationi præposuit, probavitque hanc deputationem Summus Pontifex, scripta epistola a Cardinali Levizzanio libellorum Magistro. Cum autem Administrator ille sæcularis duriter, & acerbe se ageret, Patres Congregationem deseruerunt, neque alii suffecti sunt, & in eam allecti, licet non deessent, neque desint nunc, qui cooptari, & recipi cuperent, & cupiant, quod per Civitatem rumor percrebuerit Archiepiscopo curæ esse, ut Congregatio illa penitus dissolveretur. Unus tamen constantissime perstitit Presbyter Joachim Cialdinius, qui expuncto jam ære alieno Congregationis, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut libera bonorum administratio Congregationi restitueretur, amoto sæculari illo Sacerdote administratore, atque sibi facultas tribueretur alios Presbyteros allegendi, & recipiendi in suam Congregationem. Auditus, ut mos est, Archiepiscopus restitutam esse refert rem Congregationis, & omne æs alienum dispunctum fuisse; negat adesse Congregationem, cui bona restitui debeant, & libera eorum administratio, cum unus dumtaxat ex ea superfit; negat expelli, & removeri posse Administratorem, quia Cialdinius superstes *incapax sit ministerii*, aliaque habet de iis, qui Congregationi huic nomen dare cupiunt, ut plenius Eminentissimi Patres ex ejus epistola dignoscere poterunt.

Causa nunc duobus collecta Capitibus proponitur, & disputat Cialdinius explorati Juris esse Monasterium, Conventum, Congregationem, Universitatem extare, dici, & superesse, donec unus superfit ex iis, qui Conventum, Collegium, Congregationem, Universitatem constituebant, atque in hoc uno omnem coalescere potestatem, jurisdictionem, auctoritatem, quæ erat in Universitate, Collegio, Congregatione, Conventu, ut est apertus *Textus in leg. sicut §. final. ff. quod cujusque univers. nomin.*, itaut hic solus omnia possit, quæ omnes potuissent, ut recte disserunt aliis collectis *Abbas in cap. gratum num.*9. *de Postulat. Prælator. & in consil.*25. *n.*2. *Leuren. for. Benefic. lib.*2. *quæst.* 24. ideoque sibi tantum jus esse alios Presbyteros in Congregationem admittendi, & recipiendi, non Archiepiscopo, cui Jura hanc potestatem non tribuunt, cuique Pontificiæ Constitutiones om-

omnem in hac Congregatione poteſtatem, & juriſdictionem ademerunt. Si ſecus fiat, perituram funditus Congregationem ſummo Civitatis illius detrimento, & bona ejus in alia Loca Pia transferenda eſſe: Removendum vero eſſe Adminiſtratorem, & bona, eorumque reddituum adminiſtrationem reddendam eſſe Congregationi, quoniam reſtituta ejus re, ceſſaverit cauſa, ex qua Adminiſtrator iſte præpoſitus fuit: Rem denique omnem confici reſponſis S. hujus Tribunalis in *Siracuſana* 18. *Sept.* 1751., in qua ipſiſſima quæſtio agebatur. Purgat ſe demum Cialdinius ab iis, quæ obiicit Archiepiſcopus. A Promotore Fiſcali nihil habuimus. Dubia ſunt.

I. *An liceat P. Cialdinio Presbytero Oratorii S. Philippi Nerii Urbini alios Presbyteros in Congregationem admittere juxta Inſtitutum dictæ Congregationis in caſu &c.*

II. *An ſit removendus Oeconomus, & reſtituenda reſpective eidem Congregationi libera adminiſtratio in caſu &c.*

Affirmativè ad utrumque.

Seſſ. 22. c. 8. de ref.

EUGUBINA. Teſtamento, quo deceſſit anno 1628. Vitalis Angeli Villæ Ghignani, ſcripta hærede Gentili uxore, poſt ejus mortem ſubſtituit in univerſa hæreditate Communitatem Caſtri Schiggiæ *con queſto patto, e condizione eſpreſſa*, verba ſunt Teſtamenti, *che per ciaſchedun anno in perpetuo debba dare la terza parte delli frutti, che ſi raccoglieranno nell' eredità di detto Teſtatore alli Priori del Ven. Oſpedale de' Santi Giacomo, e Filippo che per tempo ſaranno in Officio, quali Priori debbano detta quantità diſpenſare per l' anima di detto Teſtatore in opere pie, ed a poveri, o per la Chieſa, o in qualſivoglia modo ad eſſi parerà più eſpediente, e neceſſario, con dichiarazione eſpreſſa, che neſſun' altra perſona tanto ſecolare, quanto eccleſiaſtica poſſa pretendere diſpenſare la detta terza parte de' Frutti per qualſivoglia pretenſione, ma che il tutto ſia alla diſpoſizione di detti Priori.* Ex fructibus vero aliarum duarum partium ſuæ hæreditatis voluit, ut Syndici Communitatis *debbano il giorno del Venerdì Santo, & il giorno della Solennità del Corpo di Criſto ciaſchedun' anno in perpetuo far elemoſina per l' anima di detto Teſtatore, cioè che prima debba dare in tali giorni un groſſo per ciaſcheduna Famiglia alli Abitatori della Villa di Ghignano, e della Villa del Monte, ed anche in tali giorni debbano fare altre elemoſine alli poveri del luogo della Schieggia, e ſuo contorno conforme alla povertà, e biſogno.*

Præmium autem laboris dari voluit Syndico *ſcudi dieci per ciaſchedun' anno, quali debba avere nel fine del ſuo officio con queſto, che ſia tenuto, ed obligato a tener buon conto della robba, e far coltivare le Poſſeſſioni, tener conto de' Beſtiami, e far altre coſe neceſſarie, e tanto debito.* Quod ſi hæc negligerit, noluit ei præmium

eseguisca le cose dette fedelmente in luogo del Sindico, e che li scudi dieci, che doveva avere il Sindico, li debba avere quello, che sarà eletto dal Consiglio, cioè per quell' anno, e poi cavato il nuovo Sindico debba avere il peso medesimo, ed emolumento con le condizioni già dette, e così duri in perpetuo. Suscepta a Syndicis, seu Prioribus Communitatis post obitum Gentilis, bonorum hæreditariorum administratione, ita diligentes fuerunt, ut ex annuis redditibus onera excedentibus hæreditatem ipsam emptis aliis bonis pinguiorem reddiderint, & tamen anno 1750. nomine Pauperum, & Prioris Hospitalis oblatæ fuerunt preces Summo Pontifici, quibus de incuria, & negligentia in administratione redditunm Syndici Communitatis accusabantur, & remedium petebatur. Data fuit hujusce rei cognitio Eminentissimis Patribus, a quibus auditus Episcopus Eugubinus, rescripsit, diminutos esse redditus hæreditarios, & decrementum tribuit *annali Syndicorum mutationi*. Huic autem incommodo prospici posse censuit, si bonorum administratio personæ, vel ab Episcopo, vel a Communitate nominandæ committeretur cum onere reddendi rationem Vicario foraneo, curavitque Episcopus, ut Syndici illius anni consensum huic mutationi præstarent, quem præstitisse deceptos nunc ipsi testantur.

Hoc igitur Sacrum Tribunal *die* 31. *Julii* 1751. Precibus rescripsit, ut *Episcopus, veris existentibus narratis, pauperum Oratorum precibus pro suo arbitrio, & conscientia annueret*. Hoc accepto rescripto, decrevit Episcopus, ut bona hæreditaria Vitalis Angeli ab Administratore, qui annali mutationi non sub esset, administrarentur, & duos nominavit Administratores alterum, qui præcedenti, alterum, qui eo anno Syndici fuerant Communitatis. His tamen amotis anno sequenti, Administratorem deputavit ipsum Syndicum ejus anni, atque hi omnes inde testati sunt sese administrationem gessisse non uti deputatos ab Episcopo, sed uti Syndicos Communitatis. Hæc methodus Episcopi Communitatem commovit, statuitque litem contra Episcopalem Curiam agendam esse: Literas etiam hanc in rem dedit ad Emum D. Cardinalem Stoppani tunc Provinciæ Præsidem, qui datis ad Emos Patres literis quæstus est de sua Jurisdictione ab Episcopo Eugubino turbata. Sed his nihil commotus Episcopus bonorum Administratorem nominavit Archipresbyterum Turchetti, quem omnium harum novitatum auctorem credit Communitas, & quem neque diligentem, neque fidum Administratorem esse contendit. Re igitur ad Judicium delata, disputat nunc Communitas administrationem ad suos Syndicos pertinere, non ad eos, quos Episcopus nominaverit, cum aperta sit litera testamenti Vitalis Angeli, eoque amplius, quod diminutio redditunm hæreditariorum impicta annali Syndicorum mutationi non subsistat, cum redditus aucti fuerint non diminuti, & si subsisteret satis consultum fuisse a Testatore verbis, quæ supra dedimus, ut nihil opus sit remedio invento ab Episcopo, ut in detrimentum jurium Communitatis jurisdictionem suam ampliaret.

Addit

Addit Jus visitandi, & exigendi rationes Legatorum Piorum, quæ Communitatum subsunt administrationi, Legatis, & Præsidibus Provinciarum competere *privativè* juxta formam Brevium Pontificiorum, itaut nulla Episcopis competat Jurisdictio, ne *cumulativa* quidem, licet ex Sacrorum Canonum dispositione eam habeant, cui Summos Pontifices derogare posse non ambigitur, præsertim, cum Præses Provinciæ in hac possessione sit, & si quando de administratione hujus Pii Legati Vicarii foranei cognoverint, vel clam Præsides id fecerint, vel ex Præsidum delegatione: frustra vero *cumulativam* Jurisdictionem sibi asserere Episcopum Eugubinum, cum non agatur de re dubia, ut declarant *Felin. in cap. Pastoralis sub num. 2. Vers. limita primo de offic. ordinar. Roman. cons.* 1393. *num.* 11. *ibique Adden. lit. A. Ferrett. cons.* 142. *n.* 15.; Qua tamen in re Eminentissimi Patres ad memoriam revocare poterunt, quæ ab ipsis definita fuerunt in *Fanen. Jurisdictionis* 18. *Junii transacto anno* 1757. *&* 4. *Martii hujus anni*. Quod si etiam *cumulativa* competere possit Jurisdictio Eugubino Episcopo, præferri debere Præsidum Decreta, quæ Pontificia auctoritate feruntur, non Episcopi Judicis inferioris, ut tradunt *Pignatell. consult.* 21. *n.* 1. *& consult.* 22. *n.* 3. *tom.* 2. *Nicol. in Floscul. Verb. Visitatio num.* 1. *ampliat.* 3. *Vers. etiam Parochiales. Card. Petra ad Const.* 4. *Callixti III. sect.* 2. *sub n.* 142. *in fin. tom.* 5. Hæc atque alia Communitas: a Promotore Fiscali nihil habuimus. Duo sunt Causæ capita.

I. *An Administratio hæreditatis Vitalis Angeli spectet ad Priores quotannis eligendos a Communitate Schiggiæ ad formam Testamenti, sive potius ad alios deputandos ab Episcopo, itaut sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.?*

II. *An Jus visitandi, & revidendi computa ejusdem administrationis privativè spectet ad Eminentissimum Legatum, seu potius sit locus cumulativæ, & quomodo?*

Ad I. Prævio recessu a decisis affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad II. Dentur Decreta in Fanen. die 18. Junii 1757. & 4. Martii 1758.

Sess. 22. c. 8. de reform. & Sess. 25. c. 3. de regul.

ALERIEN. LEGATORUM. Cappellaniam sub titulo S. Jacobi Apostoli in Ecclesia PP. Cappuccinorum Sanctæ Reparatæ Provinciæ Bananiæ fundavit, certisque designatis bonis immobilibus dotavit Testamento condito anno 1706. Reparata Fondacci ea lege, ut eadem bona *restino sempre illesi in perpetuo in dote di detta Cappella, e di quelli ne sia sempre vero, e legitimo Padrone per tutti i tempi il Procuratore, e Sindico pro tempore di detto Convento &c. costituendo in detti beni, o sia nell' usufrutto li medesimi Sindici &c. e che ne siano loro li veri Padroni dispotici nel modo come sopra.* Uxoris pietatem sequutus Andreas Fonducci Testamento, quod condidit anno 1727. eidem Cappellæ legavit Census librarum mille monetæ Genuensis, ut eorum usuris Syndici Sacra agi curarent. Hæredes horum Testatorum annis 1733. &

1739

1739. dubia moverunt de his dispositionibus vindicantes sibi dominium bonorum, & contendentes sibi debitum Jus nominandi Cappellanos, sed Episcopali sententia rejecti fuerunt, pronunciatum Jus esse Syndici, damnati hæredes ad solutionem stipendii sacrorum 476. Devenit utraque hæreditas ad Simonem Joannem Licciam, qui, cum debitor esset stipendii Sacrorum 1416., absolutus fuit a Tribunali Fabricæ S. Petri cum conditione tamen -- *dummodo non sit recidivus*. Anno vero 1756. distraxit Census librarum mille monetæ Genuensis, & cum urgeretur a Syndico Patrum Cappuccinorum ad solutionem eleemosynæ Sacrorum, quæ Patres egerant preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut ob suam paupertatem absolveretur a debito, & facultas ei tribueretur alienandi bona, quæ in dotem Cappellaniæ constituta fuerant, eorumque pretium in suæ familiæ usum convertendi -

Auditus Episcopus rescripsit firmasse statum, & ex ejus *fructuum calculo patere vix fieri satis alendis novem personis existentibus in ea Familia adjuncto labore, & industria, hinc ad collocationem nubilium fœminarum facilitandam, & ad sublevandas patris, & filiorum conscientias aliquod remedium est profecto necessarium*. Ipse aliud remedium *suggerere non valet, quam reducendi Missarum celebrationem ad quantitatem fructuum perceptibilium ex fundis prædiorum designandorum pro valore bis mille librarum Genuensium in prædiis melioris conditionis, quo medio subveniri poterit, & Missarum satisfactioni, & familiæ necessitatibus.* Addit denique Episcopus eamdem Reparatam in Codicillis voluisse, *quod si Patres Cappucini incapaces essent retinendi penes se prædicta Prædia, Terras nempe fructiferas, possessio transiret ad hæredes cum eodem onere*.

Causa nunc proponitur, & disputat Syndicus remedium ab Episcopo suggestum exequi non posse, quia inutile semper erit: Paupertatem familiæ Licciæ non subsistere, damnandumque esse hæredem ad solutionem eleemosynæ Sacrorum: Hæc autem in aliis Ecclesiis agi non posse, cum obstet voluntas Testatorum, qui in eorum Cappella agi ea voluerunt: neque obesse incapacitatem PP. Cappuccinorum possidendi prædia, quia res non sit de incapacitate absoluta, sed ratione modi; condemnandum quoque esse hæredem ad reintegrationem bonorum distractorum, quæ in dotem Cappellaniæ constituta sunt: Administrationem denique eorumdem bonorum dandam esse Syndico, ut ita voluntas Testatorum impleri possit, quæ difficile erit, ut exequatur, si penes hæredes administratio sit. Hæc Syndicus. A Simone Liccia nihil habuimus. Tria sunt Causæ Dubia:

I. *An Legata Missarum tam adimpleta, quam adimplenda usque in præsens sint ab hæredibus solvenda?*

II. *An Bona in dotem Cappellaniæ assignata, & ab hæredibus alienata sint ab iisdem reintegranda?*

III. *An in posterum dicta bona Cappellaniæ, ut supra in dotem assignata, administranda sint per Syndicum, seu Procuratorem pro tempore Conventus in casu &c.*

Ad I. & II. Affirmativè. Ad III. Negativè, & Episcopus provideat de idoneo Administratore exclusis Hæredibus.

Die

Die Sabbathi 2. Septembr. 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs.24. c.12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI: Dedimus hanc Cauſam in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 12. tranſacti *menſis Auguſti*, ſed propoſita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, & Eminentiſſimi Patres repetita ejuſdem *Folii* lectione cognoſcere poterunt, qua ratione expediendum ſit Dubium.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius in omnibus.

Seſs.24. c. 4. de Ref. Matr

ÆSINA MATRIMONII. Definita fuit hæc Cauſa contumace Matthæo Cucchi, *in ultima Congregatione* habita *die* 22. tranſacti *menſis Julii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An conſtet de Canonico impedimento, ſeu potius ſit locus celebrationi matrimonii in caſu &c.* Reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Negativè ad primam, affirmativè ad ſecundam partem*. Properans Victoria Novelli urget cauſæ repropoſitionem, ideoque cognoſcendum eſt.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Seſs.22. c.11. de ref.

MONTIS PELUSII, SEU HIERACEN. SPOLII. Duobus hæc Cauſa Dubiis inſtructa data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 18. ſuperioris *menſis Februarii*. Horum primum erat -- *An, & quomodo Teſtamentum bonæ memoriæ Epiſcopi de Rubeis Montis Peluſii deinde Hieracen. ſuſtineatur in caſu &c.* alterum vero: *An, & quomodo ſit diſtribuenda illius hæreditas in caſu &c.* His reſpondit Sacrum Tribunal -- *Ad I. Teſtamentum ſuſtineri quoad Legata in eo relicta vigore indul-*

indulti, dummodo non excedant in totum summam ducatorum mille de Camera : In reliquis autem bonis ab una, vel alia Ecclesia provenientibus, & ab Episcopo adhuc vivente non distractis nequaquam sustineri, sed eadem bona utrique Ecclesiæ deberi jure Peculii absque ullo onere. Ad II. Detractis prius Legatis, ut ad primum bona, quæ proveniunt ab Ecclesia Montis Pelusii juxta Inventarium anni 1750., *& non fuerunt ab Episcopo in ejus vita distracta deberi ipsi Ecclesiæ Montis Pelusii : Reliqua vero Ecclesiæ Hieracen., atque ita hæreditatem esse inter dictas Ecclesias repartiendam.* Post hanc definitionem Causam iterum dedimus *in Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *mensis Aprilis*, sed proposita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, novo hoc Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

FAVENTINA, SEU IMOLEN. ELECTIONIS. Bis jam hæc Causa data fuit, numquam definita : Primum *in Folio Congregationis* habitæ *die* 29. *Maii anno* 1756., quod publici juris factum fuit *in Volum.XXV. Thesaur. Resolut. Sacr. Congregat.*, responditque ea die Sacrum Tribunal -- *Dilata, & audiatur Episcopus*. Inde *in Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Aprilis* superiore *anno* 1757., quod pariter in lucem hominum editum fuit *in Volum.XXVI. ejusdem Thesaur. Resol. Sacr. Congregat.*, & in quo omnia narravimus, quæ a Maria Biancoli electa a Sodalitio Sanctissimi Sacramenti proponebantur contra Antoniam Medri, quæ ab Electione provocavit, quæque ab Episcopo gesta fuerant, ut etiam statum Patrimonii Biancoli. Proposito igitur ea die Dubio -- *An, & de cujus vocatione constet, & quæ sit præferenda in casu &c.* Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata, & reformetur Dubium*. Causa nunc novis Dubiis instructa tertio proponitur, ut Amplissimi Patres repetita lectione eorumdem *Foliorum*, quæ habentur in *Volum. XXV., & XXVI. Thesaur. Resolut. Sac. Congregat.*, & ex quibus Causæ status dignoscitur, respondere possint. *Sess. 22. c. 8. de ref.*

I. *An electio Mariæ Biancoli sustineatur?* & quatenus negativè.

II. *An pro loco vacante in Monasterio S. Claræ Cotiniolæ præferenda sit Antonia Medri, sive potius sit locus novæ electioni in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam.

Sess. 24. c. 18. de ref.

TUDERTINA PAROCHIALIS. Vacata Parochiali Ecclesia Sancti Silvestri Civitatis Tuderti, indictoque ab Episcopo concursu, ad eum præfinita die venerunt quinque Sacerdotes Carolus Olivieri Sacerdos Tudertinus, Michael Nicolaus Balducci Urbinas Parochus Castri Turrium Tudertinæ Diœceseos, Erminius Fabri Parochus Castri Collis ejusdem Diœceseos, Cosmus Pardi Lucensis, Carolus Bartoli Parochus Castri Chioani Diœceseos Tudertinæ; impletis omnibus, quæ facere jussi fuerant, ad scrutinium venerunt Examinatores Synodales. Sacerdos Oliverius sexdecim tulit suffragia: Parochus Baldacci duodecim, ut reprobatus fuerit, quod mirum accidit Examinatoribus: Convenerunt igitur, ut novum fieret experimentum; distributis calculis, excussaque urna, quinque eruperunt suffragia. Omnibus igitur injecta suspicio est alicujus erroris, & bene inspecta urna, compertum est calculos in ea retentos fuisse. Decreverunt igitur Episcopus, & Examinatores, ut nulla de antecedentibus scrutiniis ratio haberetur, & ex integro ferrentur suffragia: Oliverius tulit 22. Baldaccius 20. Fabrius 22. Bartolus 19. Pardius 15. omnes igitur approbati fuerunt: Episcopus prælegit Nicolaum Baldaccium a Parochianis Curæ vacantis petitum, commendatum a Decurionibus Civitatis, & Parochis vicinorum Locorum Castro Turrium, eumque in possessionem Ecclesiæ, & Curæ vacantis immisit. Appellavit Erminius Fabrius, qui 22. tulit suffragia, auditoque Episcopo, actis etiam concursus transmissis Causa nunc proponitur: disputat Baldaccius probandum esse Episcopum humani aliquid passum fuisse, ut ab ejus judicio recedatur: id longe abesse in re præsenti cum Baldaccius Fabrio præstet ætate, Sacerdotio, muneribus, officiisque, & si Fabrius 22. tulit suffragia, Baldaccius vero 20. id probare dumtaxat Fabrium doctrina, & scientia præcellere, quod ad rem parum pertinet. Hæc Baldaccius, a Fabrio nihil habuimus. Dubium est.

An constet de irrationabili Judicio Episcopi in casu &c.

Negativè, & amplius.

Sess. 22. c. 6. de ref.

BONONIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Testamento, quo decessit Joanna Lucilla Biondi, scripto hærede Monasterio, & Monialibus Sanctorum Bernardini, & Marthæ jussit, ut detracta quarta parte reddituum, deductisque oneribus, quod reliquum esset reddituum hæreditariorum a Monialibus deponeretur in æde sacra, *e venendo li casi, che qualche Cittadine di Bologna ben nate, ma povere, si volessero monacare, e farsi professe in detto loro Monastero, e non avessero modo*

modo di poterlo fare, ſiano obligate dette RR. Suore a ſovvenirle di quello vi mancaſſe alla dote, o elemoſina dotale con delle renaite ſuddette depoſitate, e conforme ſarà giudicato dalle RR. Suore Superiori di detto Monaſtero pro tempore. Pergit Teſtatrix, atque ait - *preferendo ſempre quelle Donzelle, che vi foſſero de' Signori Boſelli diſcendenti tanto da maſchi, quanto da femine de Boſelli, e non altrimenti, ne in altro modo, e tutte le ſuddette coſe in ogni miglior modo, che di ragione farſi può*, indicta etiam Monialibus caducitate, ſi ſecus facerent, ac ipſa juſſit in Teſtamento. Defuncta Teſtatrice compertum eſt redditus deductis oneribus deponendos aſcendere ad annuas libras 1200., itaut cumulus redditimum erogandorum in ſubſidia dotalia ab anno 1711., quo deceſſit Teſtatrix, ſit librarum 56400., e quibus, ſubductis dotibus collatis in ſumma librarum 33200., remanent in æde ſacra libræ 23200.

Cum autem nullæ ſint Puellæ, quæ Monaſterium illud ingredi velint, & ſubſidiis egeant, duæ ſorores Gaudentii Petronilla, & Birgitta deſcendentes a Boſellis, ſed per duplicem fœminarum gradum, quarum prima in Monaſterio Sanctæ Mariæ Charitatis veſtem illius Ordinis ſuſcepit, & probationis annum jam explevit, altera vero idem Monaſterium ingredi cupit, & ab ejuſdem Monialibus jam cooptata eſt, ſed utraque dote caret, preces obtulerunt defuncto Principi Benedicto XIV., ut Teſtatricis voluntatem commutaret ratione dumtaxat Monaſterii, atque ita capaces fiant ſubſidia dotalia conſequendi licet in alio Monaſterio Sanctæ Mariæ Charitatis Profeſſionem emittant. Poſtulationis hujus cognitio Eminentiſſimis Patribus data fuit, auditoque jam Eminentiſſimo Archiepiſcopo Cauſa nunc proponitur diſputantibus ſororibus Gaudentiis rem eſſe de mutatione partis voluntatis defunctæ, quæ ſubſtantiam ejuſdem voluntatis non lædit, cum parum interſit, an in uno, vel alio Monaſterio ipſæ ſe Deo dedicent: Voluntatis enim ſubſtantiam eſſe, ut quæ dotalia ſubſidia conſequi volunt Puellæ in Domino nubant, non in ſæculo: Monaſterium Sanctorum Bernardini, & Marthæ ſtare dumtaxat demonſtrativè, non vero taxativè, ideoque non poſſe obſiſtere commutationi voluntatis ratione ſolius loci colore detrimenti, quod ei inferretur, transferendo dotes in aliud Monaſterium Sanctæ Mariæ Charitatis, quas acquireret Monaſterium Sanctorum Bernardini, & Marthæ, ſi in eo Puellæ Profeſsionem emitterent: Eoque amplius commutationem hanc permittendam ex veroſimili Teſtatricis voluntate, cum agatur de Puellls ſanguine conjunctis, & pauperibus, quas putandum non eſt Teſtatricem repellere voluiſſe a ſubſidiis dotalibus, quia in alio Monaſterio ſeſe Deo dedicare velint.

Illud etiam cogitandum eſſe nullas alias concurrere Puellas ſive extraneas, ſive deſcendentes a Boſellis, quæ Monaſterium SS. Bernardini, & Marthæ ingredi velint, quo caſu de commuta-

mutatione voluntatis dubitari posset ratione detrimenti, quod inferretur Puellis obsequentibus voluntati Testatricis, quamquam hoc quoque casu commutationi locus esse posset, cum etiam subductis e deposito subsidiis dotalibus duarum sororum, ingens in æde sacra supersit pecuniarum cumulus, quibus aliis Puellis sive extraneis sive descendentibus a Bosellis, quæ Monasterium Sanctorum Bernardini, & Marthæ ingrediantur, subsidia dotalia præstari possint. Satius esse hæc subsidia Sororibus Gaudentiis tribuere, etiamsi in alio Monasterio sese dedicent Deo, quam inutiles in æde sacra pecunias esse, præsertim ad averruncandum scandalum, quod obveniret, si Puella, quæ jam probationis annum explevit in Monasterio Sanctæ Mariæ Charitatis, vestes religiosas deponeret, & e Monasterio egrederetur, & alia, quæ jam a Monialibus cooptata fuit, non admitteretur, quorum utrumque denegata commutatione eveniret ob angustiam rei familiaris paternæ, e qua præstari dotes Monasterio impossibile est: nullam denique habendam esse rationem exceptionis Monasterii Sanctorum Bernardini, & Marthæ, quod Sorores Gaudentii per duas fœminas a Bosellis descendant. Apertam enim esse Testatricis dispositionem, quam supra dedimus *discendenti tanto da maschi, quanto da femine de Boselli*, ex quibus manifestum est non esse distinguendum, an per unam an per duas pluresque fœminas descendant: Hæc atque alia Sorores Gaudentii. A Monasterio Sanctorum Bernardini, & Marthæ nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An sit locus commutationi voluntatis in casu &c.*; & quatenus affirmativè.

II. *An sint assignandæ dotes Petronillæ, & Birgittæ Gaudentii Adami pro nubendo in Domino in Monasterio Sanctæ Mariæ Charitatis Tertii Ordinis Sancti Francisci Bononiæ in casu &c.*

Ad utrumque Negativè, & amplius.

Sess. 23. c. 5. de ref.

LUCANA CAPPELLANIÆ. Preces obtulit Aloysius Moni defuncto Principi Benedicto XIV., quibus postulabat, ut cum dispositio testamentaria Fratris sui Michaelis Angeli Moni, qua construi jusserat novam Ecclesiam, sive Oratorium in Oppido Gallicani, atque in ea fundari Rectoriam, quæ Jurispatronatus esset ejusdem Aloysii, & inde Primogenitorum omnium ab eo descendentium in infinitum, exequi non poterat, Testatoris voluntatem commutaret, & in levamen numerosæ, atque inopis suæ Prolis fraternam hæreditatem ei

ei addiceret cum lege adimplendi onera a Teſtatore data Rectori. Poſtulationis hujus cognitio data fuit Ampliſsimis Patribus, a quibus *die 6. Maii anno* 1752. precibus reſcriptum fuit -- *Pro Gratia commutationis in Cappellaniam Laicalem in Eccleſia Sancti Jacobi erigendam firmis remanentibus oneribus a Teſtatore præſcriptis*. Reſcriptum hoc impleverunt Exequutores Teſtamentarii, & Doti hujus Cappellaniæ univerſam Teſtatoris hæreditatem adſcripſerunt: Aloyſius autem Patronus anno 1756. primum Cappellanum nominavit Clericum Bartholomæum Moni filium ſuum, qui vigeſimum tertium ætatis annum tunc agebat. Eo nominato, Exequutores Teſtamentarii novas preces eidem defuncto Principi Benedicto XIV. obtulerunt, poſtulantes, ut eam nominationem Apoſtolica auctoritate confirmaret, licet Cappellanus nominatus onera Cappellaniæ per ſe ipſum implere non poſſet. Data iterum fuit novæ hujus poſtulationis cognitio Eminentiſsimis Patribus, a quibus, ut moris eſt, auditus fuit Archiepiſcopus.

Reſpondit hic ex verbis Teſtamenti Michaelis Angeli Moni colligi poſſe nominandum fuiſſe Cappellanum actu Sacerdotem. Ait enim Teſtator -- *con obligo al Rettore di eſſere Sacerdote, e Confeſſore dentro il tempo, e termine preſcritto dai Sagri Canoni a i Rettori di Reſidenza, ne poſſa ſuffragarli alcuna facoltà ottenuta de non promovendo* -- & paulo inferius -- *qual Rettore debba, e ſia tenuto per ſe medeſimo officiare in detta Chieſa, o Canonica in figura di Rettore di Reſidenza, ne poſſa ſoſtituire altro Sacerdote con fine di ripatriare, o dimorare fuori della Terra di Gallicano altro, che da quel breve tempo conceſſo dalli Sagri Canoni alli Beneficiati, e Rettori di Reſidenza, con obligo ancora di aſſiſtere alle Confeſſioni, ſempre però nella ſua Chieſa in ogni, e qualunque funzione dell'Anno*. Poſt hæc concludit Archiepiſcopus, *num Clericus Bartholomæus, licet carens ordine Sacerdotali, prævia diſpenſatione habilis efficiendus ſit ad retinendam Cappellaniam, atque ad ſatisfaciendum per alium oneribus ex voluntate Teſtatoris incumbentibus Cappellano, judicandum relinquo Sacræ Congregationi, a cujus arbitrio pendet Gratia, quæ, nemine contradicente, aut opponente, poſtulatur nomine Exequutorum Teſtamentariorum*. Nunc itaque iidem Exequutores poſtulant *approbationem Cappellani præfixo eidem termino ad obtinendum Sacerdotium, & deinde arbitrio Archiepiſcopi quoad approbationem ad Confeſſiones audiendas, adimpletis interim per alium oneribus Cappellaniæ incumbentibus*.

Rationes, quas proponunt, hæ ferme ſunt, quod verius videatur habitu tantum, non actu Sacerdotium in Cappellano requiſitum fuiſſe a Teſtatore, quia, cum dixerit *con obligo al Rettore d'eſſere Sacerdote, e Confeſſore dentro il tempo, e termine preſcritto da i Sagri Canoni alli Rettori di reſidenza, ne poſſa ſuffragarli alcuna facoltà ottenuta de non promovendo*, palam

palam fiat eum non potuiſse velle, ut Cappellanus Sacerdos eſset in actu adipiſcendæ Cappellaniæ, ſed ut talis eſse deberet poſt eam adeptam, neque ultra tempus a Sacris legibus præfinitum differre poſset promotionem ad Sacerdotium. Quod Cappellanus nunc agat vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum, ſtudiis vacaverit, & bonis moribus præditus ſit: quod adverſus ejus doctrinam, moreſque nihil excipiat Archiepiſcopus: quod demum de ſanguine ſit Patroni, & Fundatoris. Hæc ſumma eſt libelli dati ab Exequutoribus Teſtamentariis. Videant igitur Eminentiſsimi Patres, qua ratione reſpondendum ſit Dubio.

An ſit concedenda Gratia approbationis Cappellaniæ in caſu &c.

Subſtineri nominationem præfixo termino ab Archiepiſcopo ad ſuſcipiendum Ordinem Sacerdotalem ad formam Concilii, & quoad Confeſſionem arbitrio ejuſdem Cappellaniæ per alium Sacerdotem ab eodem Archiepiſcopo approbandum.

Seſs.5.c.1. de Ref.

FIRMANA BENEFICII. Uſumfructum Latifundii, quod poſſidebat in Territorio Phaleroni Firmanæ Diœceſeos uxori legavit Jacobus Balduccius, eademque uſufructuaria defuncta voluit, *che delli ſuddetti beni debba erigerſi un Benefizio Juſpatronato nell' Altare &c. con il peſo al Rettore pro tempore di due Meſſe la ſettimana una il mercoledì, e l' altra il Sabato per ſuffragio dell' Anima mia, e de miei.* Rectores vero ſucceſsive nominavit quatuor filios Julii Laureti, addiditque, *e perchè i ſuddetti figli del Signor Giulio Loreti attendono di preſente alli ſtudj, o poſſono, o dovranno attendere a quelli, affinchè i medeſimi non abbino impedimento alcuno alla carriera ſuddetta de ſtudj, li diſpenſo, e diſpenſati voglio infino a tanto, che non averanno compiti li 25. anni dal recitare l' Officio Divino, ma in luogo di eſſo ſiano obligati di recitare quello della Madonna.* Poſt hæc Teſtator voluit, ut poſt obitum filiorum Julii Laureti *il jus di preſentare, ed eleggere il Rettore a detto Beneficio ſempre, ed in perpetuo ſpetti al Signor Aleſſio Simonetti mio figliaſtro &c., ed a ſuoi eredi, e ſucceſſori in infinitum di linea maſcolina, ed in difetto di queſta di linèa feminina COL SUDDETTO PESO* -- Erecto Beneficio, defunctiſque filiis Julii Laureti Patronatus nuper delatus fuit ad fratres Simonettos, qui preces obtulerunt Sacro huic Tribunali, quibus poſtulabant, ut Eminentiſsimi Patres declararent, an poteſtas Teſtatori fuerit diſpenſandi Clericos gentis Laureti a recitatione Divini Officii, ejuſque loco recitandi Officium Beatiſsimæ Virginis. & ſi hæc Teſtatori fuit poteſtas, an eadem diſpenſatio vi illorum verborum *col ſuddetto peſo* porrigatur ad gentem Simonettam.

Auditus Archiepiſcopus cenſuit in utraque gente, & familia eamdem fuiſſe Teſtatoris voluntatem. Nunc igitur fratres Simo-

Simonetti ita ab Eminentissimis Patribus definiri postulant; Ajunt non esse ambigendum hanc fuisse Testatori potestatem, ut tradunt *Fargna de jure patron. par.2. can.27. casu 3. n.4. & Card. Barberinius in voto ab eodem Fargna ibidem in lucem hominum edito num.13. §. Quia*. Voluisse vero Testatorem eamdem dispensationem extendere ad Clericos gentis Simonettæ colligi ex repetitione ejusdem oneris *col medesimo peso*, quæ verba, nequeant accipi de solo onere Sacrorum, cum æque inter onera sit Officii recitatio, ut nulla sit ratio, cur unum potius, non vero alternm onus ea verba repetere debeant. Ratio vero, & Causa finalis dispensationis, quæ fuit, ut Rector ad annum usque suæ ætatis vigesimum quintum studiis operam dare diligentius posset, in utraque gente locum habet, ut non possit differentiæ causa assignari, cur dispensare voluerit Testator in gente Julii Laureti, non in alia Alexii Simonetti: Favorem studiorum postulare, ut si dubia sit Testatoris voluntas, interpretetur in causam, quæ in studia benignior est: Hæc Fratres Simonetti. Duo sunt Dubia ab Eminentissimis Patribus definienda.

I. *An licuerit Jacobo Baldacci Fundatori Beneficii Jurispatronatus dispensare Rectores pro tempore a recitatione Officii Divini usque ad ætatem annorum 25. jam expletam, eisque loco Divini Officii onus injungere recitandi Officium parvum Beatissimæ Virginis?* & quatenus affirmativè.

II. *An onus hujusmodi expressé injunctum a dicto Fundatore Rectoribus de familia Laureti primo loco ad Beneficium vocatis, censeatur repetitum in Rectores de familia Simonetti secundo loco invitatos?*

Ad I. affirmativè. Ad II. Negativè.

LARINEN. CONCURSUS. Indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Archipresbyteralem S. Georgii Terræ Chieuti Dioeceseos Larinatis, duo præstituta die ad illum venerunt Sacerdotes Franciscus Peta, & Liborius Saxo, impletisque omnibus necessariis, Examinatores Synodales *approbarunt* verba sunt eorumdem Examinatorum *ambos prædictos concurrentes cum hac tamen distinctione, ut Rev. D. Franciscus Peta tamquam magis idoneus, capax, & prudentia præditus, aliisque Causis prout ex actis sit approbatus in primo loco: Rev. vero D. Liborius Sasso in secundo loco, sed in infimo gradu tamquam multo minus idoneus, & hoc secundum puncta plus, aut minus notata, ut in lectura foliorum quoad Doctrinam tantum*: *Sess.24.c.18. de ref.*

quo

quo vero ad natalia, ætatem, vitam, & mores remittimus nos Informationi per Episcopalem Curiam captæ, ac prudentiæ, & cognitioni Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi. Episcopus autem die sequenti *approbavit R. D. Franciscum Peta, & mandavit expediri literas testimoniales in forma*, & harum testimonialium causa collata fuit eidem Sacerdoti Francisco Peta Parochialis Ecclesia a Dataria Apostolica, & immissus fuit in vacuam ejusdem Ecclesiæ possessionem. Verum, quia Sacerdos alter Liborius Sasso, oblatis Sacro huic Tribunali precibus, *appellaverat tam a mala relatione Examinatorum, quam ab irrationabili judicio Episcopi, & a toto processu concursus*, ideo Causæ cognitio Eminentissimis Patribus data fuit.

Auditus Episcopus, qui acta transmisit, concursus validitatem defendit, & hisce verbis appellantem accusat, *Postposui supradictum Liborium prædictis maximè, & sequentibus Causis, utpote idem accepta a me experiundi causa ipsius idoneitatem peritiamque, facultate confessiones dumtaxat virorum excipiendi, nimia ductus ambitione, ac me invito, mulierum etiam confessiones excipere, & Claves Tabernaculi, ac Sacramentalium quadam die mensis Junii currentis anni adulterare, atque tandem in præsenti Concursu habito Examinatores Synodales, pecunia per suum Fratrem Petrum Antonium Sasso oblata, corrumpere, eorumque ad sui favorem extorquere vota, attentare non erubuit*. Causa nunc tribus Dubiis collecta proponitur, & disputat a partium enumeratione Franciscus Peta nullum in eodem Concursu vitium affuisse. Relationem Examinatorum malam dici non posse, quia ipsi utrumque ex concurrentibus approbarunt, & si Liborio Petam prætulerunt, justè ab ipsis factum fuisse, cum Peta longe præstet doctrina, ætate, Sacerdotio, prudentia, moribus, neque vitio Examinatoribus verti posse, quod eorum relatio versetur circa doctrinam dumtaxat, cum ex verbis, quæ dedimus, pateat eos, & explicite, & implicite de cæteris etiam qualitatibus retulisse, relicto dumtaxat reverentiæ causa Judicio prudentiæ Episcopi, neque ob id nullum dici posse Concursum, juxta Doctrinam *Lotter. de re benef. lib.2. qu.31. n.99. 100. & seqq. & Corrad. in Prax. Benef. lib.3. cap.4. n.9. &* 10. Non posse igitur esse locum novo concursui, cum neque ulla proponatur nullitas, neque mala sit Examinatorum relatio, & Sacerdos Liborius triplici crimine notatus non debuerit ad concursum admitti.

Hæc atque alia Franciscus Peta. Contra Liborius Sasso, nullum fuisse concursum contendit, quia cum in *literis Encyclicis hujus S. Congregationis datis anno* 1721., & approbatis a Summis Pontificibus Clemente XI., & Benedicto XIV cautum fuerit in §. *Postremum, ut unumquodque responsum, & unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur*. Hæc forma servata non fuerit, & de-

& desint subscriptiones Cancellarii, Examinatorum, & Episcopi: malam fuisse Examinatorum relationem, quia ex eorum verbis, quæ supra dedimus, constet eos magis idoneum renunciasse Franciscum Peta, quod Examinatoribus non licet, cum a S. Concilio non iis, sed Episcopo datum sit judicium eligendi, *quem cæteris magis idoneum judicaverit* : Accedere, quod ipsi contra formam a S. Concilio præfinitam de scientia dumtaxat renunciarunt, de cæteris vero qualitatibus nulla ab ipsis ratio habita fuit, cum sese expresse retulerint *ad Informationem per Episcopalem Curiam captam*, *& ad prudentiam, & cognitionem Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi*, quæ verba ita clara sint, ut nullo colore obtegi possit nullitas, ut ex perpetua Sacri hujus Tribunalis sententia tradunt *Fagnan. in cap. eam Te num.* 15. *de etat. & qualit. Garzia de Benef. par.*5. *cap.*7. *num.*11. *& par.*6. *cap.*2. *num.*227. *& par.*9. *cap.*2. *num.*108. *Ventrigl. in Prax. par.*2. *Annot.*5. §.1. *n.*46. & nuperrime ita definivit in *Svessana Parochialis* 12. *Februarii superiori anno* 1757., ut in *resol. Sac. Congreg. Vol.XXVI. pag.*6. 7. & 8.

Ex his igitur colligit locum esse debere novo concursui, ut statutum fuit in *Literis Encyclicis hujus Sacræ Congregationis*, & ut in similibus Causis factum est; novum vero concursum habendum esse in Urbe: Spernendas denique esse tres accusationes Episcopi, nam quod Liborius Sacramentales Mulierum confessiones audiverit, crimini ei dari non posse, cum ex binis Epistolis Curiæ Episcopalis liquidò probetur hanc ei potestatem factam fuisse: Ex hoc autem colligi posse alia etiam duo crimina clavium adulterationis, & subornationis Examinatorum conficta esse, cum nullis probationibus Episcopalis assertio munita sit. Hæc Liborius Sasso: Onus nunc erit Eminentissimorum Patrum tria, quæ sequuntur, Dubia expedire.

I. *An constet de nullitate Concursus in casu &c.*

II. *An constet de mala relatione Examinatorum in casu &c.* & quatenus affirmativè ad primum, vel ad secundum.

III. *An sit deveniendum ad novum Concursum in casu &c.*

Ad I. & II. Affirmativè. Ad III. Affirmativè cor. Metropolitano.

Die Sabbathi 23. Septembr. 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ſeſſ.6. cap.5.
ſeſs.7. cap.8.
ſeſs.21.cap.8.
ſeſs.23. c.15.
ſeſs.24. c.18.
le Ref.

CAPUTAQUEN. Species hujus Cauſæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. *Martii* tranſacto *anno* 1757. quod publici juris factum fuit in *Vol.* XXVI. *Theſ. Reſol. S. Congr. pag.*81. ſed dilata fuit ea die propoſitio; pluries inde dedimus eamdem Cauſam, numquam vero definita fuit. Tandem in *Congregatione* habita *die* 19. *Novembris eodem anno* 1757. reſponſum accepit = *Dilata, & fiat extractio documentorum citata Parte* = ut in eodem *Vol. XXVI. Theſau. pag.*81. Impletis Mandatis, Cauſa nunc poſt tot moras proponitur, ut V. ejus Capita definiantur.

I. *An Epiſcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam Juriſdictionem Ordinariam in Locis Rhodii, & S. Mauri; ſeu potius talis Juriſdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Eccleſiis Parochialibus Rhodii, & S. Mauri a Bajulivo præſentati examinari, & approbari debeant ab Epiſcopo?*

III. *An deputatio Oeconomi proviſionalis ad dictas Parochiales ſpectet ad Ordinarium?*

IV. *An aſs. Vicarius Bajulivatus dare poſſit licentias Confeſſiones audiendi in dictis Eccleſiis quibuſcumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An Adminiſtratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & S. Mauri privativè ſpectet ad Epiſcopum Caputaquenſem in caſu &c.*

Non propoſita.

BENEVENTANA MATRIMONII. Proposita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 15. transacti mensis *Aprilis*, sed definita non fuit, respondentibus Eminentissis Patribus = *Dilata*, *& ad mentem* = ut mens impleretur, datæ fuerunt literæ ad Archiepiscopum: hic rescripsit. Causa nunc reproponitur, & Eminentissimi Patres, repetita lectione *Folii dictæ Congregationis*, decernere poterunt. Sess. 24. c. 9. de ref. Matr.

An sit locus exequutioni Matrimonii in casu &c.

Dilata ad primam post aquas, & scribatur Episcopo viciniori, qui se transferat Beneventum ad explorandam voluntatem Annæ, & capiendam informationem super asserto impedimento.

AQUIPENDEN. EXPENSARUM. Dedimus hanc Causam in *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. superioris mensis *Julii*, sed distractis in diversa Eminentissimorum Patrum suffragiis, definiri non potuit, rescriptumque fuit = *Iterum proponatur*. Iterum itaque proponitur, ut unanimi sententia respondeant. Sess. 22. c. 8. de Ref.

An sint reficiendæ expensæ Bullarum Beneficii, & per quem in casu &c.

Reficiendas esse per hæreditatem.

BOJANEN. Acuta febri correptus Antonius Saccoja Armiger Baronis Castri Petrusii Diœceseos Bojanensis intra decendium decessit, putante Populo propinatum ei fuisse venenum; plures hujus criminis rei dicebantur, alius nempe alium. Saccoja tamen, priusquam decederet, declaravit suspicionem suam esse in Subdiaconum Xaverium Palumbo, reddita causa, ut vindictam sumeret fraudis, quam Patri fecerat ipse Saccoja ratione sui officii. Aliis itaque relictis, in unum Subdiaconum conversæ sunt Curiæ vires, damnatusque fuit, ut exul esset tribus annis *salva potestate Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo pro moderatione pœnæ*, quæ pluries moderata fuit, sed transactis jam annis 19.., postulavit ipse, ut ad Sacros alios Ordines susci- Sess. 14. c. 7. de ref.

 pien-

piendos habilis fieret. A Promotore Fiscali postulationis hujus cognitio delata fuit ad hoc Sacrum Tribunal, *ut gratiam obtinere valeat, & quatenus opus dispensationem ab irregularitate, ut ad Sacerdotium promoveri valeat*. Audito igitur jam Episcopo Causa nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur.

Disputat Palumbus acta omnia Judicialis Processus nulla fuisse defectu Jurisdictionis trium Sacerdotum, qui sese delegatos ab Episcopali Curia dixerunt, cum tamen nulli eorum hæc mandata fuerit Jurisdictio, ut refert Episcopus, qui addit, ne veniam quidem eos petiisse, aut obtinuisse ab Episcopali Curia ut exhumaretur Antonii cadaver, neque in processu scriptum esse actum ipsum exhumationis.

Nullitatis comitem fuisse injustitiam sententiæ, cum non constet Saccojam obiisse veneno: conjecturæ enim, atque indicia, quæ educta fuerunt a Peritis ex inspectione exhumati cadaveris nulla sunt, incertissima, & nihil concludunt. Principio siquidem ii sese Peritos dixerunt, neque tamen constat tales esse ex testium testificatione, inde iidem sine citatione, non requisiti, & sponte retulerunt. Inspectio nimis sero facta fuit, cum mortem obierit Saccoja die 20. Februarii 1739., Periti autem illius cadaver recognoverunt die 3. sequentis mensis Martii, itaut post duodecim dies corpus corruptum fuisse necesse sit, ideoque ex ipsa partium naturali resolutione evenire potuerunt corporis livor, unguium nigredo, casus capillorum, quæ tamen indicia levissima sunt, neque concludunt obiisse hominem propinato veneno, cum & ex natura morbi, & ex aliis centenis causis non raro eveniant, ut a Medicis, & Philosophis traditum est.

Quod si etiam ex his probatum dici potuisset Saccojam propinato veneno obiisse, non tamen probatum fuisse venenum propinatum a Palumbo, eumque hujus criminis reum. Declarationem Saccojæ non esse spectandam, cum juris sit non ambigui accusationem occisi neque indicium facere, neque probationem constituere: Defecisse causam omnem, ex qua crimen hoc impingi potuerit Palumbo: eam causam, quam reddidit Saccoja, levem esse, & requiri, ut inimicitia gravis fuerit, ad indicium admissi criminis faciendum. Alia indicia nullius esse pretii, ut ea etiam diluit Episcopus in Epistola sua. Omnia id concludere potuisse, ut a Palum-

Palumbo propinatum fuerit venenum ex mandato Leonardi Patris : nullam tamen in Processu probationem esse hujus mandati , quod caput est , & fons omnis criminis .

Injustam igitur fuisse evidenter sententiam , qua Palumbus damnatus fuit , sed ejus injustitiam plenius evinci ex probationibus suis . Magistratus enim sæcularis testimonium facit de calumnia in Palumbum impicta : Ex testibus Fiscalibus alter conscientiæ stimulis actus primam testificationem irritam facit , alter innocentissimum esse Palumbum declaravit , alii demum , quo mortis genere Saccoja decesserit, aperiunt , abusu nempe spiritus vini . Vitæ demum , & morum honestas , qua Palumbus præditus fuit , atque est, a testibus , & populo commendatur , sed præsertim ab Episcopo . Quod , si adhuc in animo Eminentissimorum Patrum aliqua insideret dubietas , ex his , quæ hactenus dicta sunt, locum esse debere dispensationi . Hæc atque alia Palumbus. Dubium est .

An sit locus Gratiæ pro habilitatione ad cæteros Sacros Ordines, & quatenus opus dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Pro gratia dispensationis ad cauthelam ,

CAMERINEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS , ET ERECTIONIS COLLEGIATÆ . Testamento , quo decessit anno 1755. Fatius Poncelli Terrigena Belfortis post data quædam legata , & relictam Paulæ Matri legitimam si debita esset , hæredes scripsit in usufructu *Paola sua Madre* , *Marta sua Consorte* , *Maria Angela sua Sorella* , *e Carlo suo Figlio legitimo* , *e naturale* ; declaravit autem , *che il detto usufrutto rispetto tanto a sua Madre, quanto a sua Moglie* , *che a sua Sorella debba intendersi per il puro vitto* , *e vestito secondo la loro condizione* . In proprietate vero hæredem instituit Carolum filium suum anniculum , *e morendo detto Carlo suo Figlio senza Figli &c. esso Testatore gli sostituisce vulgariter* , *pupillariter* , *& exemplariter per modum strictioris Fideicommissi*, *Eredi l' Anime di esso Testatore* , *del quondam Carlo suo Padre* , *e del quondam Fazio suo Nonno* : *Ed in questo caso morisse senza Figli vuole* Sess.22. c.6. de Ref.

vuole esso Testatore, che le rendite di detta sua Eredità debbano tutte vendersi, e col ritratto di esse si faccino celebrare in perpetuum, & in infinitum tante Messe l' anno dal suo Esecutore Testamentario, o da quelli, che saranno da detto Esecutore nominati in appresso nelle Chiese, che ad essi parerà, e piacerà coll' elemosina di bajocchi venti per ciascuna Messa, con la facoltà ancora ad essi di fissare una o più Chiese, e da quelle poi remuoverle, e trasportarle in altre Chiese di qualunque Luogo, e Città tutte quelle volte, che a loro parerà, e piacerà, e le dette Messe si debbano applicare come sopra per l' Anime di esso Testatore, del quondam Carlo suo Padre, e del quondam Fazio suo Nonno, e dette rendite s' intendino detratte le spese, e Fattore bisognando.

Exequutorem inde nominavit Ludovicum Valeriani Avunculum suum his verbis necessario apponendis: *L' Amministrazione poi della sua eredità, & il Jus di far celebrare le Messe in caso, che detto Carlo suo Figlio morisse, senza Figli, o non volesse, o non potesse accettare la sua eredità, esso Testatore la lascia, e concede a detto Ludovico Valeriani suo Zio, e dopo la morte di esso alli di lui Figli, e Successori in infinitum, & in perpetuum, nelle quali cose però vuole, che sempre sia preferito il maggiore, e così sempre di descendenza in descendenza, con la facoltà a tutti di nominare Sacerdoti, e rimuoverli ad nutum etiam sine causa, e surrogare altri, e fare tuttociò, che ad essi parerà, e piacerà, e così ordina, vuole, e commanda non solamente in questo modo, ma in ogn' altro migliore.* Defuncto Testatore, apertisque tabulis Testamenti, rumor ortus est in Populo illius Terræ Fatium priori Testamento voluisse, ut in casu obitus Caroli filioli sui sine filiis, ejus hæreditas, & bona hæreditaria cederent in erectionem, seu reintegrationem Collegiatæ in Ecclesia S. Eustachii Parochiali illius Terræ, sed cum levissimo esset ingenio, addictusque esset imperio, & voluntati Ludovici Valeriani avunculi sui, atque exteri hominis Civis Plebis Taurinæ, seductum fuisse ut Testamentum illud mutaret, & novam, ipso Ludovico dictante, conderet dispositionem, quæ tota vergit in commodum ejusdem Valeriani, & ab eo descendentium. Vanitas autem hujus accusationis facile comperta fuit, nam cum paucos post menses decessisset infans ille hæres scriptus, apertum fuit Testamentum primum, & in eo paucis dumtaxat

taxat mutatis eadem, quæ in secundo lecta est Testatoris voluntas.

Spem tamen Collegiatæ non deposuit Communitas illius Terræ, oblatisque precibus Datariæ Apostolicæ, postulavit, ut ex bonis hæreditariis Fatii Poncelli erigeretur, seu reintegraretur Collegiata in Ecclesia Parochiali, commutata defuncti voluntate. Auditus Episcopus secundum Communitatem respondit: hac ratione, dicebat, tolli fraudes, quæ futuris temporibus, & in administratione bonorum reddituumque, & in distributione Sacrorum possent admitti: pinguius impleri voluntatem Testatoris etiam in numero Sacrificiorum, nullo constituto stipendio Canonico Administratori, qui rectius custodiet bona hæreditaria. Augeri Divinum cultum, juvari Parochum in ministrandis Sacramentis pro salute animarum: nulli detrimentum inferri, cum reservari posset in perpetuum Familiæ Valeriani jus nominandi duos Canonicos vice juris illius honorifici deputandi Sacerdotes, qui Sacra agant. Sententiam Sacri hujus Tribunalis audire voluit Dataria, & Eminentissimi Patres in *Congregatione* habita *die* 22. *Jan. anno* 1756. precibus Communitatis rescripserunt = *Lectum*, *& ad mentem*. Mens autem fuit, ut Episcopus certiores eos redderet de quantitate reddituum ejusdem hæreditatis, audito Ludovico Valeriani. Rescripsit Episcopus, redditus hæreditarios ex judicio Peritorum esse in annuis sc.738. 20.: deducto vero ære alieno esse in annuis sc.600., quæ augeri possint, si, ut opus est, bona colantur diligentius, & meliorationibus augeantur.

Post hæc decretum fuit, ut Causa daretur *in Folio*: Obsequentes igitur Eminentissimorum Patrum Imperio eam hic damus. Longum esset in facto tam longo omnes utriusque partis hic dare rationes, & *Folium* in volumen excresceret: Sûmmas tantum, & breviaria dabimus libellorum. Disputat Communitas ante centum, & qui excurrunt annos in Ecclesia Parochiali Collegiatam fuisse: Populum Terræ illius numerosum esse, cum constet Capitibus fere duobus millibus: Parochum consensum præstare, ut redditus Parochiæ in annuis sc.200. uniantur Massæ Capitulari: Sodalitium Sanctissimi Sacramenti offerre tres suas Cappellanias, Communitatem alias duas, & duo Canonicatus erigantur, cum reservatione Patronatus. Consti-

tutione

tutione Pauli III. Summi Pontificis consultum fuisse Communitati, ne bona, & redditus illius Territorii, etiam applicata Ecclesiasticis Beneficiis extra Territorium, & in alienas Ecclesias transferri possint. Hujus Constitutionis vim elusam esse testamento Fatii, cum bona & redditus in exteros administratores, & alienas Ecclesias, & Sacerdotes transferantur: Integrum servari substantiam voluntatis Testatoris; mutari Administratores, mutari modum, sed hæc non esse spectanda in conspectu publicæ utilitatis, & augumenti divini cultus. Addit denique Communitas ea omnia, quæ ab Episcopo proposita fuerunt in ejus literis ad Datariam, & ex his locum esse censet commutationi voluntatis Testatoris, ut Collegiata erigatur.

Contra Ludovicus Valeriani: Commutationes ultimarum voluntatum nonnisi ex justa, & necessaria causa esse permittendas: abesse necessitatem, cum erectio Collegiatæ inter actus voluntarios referatur: abesse Justitiam, cum iniquissimum sit consulere velle decori illius Terræ alienis bonis, & eversione voluntatis defuncti, quæ plenè exequi potest eo modo, quo a Testatore expressa est. Si Populus numerosus est, præsto esse providentiam Alexandri III., & Tridentini, non ut ultimæ defunctorum voluntates evertantur, & erectione Collegiatæ cum octo Canonicis, & quatuor Beneficiariis, levetur Parochus onere suo exercendi curam Animarum, quæ transferatur in Canonicos, qui illud a Jure non habent, sed ut ipse Rector suis redditibus tot sibi Sacerdotes adjungat, qui eum adjuvent in Sacramentis numeroso Populo ministrandis, non posse ob vanam suspensionem fraudis & doli, ac criminis nondum admissi, sed admittendi futuris temporibus vel in administratione bonorum, & reddituum, vel in distributione Sacrorum, mutari defunctorum voluntates, sed Episcopos curare debere, ut impleantur. Neque patrimonium hæreditarium, neque ejus redditus eos esse, quos censuit Episcopus; Patrimonium enim necessaria mercium venditione minuetur; detrahendam esse legitimam debitam Paulæ Matri Testatoris: Viduam ejus contendere aliam sibi debitam Legitimam in bonis filioli defuncti: æs alienum esse dispungendum; Dotes, & usufructum Sorori, & Uxori Testatoris dandas esse; alia onera non deesse: redditus omnes erogandos in Sacra.

Quod

Quod ſi etiam res non eſſet de commutanda voluntate, non tamen Collegiatam his bonis tot oneribus obnoxiis fundari atque erigi poſſe, cum ſcitum omnibus perſpectumque ſit, dotes Eccleſiarum Collegiatarum certas & liberas eſſe debere: ſatis eſſe onus perpetuum lucrorum, ut nequeat hac dote oneri Sacrorum ſubjecta, Collegiata fundari, ut dudum definitum fuit. Commutatione voluntatis maximum inferri detrimentum juribus familiæ Valeriani, quod fieri nequit ſine eorum omnium conſenſu, qui nunc ſunt, & qui naſcentur ab ipſis; Collegiatam vero alias fuiſſe Eccleſiam S. Euſtachii a veri ſpecie recedere, cum rejectis iiſdem, quæ nunc proponuntur, probationibus, contrarium definitum fuerit a *Rota coram Carillo dec.*46. Longe alium eſſe ſenſum Paulinæ Conſtitutionis, quæ vetat dumtaxat uniones, & diſmembrationes bonorum Eccleſiaſticorum. Hæc atque alia Ludovicus Valeriani. Dubium eſt.

An ſit locus commutationi Voluntatis quondam Fatii Poncelli pro erectione in Collegiatam Ven. Prioralis Eccleſiæ Parochialis S. Euſtachii Terræ Belfortis cum bonis hæreditariis dicti Fatii in caſu &c.

Negativè, & Epiſcopus incumbat ad implementum onerum præſcriptorum a Teſtatore ſingulis annis, & amplius.

APTEN. Sodalitium eſt in Civitate *Bonjeux* Diœceſeos Aptenſis, quod vocatur Pœnitentium, vulgo *Burras*, dudum erectum Epiſcopali auctoritate, anno vero 1710. auctoritate Apoſtolica confirmatum. Statuta habet, quibus cautum fuit, quid a Sodalibus agendum ſit in operibus pietatis. Extemplo Vicarius Generalis Epiſcopi Aptenſis anno 1756. Sodalibus vetuit, ne in eorum Oratorio ſolemnia Sacra canerentur, pompaſque, ſeu Proceſſiones publicas ducerent, & Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferrent, Populoque benedicerent, non vocato Parocho, & Sacerdotibus Parochialis Eccleſiæ. Aberat eo tempore Epiſcopus, cujus reditum expectabant Sodales, ut Vicarii ſui mandata tolleret, ſed reverſus Epiſcopus novis mandatis ea confirmavit. Appellarunt *Seſſ.25. c.12 de ref.*

Sodales ad R. P. Prolegatum Avenionensem, a quo, auditis Partibus, definitivo decreto Episcopalia mandata uti contraria statutis Sodalitii, & consuetudini Provinciæ universæ revocavit. Post hoc decretum putabant Sodales nullam iniciendam esse moram, aut impedimentum, ne sacræ Functiones in eorum Oratorio agerentur, sed Episcopus, datis ad Parochum literis, suam esse mentem significavit, ne Sacerdos aliquis, aut Regularis functionem ullam Sacerdotalem in Cappella Sodalium expleret, immò cum quidam Sodalis *Petrus Colomb* testamento suo condi voluisset in tumulo Sodalium, & hi Parochum vocassent, renuit hic, quod Episcopus vetasset quamlibet agi functionem in Oratorio Confratrum, neque ipse Episcopus ab exequutore testamentario rogatus veniam dare voluit, ut Sodalis illius corpus in commune omnibus Cæmeterium inferri debuerit.

Longius inde progressus est Episcopus, suspensis alio mandato omnibus Sodalitiis functionibus, ac demum interdicta ipsa Cappella, injungens ædituo, ut januas bene clausas cuicumque custodiret. Confugerunt Sodales ad Prolegatum Avenionensem, qui consuluit *Secretariam Status* & Sacram Congregationem Avenionensem, a qua auditus fuit Episcopus. Respondit ipse post longas moras, & petentibus Sodalibus, ut, revocatis mandatis primis Vicarii Generalis, & Episcopi Decretum Prolegati confirmaretur, omniaque post idem Decretum acta ab Episcopo veluti attentata circumscriberentur, & corpus Sodalis Petri Columb tumulo Sodalitii restitueretur, sacra illa Congregatio rescripsit = *Ad Sacram Congregationem Concilii*. Causa nunc tribus collecta capitibus proponitur, & disputant Sodales interdictum Cappellæ non posse substineri, cum omnis abfuerit justa causa interdictionis, quæ tamen in interdictis gravissima requiratur. Non teneri Sodales in functionibus non Parochialibus requirere Parochum, aliosque Sacerdotes Parochiæ colligi ex eorum Statutis, & ex decretis Sacræ Congregationis Rituum apud *Monacell. in Formular. Tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 46. Et Sacri hujus Tribunalis *in Hortana Jurium Parochialium* 5. *Julii* 1738. *Thesaur. Resol. Vol. VIII. pag.* 125. & *in Cassanen.* 12. *Augusti* 1747. *eod. Thesaur. Resol. Vol. XV. pag.* 57. Ambigi demum non posse licitum esse cuique arbitrium sepulturam eligen-

eligendi, licitumque magis esse debere Sodalibus salvo jure Parochi cum ita in eorum Statutis cautum fuerit. A Promotore Fiscali nihil adhuc habuimus. Dubia sunt.

I. *An Interdictio Cappellæ seu Oratorii Confraternitatis Pœnitentium, vulgo* Burras *substineatur in casu &c.*

II. *An in celebratione Missarum tam solemnium, quam privatarum, in expositione Sanctissimi Sacramenti, Benedictionibus, Processionibus, aliisque functionibus non Parochialibus teneantur Confratres adhibere, & requirere Parochum, sive Sacerdotes Secundarios Parochiæ, seu potius Functiones prædictas explere valeant per proprios Cappellanos, irrequisito Parocho in casu &c.*

III. *An liceat Confratribus Sepulturam sibi eligere in dicta Cappella, jure Parochiæ firmo associandi Cadavera, & exigendi quartam funeralem in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas.

LUNEN. SARZANEN. CAPPELLANIÆ: A Joanne Ceccoperio Massensi testamento, quod scripsit anno 1722. fundata fuit *una Cappellania mera Laicale all'Altare della Santissima Concezzione nella Chiesa di S. Francesco col peso al Cappellano pro tempore di due Messe la Settimana una il Mercoledì, e l'altra il Sabbato*. Jus nominadi Cappellanum legavit Testator Equiti Andreæ Diana, suisque filiis,& descendentibus, *uno de' quali voglio sia sempre preferito nella nomina, o sia Juspatronato passivo di detta Cappellania, quando ve ne siano de' Sacerdoti, ed essendovene più di uno, voglio sia sempre preferito il più vecchio, ed in mancanza de' Sacerdoti discendenti da d. Sig. Cavalier Andrea, voglio che sia nominato il Sacerdote più povero della Città di Massa*. Decessit superiori anno 1757. primus Cappellanus ab ipso Testatore nominatus, & Eques Hieronymus Diana unicus Patronus Cappellanum nominavit Joannem Antonium Masini Clericum agentem annum ætatis vigesimum quartum, pauperiorem inter Ecclesiasticos, cui Patronus bona Cappellaniæ pro sacro Patrimonio adsignavit. *seff.25.c.5. de ref.*

Sese tamen contradictorem præstitit Masinio Sacerdos Dominicus Bonicelli, ideoque a Curia Episcopali datus fuit Judex in Civitate Massæ, qui pronunciavit Cappellaniam adjudicandam esse Bonicello tamquam actu Sacerdoti. Appellavit Masinius, & re ad hoc Sacrum Tribunal delata, urget nunc idem Masinius paupertatem suam, ex qua præferri debeat Bonicellio, licet actu Sacerdoti, quod qualitatem illam habeat, quam voluit Testator; neque obesse Sacerdotium, quo Bonicellius honestatur, quia verbum *Sacerdos*, quo Testator usus est, non præseferat necessitatem, ut nominatur debeat esse actu talis, sed satis sit, si talis fuerit habitu, ut est Masinius, qui intra annum potest Sacerdos esse, ut tradunt *Gratian. discept.*133. *n.*2. *Tamburrin. in Method. celebrand. lib.*2. *cap.*4. §.2. *num.*2. *Amostaz. de Caus. Piis lib.*3. *cap.*5. *num.*27. A Bonicellio nihil habuimus. Cognoscendum itaque est ab Eminentissimis Patribus.

An, & cui sit adjudicanda Cappellania in casu &c.

Adjudicandam esse Sacerdoti Bonicellio, & amplius.

*Sess.*25. *c.*5. *de ref.*

IMOLEN. BENEFICII. Eadem quæstio, quæ agitur in præcedenti Causa, agitur in præsenti, nam Franciscus Bennati in testamento condito anno 1630. ita inquit = *Lascia tutti li suddetti beni fidecommissarij, che non si possino vendere, ne impegnare salvo che per scudi* 250. *per la Dote del suddetto Altare, al quale non debba esser eletti ad officiare in esso se non Sacerdoti suoi Parenti più prossimi, quando ve ne sij, e quando non ve ne fosse de suoi Parenti, lascia che siano eletti altri, ma da essi suoi Eredi, il qu. al Sacerdote ogni Settimana debba celebrarli due Messe per l' Anima sua, e de Morti più prossimi*. Erecto Beneficio ad illud præsentati semper fuerunt Sacerdotes, una excepta ultima vacatione, in qua beneficium obtinuit Clericus Dominicus Mirro, sed, eo nuper defuncto, præsentatus fuit a Dominico Bennato Patrono Angelus filius. Præsentationem admisit Episcopus, data tamen lege, ut curaret ab hoc Sacro Tribunali declarari, an Beneficium esset Sacerdotale actu, vel habi-

habitu, cum præsentatus Clericus esset, & in ea ætate, quæ longe abest per leges annarias a Sacerdotio. Auditus igitur a Reverendissimis Patribus Episcopus respondit videri Beneficium esse Sacerdotale actu, cum Testator qualitatem Sacerdotalem voluerit, ut patet ex ejus verbis, & licet verbum *Sacerdos* Clericum etiam comprehendat, verum tamen hoc esse, cum Testator utitur verbis affirmativis, non cum utitur negativis: nullam habendam esse rationem ultimi status, quia præcedentes semper habuerint Sacerdotes præsentatos.

Contra Bennatus qualitatem Sacerdotalem actu, educi non posse e verbo *Sacerdote*, quo Testator usus est, cum una sit Canonistarum, & Tribunalium sententia eo verbo Clericos etiam comprehendi. Quidquid sit de distinctione, quam dat Episcopus inter casum, quo Fundator utatur verbis affirmativis, & casum quo utatur negativis, in specie, in qua versamur, eam distinctionem convenire non posse, quia verba negativa stant ad excludendos a Beneficio extraneos favore consanguineorum, non ad excludendos a Beneficio consanguineos, si actu non sint Sacerdotes: Omnem denique ambiguitatem adimi ab ultimo statu ejusdem Beneficii, cum præsentatus fuerit Clericus Dominicus Mirro, neque ad rem pertinere, quod in præcedentibus vacationibus præsentati semper fuerint actu Sacerdotes, cum nequeat ex his præsentationibus argui Beneficium factum fuisse actu Sacerdotale, nisi probetur præsentationes actu Sacerdotum factas fuisse necessario, & coactè, ut tradunt relati a *Pacion. allegat. Jur.* 1. *n.* 20. & 21. Denique, etsi res esset de Beneficio actu Sacerdotali, locum esse debere dispensationi, cum Angelus sit filius unici Patroni, & passive vocatus fuerit a Fundatore, nullusque ad Beneficium concurrat consanguineus Fundatoris actu Sacerdos. Hæc Episcopus, & Bennatus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An Beneficium sit Sacerdotale actu, sive potius habitu tantum, itaut sit danda institutio Clerico Angelo Bennato in casu &c.?* & quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam.

II. *An favore dicti Clerici sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam. Ad II. Affirmativè.

Seſs.22.c.6. de Ref.

PISTORIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM: Teſtamento Juliani Partini filii Boſſi condito anno 1559. legata fuerunt Pauperibus Puellis Piſtorienſibus tria Prædiola, ut ex eorum fructibus tritici, frumentique vendendis a Patribus S. Dominici præſtarentur quotannis duobus Puellis annorum ſexdecim impletorum duo ſubſidia dotalia librarum 50. pro quolibet; reſiduum vero pretii venditorum fructuum, detractis oneribus, erogaretur in alia ſubſidia dotalia iiſdem pauperibus Puellis diſtribuenda in ſumma librarum 25. pro quolibet ſubſidio. Voluit inde Teſtator, ut ſuſpenſis omnibus ſubſidiis, fructus omnium bonorum per triennium, detractis expenſis, ſolverentur primogenitæ filiæ ſuæ Franciſcæ, cum eſſet annorum duodecim impletorum, ſi Monaſterium ingrederetur, ſi vero nuberet, cum decimum quintum ætatis annum impleret. Si ante hos annos decederet ſolverentur ſecundogenitæ iiſdem legibus. Idem ſervari voluit in primogenita Aloyſiæ alius ſuæ filiæ, vel in ſecundogenita eodem prorſus modo, quo de Filialibus Franciſcæ diſpoſuerat. Addidit inde -- *vuole, che ſe per alcun tempo ſi troverà nella Caſa de Partini, e diſcendenti per linea maſcolina di Pietro, di Doſſo, di Pietro Partini alcuna fanciulla povera, che i frutti di due anni ſi diano alla detta fanciulla &c. dichiarando, che le fanciulle della linea di Pietro di Doſſo di Pietro fratello di detto Giuliano Teſtatore precedino tutte le altre linee de Partini, ma non eſſendo in detta linea, precedino quelle della linea di Pietro di Bartolomeo di Criſtoforo Partini nel modo e forma detto di ſopra, e non eſſendo in detta linea precedino quelle della linea di Franceſco, e Battiſta di Baſtiano Partini*. Hæc Julianus in Teſtamento.

Codicillis autem voluit, *che de denari, che ſi trovaſſero in Caſa ſua per depoſitarſi dopo la ſua morte ſi poſſi cavare ſc. 500. &c. per inveſtirli in tanti beni fruttiferi, e ben ſicuri poſti &c. ed il grano, che ſi caverà da dette Terre, e denari ſi diano a trè povere Fanciulle per farſi Monache, e ſervigiali di Monache la terza parte a ciaſcheduna, e detti beni, o denari ſi diano alla Compagnia della Trinità, o Spirito Santo, o allo Spedale di S. Gregorio, o ad altri Luoghi Pii ad affitto perpetuo a grano, e denari: E il grano, o denari, che ſi caverà, ſi debba diſtribuire a trè povere, ed oneſte Fanciulle della Città di Piſtoja, che vorranno eſſer Mona-*

Monache, le quali si debbino nominare in quei modi, come si dice nel testamento di quelle si hanno a fare per il Priore del Convento di S. Domenico: Alla detta Elezzione abbia ad intervenire uno, o due Priori di detto Luogo, che accetterà detto carico, e abbino ad intervenire tutti quelli de Partini, e la detta Compagnia, che accetterà detto Carico, abbia ad avere per sua mercede otto per cento ogn'anno, ed il restante debbino distribuire alle dette trè Fanciulle. Addidit loquaculus Testator = *quando per caso nascesse nella linea di Boffo, e di Cristoforo, e di Francesco, e di Vincenzo Partini fosse alcuna Fanciulla povera, che volesse esser Monaca &c. che le si diano due terzi di quello si averà a dispensare quell'anno per una sol volta, è non più, ne più d'una volta &c. e l'altro terzo si distribuisca alle povere Fanciulle, come di sopra si è detto.* Hæc Testator in Codicillis.

Defuncto Testatore, susceperunt Patres Dominicani trium prædiorum administrationem, & sodalitium Spiritus Sancti acceptis ab Exequutoribus Testamentariis libris 3750. sese obligatum voluit ad præstanda quotannis tribus pauperibus Puellis subsidia dotalia in stariis 29. frumenti pro singulis earum, prout quotannis & a Patribus Dominicanis, & a sodalitio omnia impleta fuerunt, distributis per nominationem subsidiis dotalibus, & nubentibus, & monialibus. Nuper autem Franciscus Maria Cellesius, qui ab Aloysia altera ex filiabus Juliani Testatoris descendit, pressus in angustia sui patrimonii ab onere numerosæ prolis duorum filiorum, & quatuor filiarum, preces obtulit defuncto Principi Benedicto XIV. quibus postulabat, ut ex causa prælationis, quam Testator in præstatione subsidiorum dotalium tribuerat suis descendentibus, assignarentur singulis ejus filiabus spatio sex annorum pro qualibet omnes dotes, quas idem Testator pauperibus puellis Pistoriensibus distribui voluerat, utque decedente intra sexennium aliqua earumdem filiarum, portio vacans superstitibus accresceret. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, a quibus auditus fuit Episcopus. Hic respondit Gentem Cellesiam nobilem esse, ideoque majori dote opus esse, ut quatuor filiæ nubere possint: Priorem S. Dominici, & Guardianum S. Francisci nihil excipere adversus gratiam: Contradictorem sese

dumta-

dumtaxat præstare sodalitium Spiritus Sancti : decessisse interim Franciscum Mariam Cellesium Patrem Lapacinæ aliarumque gratiam petentium ; earum Tutores idem petere, quod petiit Pater ; *ob Parentis obitum puellas quidem, pro quibus preces fuerunt oblatæ, hujusmodi subsidio magis indigere*. Hæc Episcopus.

Rescripserunt Eminentissimi Patres *Episcopo pro meliori informatione juxta Instructionem*, quæ fuit, ut referret ætatem puellarum, quantitatem annui redditus utriusque legati dotalium subsidiorum, dotium, quæ in Civitate illa, vel Monasteriis vel viris præstari solent a nobilibus puellis certam quantitatem, statum denique activum & passivum hæreditatis defuncti earum Patris. Respondit Episcopus primam ex iisdem puellis Cellesiis esse in ætate annorum 16. secundam annorum 12. tertiam annorum 10. quartam annorum 8. Redditus legati pro Monialibus quod præstatur a sodalitio Spiritus Sancti *redactos esse ad staria* 41. *librasque* 7. *grani : staria* 9. *& libras* 27. *segalati nuncupat. cados vulgo barili* 16$\frac{1}{1}$ *Vini & julios* 6$\frac{1}{1}$ *denariorum, qui redditus erogantur omnes in solutionem dotium ad mentem Testatoris detracto solum quodam tenui honorario pro Ministris. Ad quam vero pecuniæ summam ascendant dictæ dotes indicari nequit, quia modo majores, modo minores sunt juxta currentem valorem frugum prædictarum*. Redditus alterius legati esse *staria* 67. *grani*, e quibus detrahitur tertia pars, quæ ad Dominicanos spectat titulo administrationis, & alia quædam parva portio in pecuniis ex dispositione Testatoris. Quantitatem dotium, quæ a nobilibus puellis in ea Civitate dari solent, esse sc. 3500. monetæ Florentinæ, cum nubunt; cum Monasteria ingrediuntur, esse sc. 500. circiter ejusdem monetæ. Statum activum hæreditatis defuncti Patris esse, ut præstet annuum redditum sc. 460. Statum vero passivum esse pariter sc. 460. quæ erogantur in alimenta : adesse æs alienum in sc. 110. Hunc quoque statum activum, & passivum confirmant testificationes Rationalis, & Præfecti domui Cellesiæ.

Causa nunc proponitur, & disputant quatuor sorores subsidia dotalia ipsis competere, quod juxta Testatoris dispositionem descendant ab Aloysia ejus filia, & sint in linea Bossi Partini Patris ejusdem Testatoris. Subsidia autem singu-

ſingulis deberi per ſexennium ex omnibus dotibus, quia ita poſtulet tenuitas eorumdem, & exempla ſimilium gratiarum, quæ alias a ſummis Pontificibus conceſſæ fuerunt puellis deſcendentibus, & conſanguineis gentis Partinæ, ut conſtat ex Brevibus Summorum Pontificum, præſertim, cum nullum pauperibus puellis Piſtorienſibus detrimentum inferatur, quia cum incertæ ſint, jus nulli quæſitum ſit. Ad æquitatem deniqúe Eminentiſſimorum Patrum pertinere, ut ſi intra ſexennium aliqua ex ſororibus decedat, ſuperſtitibus accreſcat portio vacans in tanta horum ſubſidiorum dotalium tenuitate. Hæc, atque alia ſorores Celleſiæ, longum enim eſſet omnia excerpere. A Sodalitio Spiritus Sancti nihil habuimus. Tria ſunt Dubia.

I. *An Lapacinæ, aliiſque Filiabus quond. Franciſci Mariæ Celleſi competant ſubſidia dotalia relicta a Juliano Partini?* & quatenus affirmativè.

II. *An, & pro quo tempore ſint applicandi fructus omnium bonorum dotalium ſingulis ez dictis Puellis.*

III. *An in caſu obitus alicujus ex prædictis puellis durante tempore applicationis, illius portio ſit accreſcenda aliis ſuperviventibus in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. & III. Proviſum in primo.

Die

Die Sabbathi 2. Decembris 1758. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quas primo loco ſubicimus, Cauſæ *Dilationem* ab Eminentiſſimis Patribus obtinuerunt ad hanc *Congregationem*: Prima quidem in *Congregatione* habita *die* 12. tranſacti menſis *Augusti*: Aliæ vero duæ in *ultima Congregatione* habita *die* 23. *menſis Septembris*: Obſequentes igitur Ampliſſimorum Patrum Imperio eas hic damus, ut repetita lectione *Foliorum earumdem Congregationum*, Dubia, quæ proponuntur, expedire valeant.

Seſs. 21. c. 7. de Ref.

URBEVETANA JURISDICTIONIS, in qua cognoſcendum eſt.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Ad I. In deciſis, & amplius. Ad II. Iterum proponatur.

Seſs. 24. c. 9. de Ref.

BENEVENTANA MATRIMONII, in qua quæritur.

An ſit locus exequutioni Matrimonii in caſu &c.

Dilata, & dentur Epiſcopo viciniori literæ urgentiores.

Seſs. 25. c. 12. de Ref.

APTEN., cujus III. ſunt Dubia.

I. *An interdictio Cappellæ, ſeu Oratorii Confraternitatis Pœnitentium, vulgo* Burras, *ſuſtineatur in caſu &c.*

II. *An in celebratione Miſſarum tam ſolemnium, quam privatarum, in expoſitione SS. Sacramenti, Benedictionibus, Proceſſionibus, aliiſque Functionibus non Parochialibus teneantur Confratres adhibere, & requirere Parochum, ſive Sacerdotes ſecundarios Parochiæ, ſeu potius Functiones prædictas explere valeant per proprios Cappellanos irrequiſito Parocho in caſu &c.*

III. *An liceat Confratribus ſepulturam ſibi eligere in dicta Cappella, jure Parochiæ firmo aſſociandi Cadavera, & exigendi Quartam funeralem in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad ſecundam. Ad III. Affirmativè.

CA-

CAPUTAQUEN. Hæc quoque Causa data fuit in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 23. transacti mensis *Septembris*, sed proposita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, & Eminentissimi Patres, consulto iterum *Folio* ejusdem *Congregationis*, V. ejusdem Causæ Capita definire poterunt.

Sess. 6. c. 5. Sess. 7. cap 8. Sess. 21. c. 8. Sess. 23. c. 15. Sess. 24. c. 18. de ref.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam Jurisdictionem Ordinariam in Locis Rhodii, & S. Mauri; seu potius talis Jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & S. Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Œconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An ass. Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dict s Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An Administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & S. Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu &c.*

Non proposita.

MONTIS PELUSII, SEU HIERACEN. SPOLII: Postquam duo hujus Causæ Dubia definita fuerunt in *Congregatione* habita *die* 18. superioris mensis *Februarii*, iterum eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *mensis Aprilis*, sed proposita non fuit; dedimus eam tertio in *Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Septembris*, neque tamen proposita fuit. Damus nunc eam quarto, ut si Partes Litigantes jura sua proponent, quod hactenus factum ab ipsis non fuit, expediri possit Dubium.

Sess. 22. c. 11. de ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

FAVENTINA, SEU IMOLEN. ELECTIONIS. In eadem *Congregatione* habita *die* 2. *mensis Septembris* definita fuerunt ab Eminentissimis Patribus duo hujus Causæ Dubia. Primum erat -- *An electio Mariæ Biancoli sustineatur*? & quatenus negativè. Secundum -- *An pro loco vacante in Monasterio Sanctæ Claræ Cotiniolæ præferenda sit Antonia Medri, seu potius sit locus novæ electioni in casu &c.* His responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad primum negativè, & amplius. Ad secundum affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*. Audiri postulavit Sodalitium SS. Sacramenti, & facta ei potestate sua jura proponendi *in secundo Dubio*, quod, eo contumace, definitum fuit, cognoscendum nunc erit ab Eminentissimis Patribus.

Sess. 22. c. 8. de ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad II. Dubium in casu &c.

Indceisis, & amplius.

LA-

Sess. 24. c. 18. de ref.

LARINEN. CONCURSUS. Species omnis hujus Causæ, & rationes, quæ a duobus Sacerdotibus Francisco Peta, & Liborio Saxo proponebantur, repetendæ sunt *ex Folio ejusdem Congregationis* habitæ *die 2. mensis Septembris*. III. erant Dubia: I. *An constet de nullitate Concursus in casu &c.* II. *An constet de mala relatione Examinatorum in casu &c.*, & quatenus affirmativè ad primum, vel ad secundum. III. *An sit deveniendum ad novum Concursum in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal — *Ad I & II. Affirmativè. Ad III. Affirmativè coram Metropolitano*. Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & cognoscendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 24. c. 8. de ref. Matr.

PIENTINA SEPARATIONIS THORI. Habetur hujus Causæ species in *Folio Congregationis* habitæ *die 21. Maii* superiore *anno* 1757., quod publici juris factum fuit in *Thesaur. Resolut. Sacræ Congregat. Vol. XXVI. pag.* 41. Causa tamen definita non fuit, respondentibus Eminentissimis Patribus -- *Dilata, & ad mentem*. Dedimus eam iterum in *Folio Congregationis* habitæ hoc anno *die 14. Januarii*, neque fuit definita, sed rescriptum accepit -- *Transmittantur Acta Curiæ Pientinæ, & interim coadjuventur probationes super prætensis sævitiis*. Curavit Paulus Bastiani, ut Uxori suæ Catharinæ Generali præfigeretur terminus quadraginta dierum ad sævitias probandas. Terminus præfixus fuit, sed nulla hactenus, quod sciamus, edita fuit probatio. Ursit igitur Paulus Bastiani repropositionem Causæ, & ideo idem Dubium hic damus numquam definitum.

An sustineantur Censuræ, seu potius sit locus separationi Thori in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, Negativè, & amplius.

Sess. 22. c. 6. de reform.

PISTORIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Dedimus latè Causæ hujus speciem, rationesque a Lapacina, aliisque Sororibus Cellesiis propositas in *ultima Congregatione* habita *die* 23. transacti mensis *Septembris*. Tribus ejusdem Capitibus, quorum Primum erat: *An Lapacinæ, aliisque Filiabus q. Francisci Mariæ Cellesi competant subsidia dotalia relicta a Juliano Pastini?* Et quatenus affirmativè. Secundum: *An, & pro quo tempore sint applicandi fructus omnium bonorum Dotalium singulis ex dictis Puellis?* Tertium denique: *An in casu obitus alicujus ex prædictis Puellis, durante tempore applicationis, illius portio sit accrescenda aliis superviventibus in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres — *Ad I. Negativè. Ad II. & III. Provisum in primo*. Redeunt nunc Sorores Cellesiæ ad novum Judicium, & cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

INDEX

INDEX
CONCLUSIONUM OMNIUM, ÆQUE AC RESOLUTIONUM,

Quæ in singulis Causis hujus anni fuerunt adnotatæ.

impleatur debent se gerere ad formam Constitut. Benedicti XIV. in *Neritonen.* 18. *Febr. p.*16.

Dotes relictæ pro puellis extrahendis ex urna, assignatæ fuerunt, puellis testatori consanguineis in *Romana* 21. *Maii anni nuper elapsi*; & responsum fuit *In decisis*, *& amplius*, in eadem Causa sub die 28 Januar. *p.*7.

Dotis Legatum puellis de sanguine, prælativè ad extraneas debitum est, quibus utpote incertis nullum jus quæsitum est. *p.*29. *& seq.* §. *Post longas*.

Præsumi enim nequit testatorem ignotis extraneisque potius, quam consanguineis puellis consulere voluisse, si putasset eas ob inopiam dotari non posse. *Ib. in fin.*

Et hæc est praxis Sacri hujus Tribunalis, quod jussit, ut per decennium applicaretur pro puella de sanguine subsidium singulis annis distribuendum in *Perusina Legati Dotis* 4. *Mart. p.*28. *cum seqq.*

Contrarium vero statuit in *Pistorien. Subsidiorum Dotalium* 23. *Sept. p.*78. *cum seq. &* 2. *Dec. p.*84.

Dotale subsidium relictum pro puellis monachandis in tali Monasterio non potest transferri in aliud Monasterium, etiamsi agatur de sanguine conjuncta, quæque jam probationis annum in alio Monasterio emiserit in *Bononien. Subsidiorum Dotalium* 2. *Sept. p.*58. *cum seqq.*

Dotes Ecclesiarum Collegiatarum certæ, & liberæ esse debent. *p.*75. §. *Quod si.*

E

Ecclesia filialis an possit explere processionem SS. Corporis Christi die ejusdem solemnitatis cumulative cum Ecclesia matre in *Sarsinaten. Processionum* 14. *Jan. p.*1.

Ecclesiarum Collegiatarum dotes certæ, & liberæ esse debent. *p.*73. §. *Quod si.*

Ecclesiis servitus ne imponatur ex jure Pontificio nulli licet fenestras habere, & januas, quæ in Sacraria Ecclesiarum publicarum emittant, nisi patroni sint, qui hoc sibi jus servaverint, aut Barones locorum, aut indultum a S. Sede obtinuerint, *p.*13. §. *Nullius*.

Quod confirmatur in *Nullius Foripompilii* 18. *Febr. p.*15.

Edictorum affixiones publicæ necessariæ sunt in erectione, seu institutione beneficii, seu Cappellaniæ perpetuæ alias erectio nulla est, etiamsi agatur de institutione nominati a testatore. *p.*46. §. *Aquipenden.*

Contrarium. *p.*47. §. *agnita*.

Electio, seu nominatio ad locum vacantem in Monasterio S. Claræ Cotiniolæ in personam puellæ, quæ non habebat qualitates a Testatore præscriptas fuit reprobata, neque ob id ad novam electionem locus fuit, sed prælecta fuit altera, quæ in concursu victa remanserat numero suffragiorum, & in quam omnes qualitates requisitas concurrebant in *Faventina*, *seu Imolen. Electionis* 2. *Sept. p.*57. *&* 2. *Dec. pag.*83.

Episcopi licentiam æque, ac consensum Capituli exquirere debet Camerarius, seu Administrator Bonorum fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Urbisveteris dum aliquod opus moliri intendat in & circa eamdem Ecclesiam; alias condemnatur, ut omnia in pristinum statum reducat propriis expensis in *Urbevetana Jurisdictionis* 15. *Apr. p.*32. *&* 2. *Dec. p.*82.

Episcopus quoad Jurisdictionem in Visitatione. Vide in Verbo: *Legati*, *seu Præsides*.

Episcopus quando reservare potest sibi suisque successoribus jus conferendi Cappellaniam in *Nicien. Cappellaniæ* 15. *Apr. &* 12. *August. p.*34. *& p.*49. *cum seqq. ad I. Dub.*

Et quot annua scuta requirantur ad erigendam Cappellaniam cum onere Missæ quotidianæ. *Ibid. ad II. Dub.*

Episcopi testare nequeunt in bonis Ecclesiastici idque etiamsi favore piæ Causæ testentur. *p.*9. §. *Disputat.*

Limitatur quoad Episcopos Solio Pontificio assistentes, qui frui solent indulto testandi ad pias Causas de ducatis mille auri de Camera. *p.*9. §. *Disputat circ. med.*

Hoc autem indultum accipiendum est sine detrimento juris Tertio quæsiti, quod Summus Pontifex nulli auferre censetur. *Ibid.*

Sac. hæc vero Congr. voluit Episcopi Testamentum substineri quoad legata in eo relicta vigore prædicti indulti, dummodo non excederent ducata 1000. de Camera. In reliquis vero bonis ab una, vel alia Ecclesia provenientibus, & ab Episcopo adhuc vivente non distractis nequaquam substineri, sed eadem bona utrique Ecclesiæ deberi jure Precarii; absque ullo onere in

ſcopo ad formam Concilii, ſalva auctoritate Curiæ Legationis in exercendis adminiſtrationibus œconomicis.

Et in repropoſitione ejuſdemmet cauſæ die 4. *Mart. p.*21. elapſis anni ubi fuit reſponſum: *In deciſis, & amplius*, & in *Eugubina* 12. *Aug. p.*52. *cum ſeqq.*

Legatum pium manutenendi juvenes in Urbe ad ſtudia ex diminutione reddituum fuit commutatum a Sac. Congr., quæ voluit ut ſtudentes nominati manuteneri deberent in Seminario Civitatis loco Urbis, juxta præſentes redditus in *Marſorum Legati Pii* 4. *Mart. p.*25. *cum ſeq.*

Legatum Dotis. Vide *Dotis Legatum*.

Legatum relictum pro conficiendis ad Altare aſſignatum ſpeculariis eſſe commutandum, ne Eccleſia perpetuo hoc onere ſarta tecta ſervandi ſpecularia graveretur in *Romana Legati* 22. *Jul. p.*42. *cum ſeqq. ad I. Dub.*

Et in aliam rem convertendum eſt legatum, ut memoria Teſtatoris alio, & licito genere celebretur. *p.*41. §. *Contra.*

Legata Miſſarum tam adimpleta, quam adimplenda ſolvenda ſunt ab hæredibus in *Alerien. Legatorum* 12. *Aug. p.*54. *cum ſeq. ad I. Dub.*

Et bona in dotem Cappellaniæ aſſignata, & ab hæredibus alienata ſunt ab iiſdem reintegranda. *Ibid. ad II. Dub.*

Imo; & ablata fuit hæredibus adminiſtratio impoſterum dictorum bonorum, lato onere Epiſcopo, qui provideret de idoneo Adminiſtratore excluſis hæredibus. *Ib. ad III. Dub.*

Legatum Sacri quotidiani agendi non poſſe transferri ab Eccleſia deſignata reſolutum fuit in *Barchinonen. Operis Pii, ſeu Miſſæ Quotidianæ* 22. *Jul. p.*44. *ad I. Dub.*

Neque Cappellano fuit permiſſum, ut poſſet celebrare, dimittere, & reaſſumere celebrationem Miſſarum. *Ibid. ad II. Dub.*

Cui tamen eſſe ſolvendam eleemoſynam Miſſarum celebratarum juxta liquidationem faciendam cor. Ordinario. *Ib. ad III.*

Legitimę detractioni in legato Cappellaniæ exigendæ quando locus fiat favore etiam tertii in *Montis Alti Erectionis Cappellaniæ* 18. *Febr. p.*16. *cum ſeq.*

M

MAtrimoniis an valide poſſit aſſiſtere Vicarius relictus a Parocho. Vide *Vicarius*.

Matrimonium contractum inter affines in quarto gradu ex Sanctione Innocentii Tertii nullum eſt *p.*6 §. *Appellavit.*

Quæ nullitas confirmatur ab hoc Sacro Tribunali in *Nullius S. Benigni Nullitatis Matrimonii* 22. *Jul. p.*38.

Matrimonium vi metuque contractum nullum eſſe reſponſum fuit in *Capuana, ſeu Calven. Matrimonii* 3. *Dec.* ſuper oris Anni *p.*87., & confirmatur in *Capuana &c.* 28. *Jan. hujus anni p.*8.

Matrimonio contrahendo impedimentum afferre poteſt probatio, etiam quæ ex unico teſte educatur. *p.*39. §. *Aſina.*

Contrarium in Matrimonio jam contracto. *Ibid.*

Et Sac. Congr. reſpondit: Non conſtare de impedimento, & locum eſſe celebrationi Matrimonii in *Aſina Matrimonii* 22. *Jul. p.*39. *cum ſeq.*

Quod decretum confirmavit in eadem cauſa ſub die 2. Sept. *p* 56.

Media annata ex Conſt. Benedictina debetur a Proviſis, ad hoc, ut ſarta tecta ſerventur ædificia Eccleſiarum Collegiatarum; ideoque debetur ab omnibus Proviſis tam in Collegiatis, quæ aderant tempore d. Conſtitutionis, quam in aliis inde erectis. *p.*5. §. *Diſputat.*

Unde Capitulum Cathedralis Imolenſis, quod exegerat medias annatas a Proviſis in duabus reſpectivis Collegiatis Terræ Lugi tunc temporis diviſis, & inde in unum Capitulum unitis, fuit adſtrictum reſtituere Capitulo Collegiatarum unitarum a die erectionis utriuſque Collegiatæ medias annatas in præteritum perceptas in *Imolen. Mediæ Annatæ* 14. *Jan. pag.*4. *cum ſeq. ad II. Dub.*

Et confirmatur ſub die 18. *Februar. pag.*14.

Miſſæ quotidianæ legatum an poſſit transferri de una in aliam Eccleſiam. Vide *Legatum*.

Monaſterium, Conventus, Collegium, Congregatio, Univerſitas extare dicitur, & ſuperſt, donec unus ſuperſit ex iis, qui Conventum, Collegium, Congregationem, Univerſitatem conſtituebant, atque in hoc uno omnis coaleſcit poteſtas, & juriſdictio, quæ erat in Vniverſitate, & Collegio. *pag.*51. §. *Cauſa.*

Ideoque Sacr. Congr. reſpondit licere Presbiero Oratorii S. Philippi Nerii Urbini alios Presbyteros in Congregationem admit-

ctum juxta mentem in Jacen. 14. *Jan. p.*3. *cum seq. ad I. & II. Dub.*

Provisi in Ecclesiis Collegiatis ex Constitutione Benedictina debent mediam annatam ad hoc ut sarta tecta serventur Ædificia Ecclesiarum; ideoque debetur a Provisis omnibus tam in Collegiatis quæ aderant tempore dictæ Constitutionis, quam in aliis inde erectis *p.* 5. §. *Disputat.*

Ita Capitulum Cathedralis Imolensis, quod exegerat medias annatas a Provisis in duabus respectivis Collegiatis Terræ Lugi tunc temporis divisis, & inde in unum Capitulum unitis, fuit adstrictum restituere Capitulo Collegiatarum unitarum a die erectionis utriusque Collegiatæ medias annatas in præteritum perceptas in *Imolen. mediæ annatæ* 14. *Jan. p.*4. *cum seq. ad bina dubia*:

Et confirmatur hæc definitio *sub die* 18. *Febr. p.*14.

R

Reddituum defectus an & quando causare possit diminutionem onerum. Vide *Canonici*.

Restitutio in integrum datur contra professionem coacte emissam in *Nolana restitutionis in integrum* 19. *Nov.* 1757. *p.* 83. *cum seq.* Et confirmatur in eadem causa repropofita *die* 18. *Febr. hujus anni p.*14.

S

Verbum *Sacerdos*, quo Testator usus est, non præsefert necessitatem, ut nominatus debeat esse actu talis, sed satis est si talis fuerit habitu *p.*76. §. *Lege tamen*.

Verbum enim *Sacerdos* Clericum etiam comprehendit *p* 77. §. *Contra*.

Contrarium placuit Sacro huic Tribunali, Cappellaniamque adjudicandam esse alteri, qui actu erat Sacerdos, voluit in *Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ* 23. *Sept. p.*75. *cum seq.*

Limita si ageretur de passive vocato a Testatore, nullusque concurreret ad beneficium consanguineus Fundatoris actu Sacerdos; eo enim casu voluit concedendam esse dispensationem favore Clerici in *Imolen. Beneficii* 23. *Sept. p.*76. *cum seq.*

Sacerdotes simplices celebrantes in Ecclesiis ruralibus tenentur docere doctrinam Christianam, sublata tamen quacumque pœna suspensionis; Et Episcopi ut hoc impleatur debent se gerere ad formam Constitutionis Benedicti XIV. in *Neritonen.* 18. *Febr. p.*16.

Sacrorum Legata. Vide *Legata*.

Seminarii commodo & subsidio quando cedunt beneficia taxæ subjecta in *Potentina Beneficii* 3. *Dec.* 1757. *p.*86. & 12. *Aug. hujus anni p.*48.

Neque relaxatur pro his supplicatio etiam si impetratis antequam cederent commodo Seminarii *ibid.*

Sepulturam eligendi cuiquam licitum est, magisque Sodalibus salvo jure Parochi *p.*74. §. *Longius*, & *in Apten.* 12. *Dec. p.*82. *ad II. Dub.*

Servitus quoad Ecclesias. Vide *Ecclesiis*.

Sodales in functionibus non Parochialibus explendis in propriis Ecclesiis seu Oratoriis, non tenentur requirere Parochum, aliosque Sacerdotes Parochiæ *p.*74. §. *Longius*. *Et in Apten.* 2. *Dec. pag.*84. *ad II. Dub.*

Unde neque substinetur interdictio Cappellæ, seu Oratorii ex eo, quod dictas functiones Sodales expleverant contra jussum Episcopi in *Apten.* 2. *Dec. pag.* 82. *ad I. Dub.*

T

Taxa pro utensilibus Ecclesiæ solvenda constituta est ab hoc Sacro Tribunali pro Sacris quotidianis in scut. 6. vel 4. pro aliis Sacris manualibus in scut. 1. pro quolibet centenario. *pag.*8. §. *Terracinen.* Sacra autem Congregatio respondit deberi utensilia a die motæ litis juxta consuetudinem Diœcesis in *Terracinen. Utensilium* 18. *Febr. p.*15.

Et quando Ecclesia teneatur præstare utensilia Cappellano in *Nicien. Cappellaniæ* 15. *Apr. p.* 34. *cum seqq. ad III. Dub.*

Testamentum quoad Episcopos. Vide *Episcopi*.

Testi nulla fides haberi debet, qui propriam turpitudinem detegit. *pag.* 43. §. *Quod si*.

Testes duo in quacumque re satis sunt. *p.*6. §. *appellavit*.

Præsertim si eorum dicta verificata veniant ex aliis incidentibus. *Ibid.*

Multo magis si sint Sacerdotali charactere insigniti. *Ibid.*

Vica-

V

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGR. CONCILII

Quæ consentanee ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones,

MUNUS SECRETARII EJUSDEM S. CONGREGATIONIS

Obeuntibus usque ad diem 24. Septembris 1759.

E.MO & R.MO D. CARD. FURIETTO


DEINCEPS VERO

R. P. D. SIMONETTO

Prodierunt in Causis sub Annum 1759. propositis, Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprime utilis, & necessarius.

TOMUS VIGESIMUSOCTAVUS

DUPLICI INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLIX.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI


IN PLATEA AGONALI AD VICUM CUCCAGNÆ.

INDEX
TITULORUM CAUSARUM
QUÆ IN SACRA CONGREGATIONE
Anno 1759 *fuerunt propositæ*.

Leo-

Die

Die Sabbathi 20. Januarii 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.



ARINEN. CONCURSUS. Poſtquam Tria hujus Cauſæ Dubia definita fuerunt in *Congregatione* habita *die 2. menſis Septembr. anno nuper tranſacto*, iterum eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die 2. menſis Decembris*, ſed propoſita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, & ab Eminentiſſimis Patribus cognoſcendum erit. *Seſs. 24. c. 18. de ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Non propoſita.

BARCHINONEN. OPERIS PII, SEU MISSÆ QUOTIDIANÆ. Propoſitis in *Congregatione* habita *die 22. Julii ſuperiore anno* 1758. Tribus hujus Cauſæ Dubiis, quorum Primum erat: *An ſit locus translationis Operis Pii in caſu &c.* & quatenus negativè. Secundum: *An Leopoldus Pradell poſſit celebrare, dimittere, & reaſſumere celebrationem Miſſarum in caſu &c.*. Tertium denique: *An teneatur Communitas ſolvere eleemoſynas Miſſarum celebratarum cum abſolutionibus in caſu &c.* Emi Patres reſponderunt. *Ad I. Negativè. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. Affirmativè juxta liquidationem faciendam coram Ordinario, & amplius.* Redit nunc *Dubium primum* ad novum Eminentiſſimorum Patrum Judicium, a quibus reſpondendum erit. *Seſs. 22. c. 6. de ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad primum Dubium in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

PISAUREN. PAROCHIALIS. Ex antiqua cauſa, cujus ſpecies ab Eminentiſſimis Patribus repetenda eſt ex *Folio Congregationis* habitæ *die 2. Auguſti anno* 1749., quod publici juris factum fuit in *Vol. XVIII. Theſaur. Reſol. Sac. Congreg. pag.* 62., *Seſs. 13. c. 1. Seſſ. 21. c. 6. de ref.*

orta est hæc, quæ nunc agitur inter Petrum Joannellium Archipresbyterum Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ Oppidi Gradariæ, & Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Pisauri. Duo fuerunt prioris illius Causæ Dubia. I. *An sit locus privationi Parochiæ in casu &c.* & quatenus negative. II. *An quomodo sit providendum in casu &c.* His responderunt Eminentissimi Patres – *Ad I. Negativè. Ad II. Ad mentem.* Mens autem fuit – *quod Archipresbyter per tres menses se recipiat in domo Missionis Urbis, ibique peractis exercitiis spiritualibus, non redeat ad suam Parochiam inconsulta Sacra Congregatione.* Paruit Archipresbyter, & ab hoc Sacro Tribunali detractus fuit mensis: Postulavit anno 1750., ut ad Parochiam suam redire posset, sed pluribus subortis æquivocis res ad hæc usque tempora dilata fuit. Redit nunc igitur ad hoc Sacrum Tribunal, & postulat redeundi facultatem, utque immunis sit a Jurisdictione Episcopali, cujus duritiem expertus est. A Promore Fiscali nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Archipresbytero Gradariæ sit concedendus reditus ad suam Parochiam, & reintegratio ad omnia, & singula ejus munia in casu &c.*, & quatenus affirmativè in omnibus..

II. *An, & quomodo providendum sit imposterum quoad Jurisdictionem Reverendissimi Episcopi Pisauren. erga ipsum Archipresbyterum in casu &c.*

Ad I. affirmativè in omnibus, & amplius. Ad II. Episcopus non deveniant ad actus irretractabiles contra Archipresbyterum inconsulta S.Congregatione.

Sess.24.c.1. de ref. Matr.

FANEN. MATRIMONII. Nupsit anno 1756. Cleopatra filia Comitis Julii De Monte Veteri Lelio Rinalducci, summaque animorum consensione annum Conjuges exegerunt. Exortis post annum inter eos domesticis dissensionibus Vir Romam venit: Socer ad eum dedit epistolas, quibus thalami nuptialis separationem, & perpetuum a filia divortium proponebat. Respuit hoc Lelius, numquam se passurum, ut mulier a se diverteret constanter affirmans. Preces itaque obtulit Cleopatra defuncto Principi Benedicto XIV., quibus narrabat inviolatam, atque integram esse a Lelio Viro, quod iners, & imbecillis esset ad actus matrimoniales, postulabatque, ut Causa dissolutionis hujus sui matrimonii ab hoc Sacro Tribunali cognosceretur, & quod petebat obtinuit. Quid inde actum sit probe norunt Eminentissimi Patres, cum bis Cleopatra eos adierit, & præfixus ab ipsis fuerit terminus trium mensium ad prosequendam causam dissolutionis matrimonii. Termino tamen transacto, cum nihil a Cleopatra gestum fuerit, postulavit Lelius, ut pronunciaretur causam esse desertam: Contra vero Cleopatra postulavit, ut mandaretur Jurisdictio Judici in Civitate Fani, qui probas eligeret obstetrices, a quibus corpus

usum

ſuum inſpici poſſet; ſed cum a Viro, non a Muliere res pendeat, electi fuerunt *ex officio* duo Periti, qui Lelium inſpicerent, & quid de ejus imbecillitate ex eorum animi ſententia cenſerent, jurati referrent. Bis Lelium inſpexere Periti, & jurati retulerunt nullum ipſos agnoſcere potuiſſe vitium ſive externum ſive internum, Partes omnes vidiſſe naturaliter atque optimè conformatas diſpoſitaſque, ſigna virilitatis, & fortitudinis manifeſta, aptiſſimum eos Lelium judicare ad actus matrimoniales.

Cauſa nunc proponitur, & diſputat Lelius diſſolutioni matrimonii locum non eſſe, quia præſumptio juris contra Cleopatram ſit, quia præſumptioni accedat jurata declaratio Viri, qua affirmat matrimonium conſumatum, quæque prævalet cuicumque juratæ mulieris contrariæ aſſertioni, præſertim, cum plurimi Viri nobiles, Conſanguinei, Eccleſiaſtici jurati dicant ſe credere Lelium vera juraſſe; Accedere Cleopatram ipſam Viro, & Cubiculariæ, aliique domeſtico Teſti faſſam fuiſſe, & narraſſe abortum feciſſe, ejuſque famam per ora hominum in Civitate Fani diffuſam ſeptem Teſtes affirmant. Omnem vero dubitationem adimi a Peritorum inſpectione, cum enim triplex ſit *naturalis impotentiæ* ſpecies, ex eadem inſpectione compertum ſit nulla eſſe ſigna ſive certæ, ſive probabilis, ſive dubiæ impotentiæ, & ex horum ſignorum defectu, & ex ſignis inertiæ, atque imbecillitati contrariis colligere eos, & judicare debuiſſe Lelium fortem eſſe Virum, & ad Matrimonium aptiſſimum. Hæc atque alia Lelius. A Cleopatra nihil habuimus. Dubium eſt.

An ſit locus diſſolutioni Matrimonii in caſu &c.

Proponatur in prima etiam unica.

AUGUSTANA NULLITATIS MATRIMONII. Nupſit Maria Gayſelmaryn ſexdecim annorum Puella Antonio Ritterin jam ſeni, & poſt tres menſes a Viro divertit, divortium probante Judice. Poſt quinquennium litem contra Virum inſtruxit in Conſiſtorio Auguſtano de nullitate matrimonii defectu conſenſus, & ex vi metuque a Matre illatis contracti, ſed victa fuit: Appellavit ad hoc Sacrum Tribunal, & cauſa nunc proponitur. Diſputat Maria non eſſe ambigendum matrimonium, quod vi metuque contrahitur nullum eſſe defectu conſenſus; credendum eſſe mulieri, ſi proba ſit, quæ dicit conſenſum non præſtitiſſe ex animi ſui ſententia; præſumi non poſſe Puellam ſeni nubere velle, itaut his conſtitutis non opus ſit rigidiſſima illa metus probatione, qua opus eſt in aliorum caſuum circumſtantiis. Vim, & metum illatum a Matre natura feroci, & moribus incondita probat Maria Teſtibus, qui ſunt in Proceſſu Auguſtano, & aliis duobus, qui nunc Romæ ſunt. An ex his Teſtibus metus probatio educatur, judicium

erit Eminentissimorum Patrum: neque ab Antonio Viro, neque a *Defensore Matrimonii* quicquam habuimus. Dubium est, *An sit locus nullitati Matrimonii in casu &c.*

Negativè.

Sess. 25. c. 16. de Regular.

ASCULANA ERECTIONIS MANSIONARIÆ. Nomen daturus Ordini Clericorum Regularium, qui nuncupantur *Teatini* in Collegio Civitatis Arimini anno 1733. Joannes Cauti Asculanus bona juraque sua renunciavit Seraphino Patri, ejusque hæredibus, & successoribus, reservatis sibi annua præstatione sc.30., juribus omnibus, & actionibus in successione Matris, *come ancora tutti quei Legati, e Benefizj, che in avvenire se fossero specificatamente lasciati da chi si sia, ed a suo favore disposti.* Cum Pater hanc renunciationem noluisset agnoscere, res composita fuit, ut Joannes, qui Pat. Antonii Mariæ nomen susceperat, novam emitteret renunciationem, quæ bona etiam materna complecteretur, diminuta annua præstatione a sc.30. ad sc.20., contra tamen Seraphini hæredes tenerentur solvere Collegio Ariminensi sc.300. Omnibus igitur servatis solemniis, nova renunciatione Pat. Cauti bona omnia, & jura donavit Seraphino ejusque hæredibus sub expressa lege, *che non s' intendano compresi nella presente rinunzia li Legati, e doni a favore di detto P, Giovanni da qualunque persona tanto Consanguinea, quanto estranea tanto ad tempus, quanto durante la di lui vita, e ne pure quelli, che venissero fatti in avvenire, ne tampoco quelli lasciati, o doni, e limosine, che inter vivos, o per ultima volontà, e disposizione gli venissero fatti in avvenire ad tempus solamente dalla suddetta Signora Madre, li quali possino a suo tempo conseguirsi, se verranno fatti per detto P. Gio: Cauti.*

Testamento, quo decessit Victor Cauti Propatruus legaverat Canonico Joanni Baptistæ Fratri P. Antonii Mariæ, quoad viveret certam pecuniarum quantitatem, & bona, quædam immobilia sita in Territorio Asculano cum onere duo Sacra agendi singulis hebdomadis. Defuncto autem Canonico, substituit Joannem fratrem, qui inde, ut diximus, nomen dedit Ordini Clericorum Regularium, ejusque filios masculos cum eodem onere, ut duo Sacra agi curarent. Omnibus vero defectis, substituit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Asculanæ, voluitque, *che si erigga con detti beni, e danaro di scudi 300. un Mansionariato con chiamarsi Mansionaria di Vittore Cauti.* Obiit nuper Canonicus Joannes Baptista, itaut locus factus fuerit substitutioni P. Antonii Mariæ, qui ab Ordine Clericorum Regularium nuncupatorum *Teatini* transiit ad alium Ordinem Clericorum Regularium, qui vocantur *Bernabiti*, in Collegio Civitatis Bononiæ. Sed Capitulum Asculanæ Cathedralis censuit reiiciendum esse P. Antonium, erigendamque esse ex ultima substitutione Mansionariam. Contra vero censuit Collegium Bono-

nonienſe, & Judicium inſtruxit, ſed inde, & Capitulum, & Collegium convenerunt, ut res ab hoc Sacro Tribunali definiretur *appellatione remota*. Cauſa itaque nunc proponitur, diſputatque Collegium Bernabitarum vivo P. Cauti locum non eſſe erectioni Manſionariæ, quia nimis aperta ſit ſubſtitutio ejuſdem P. Cauti facta a Teſtatore defuncto Canonico Joanne Baptiſta; nec mutare renunciationem emiſſa ab eodem P. Cauti cum Ordinem Teatinorum ingreſſus eſt Renunciatio ſiquidem illa Capitulum Aſculanum non complectitur, itaut nullam ex ea actionem habeant Canonici, nec Legatum illud Victoris Cauti complectitur, ac denique Legata omnia, & dona lege expreſſa reſervata fuerunt.

Apertiſſimum eſſe renunciationem non complecti Capitulum Aſculanum, quia ſive prima, ſive ſecunda ſpectetur, utraque collata fuerit in Seraphinum, ejuſque hæredes, & ſucceſſores e quorum numero non eſt Capitulum, ideoque, ſi cui ex iiſdem renunciationibus oriri actio poſſet, is certe non alius eſſet, quam hæres Seraphini, & tamen hæredes publicis Tabulis quæcumque eorum jura ceſſerunt Pat. Antonio Mariæ: ſed neque renunciationes illas Legatum a Victore datum complectuntur, cum renunciatio fuerit perſonalis, non realis, & abdicativa, ut latiſſime probat Collegium Bernabitarum, cucujus rationes non exſcribimus ne folium in volumen excreſcat. Illud quoque impoſſibile eſſe, ut Pat. Antonius Maria renuciando poſſet de Legato cogitare, cum ſciret perpetuo fideicommiſſo ſubjectum eſſe, & renunciationis tempore a Canonico Joanne Baptiſta Fratre ſuo poſſideri: Utramque demum paginam facere poſtremam rationem reſervationis omnium Legatorum, & munerum, quæ in utraque renunciatione expreſſa eſt, ut patet ex verbis, quæ ſupra dedimus, & ex qua efficitur, ut etiamſi Capitulum Aſculanum jus aliquod ex iiſdem renunciationibus acquirere potuiſſet, etiamſi renunciationes reales eſſent, & abdicative, & Legatum a Victore datum complecterentur, quia tamen Pat. Antonius Mariæ illud a renunciationibus excepit, ſibique reſervavit, nequeat eo vivo ab Aſculano Capitulo agi, ut ejuſdem Legati bonis erigatur Manſionaria. hæc ſumma eſt libelli dati a Collegio Bernabitarum, in quo etiam aliquid de impenſis hujus litis habetur. A Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Aſculanæ nihil habuimus. Duo ſunt Cauſæ Dubia.

I. *An & quomodo ſit locus Erectioni Manſionariæ in caſu &c.*

II. *An expenſæ præſentis litis ſint deſumendæ ex fructibus bonorum Legatorum depoſitis, ac in poſterum deponendis, ſeu potius, an & a quibus debeant refici in caſu &c.*

Non propoſita attenta renunciatione Capituli.

MAN-

Sess. 25. c. 4. de Ref.

MANTUANA LEGATI SUPER REDUCTIONE: Testamento, quod scripsit anno 1611 Eques Cerruti, legavit Sodalitio SSmi Rosarii sc.200. monetæ Mantuanæ dato onere sartum tectum servandi ejus sepulcrum, & comparandi ter annis singulis duodecim faces librarum duodecim ceræ Venetæ in singulas, ut iis uteretur in Pompis seu Processionibus Bmæ Virginis, & singulis Sabathis, dum ad ejus Aram recitantur Litaniæ, voluitque, ut poneretur inscriptio, quæ legati hujus monimentum servaret, atque hæc omnia sub indicta pœna caducitatis, quam etiam in aliis casibus induxit, sed quos hic referre ad rem nihil attinet. Onus hoc agnitum a Sodalitio susceptum fuit anno 1641. ab Alexadro Donesmondi successore Regulari, & hærede Beneficiato Comitis Jo.Baptistæ Donesmondi, qui mediatus hæres fuerat Testatoris, ut constat ex publicis Tabulis Transactionis, & Cessionis hæreditatis, impletumque fuit ab omnibus Alexandri Successoribus ad annum usque 1740. quo etiam rati habitum fuit a Comite Odoardo Donesmondi in alia transactione, quæ eo anno inita fuit inter eum ejusque creditores. Sed nuper Comes Aloysius Donesmondi Odoardi filius, & hæres preces obtulit Sacro huic Tribunali postulans ejusdem oneris reductionem. Obsitit Sodalitium, auditoque jam Episcopo, nunc Causa proponitur.
Negat esse locum huic reductioni Sodalitium, ut servetur ultima Testatoris voluntas per centum, & qui excurrunt, annos observata, & exequuta, præsertim, cum agatur de onere per contractum suscepto, quo casu ex constanti Sacri hujus Tribunalis sententia reductioni locus non est. Frustra obtendi Alexandrum fuisse hæredem Beneficiatum, hæreditatem vero imparem esse huic oneri ferendo: nam & bona sua obligata voluit Alexander, & potest Aloysius hæreditatem Testatoris dimittere, si eam imparem putat, non vero eam retinere, & simul oneris reductionem postulare. Angustiam denique rei suæ familiaris, quam proponit Aloysius, non probari in conspectu Transactionis initæ inter Patrem ejusque Creditores. Hæc sodalitium. A Comite Aloysio nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus prætensæ Reductioni annui Legati in casu &c.

Non proposita.

CELSONEN. Antiqua est controversia inter Rectores Parochialis Ecclesiæ Civitatis Cervariæ, & Regulares, qui in ea Civitate sunt, de Purificatione Mulierum, contendentibus Rectoribus jus sibi esse *privativum* Benedicendi Puerperis, nec posse eas ad Regularium Ecclesias accedere, ut benedicantur. Cum hæc controversia nuper recruduerit Regulares Parochum in jus vocarunt coram A. C., sed Causæ cognitio Emis Patribus data fuit, a quibus audito jam, ut fieri solet, Episco-

po,

po, nunc est definienda. Disputant Regulares, Functionem hanc ex sententia Canonistarum, & Tribunalium non esse Parochialem, sed mere Sacerdotalem, & in facultate esse Mulierum eamdem benedictonem petendi cum nulla lex eas cogat, ideoque etiam in earum facultate esse eam a quocumque Sacerdote petendi. Vetustissima consuetudine servatum fuisse in ea Civitate, ut mulieres irent ad Ecclesiam Regularium, idque non testibus dumtaxat, quorum alii *ad perpetuam*, alii vero *formiter* examinati fuerunt, sed etiam partitis extractis ex Codicibus Ecclesiarum probari. Controversiam vero omnem diremptam fuisse *re Judicata* usque ab anno 1420. in qua contra Parochum Cervariæ secundum Regulares pronunciatum fuit: hinc audiendum non esse Parochum, qui contra dispositionem Juris, contra immemorialem consuetudinem, contra rem Judicatam, jus hoc sibi privativum asserit ex tribus decretis primo lato ab Episcopo anno 1626. in visitatione, aliis vero duobus latis ab ipsis Parochis anno. 1737. & anno 1753. cum sede Episcopali vacante, munus agerent Vicarii Capitularis, ac denique ex Testibus, quos proponunt.

Decreta siquidem illa, & præsertim Episcopale anni 1626. nulla sunt, injusta: nulla quidem cum lata fuerint non citatis, & auditis Regularibus, qui, licet res ageretur in Visitatione, citandi erant, & audiendi; Res enim erat non de moribus, & cultu divino, sed de Jure controverso. Iniusta vero, quia tollebant Regularibus jus quæsitum ex sacris Legibus, ex immemoriali consuetudine, ex re Judicata, quæ revocari nequit, nisi impetrata in integrum restitutione; atque hinc jure optimo ignota hæc Regularibus Decreta spreta semper fuisse, & perpetuo contrario usu obliterata. Hæc quidem omnibus hisce decretis obesse, sed posterioribus illud etiam officere, quod Parochi in propria Causa jus sibi dixerint. Testium denique nullam habendam esse rationem, quod negativè sint, contrarii verò affirmativè, quod contra juris dispositionem, & naturalem mulierum facultatem testimonium ferant, quod contra rem judicatam inducti fuerint, quod denique non excludant, ut necesse esset, *per negativam coarctatam* accessum Fæminarum post partum ad accipiendas Benedictiones in Ecclesiis Regularium sine qua probatione frustra Parochus sibi asserat jus privativum, præsertim, cum ex partitis extractis ex Codicibus Ecclesiarum contrarium apertè probetur, & falsitas Testium, quos Parochus proponit, emicet liquidissimè. Hæc Regulares. A Parocho nihil habuimus. Dubium est.

An liceat Regularibus Civitatis Cervariæ benedicere Puerperas ad eorum Ecclesias accedentes post partum, seu potius eadem Benedictio competat Parocho in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

AN-

Sess.24. c. 13. de ref.

ANDRIEN. Ecclesiam Andriensem, quam fundasse dicunt S. Riccardum ineunte sæculo a Christo nato V. unicam quoque fuisse *Parochialem* in ea Civitate asserunt ad annum 1104. quo Desidius Episcopus intra Urbis illius mœnia recepit Tarquinium Præpositum, & Clerum Ecclesiæ S. Mariæ *de Tramodia*, quæ Villa erat Suburbana, fugientes a Latronibus, iisque concessit, ut Ecclesiam Divo Nicolao extruerent, quæ nunc etiam dicitur *de Tramodia*, duplici tamen adjecta conditione, quarum altera, quæ ad rem pertinet, est, ut *nostram majorem Ecclesiam primariam esse agnoscebant, eidem obedientiam, Titulum, & obsequium præstent*. Clerum illum anno 1126. concessionis limites excessisse ajunt & instante Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, cohibitum fuisse ab Episcopo, & præcepto pœnali revocatum ad concessionis limites, ne Jura Parochialia Cathedralis invaderet, idque a Clero promissum, inde tamen anno 1328. aucto Andriensi Populo ad Capita vigintiquinque millia, cum Sacramentis numeroso Populo administrandis Capitulares non sufficerent, ab ipsa Cathedrali Ecclesia advocatum fuisse *in Adjutorem Curæ Animarum* Clerum Ecclesiæ S. Nicolai, quæ declarata fuit *Vicaria, & Coadjutrix* in administrandis Sacramentis *cuicumque petenti per totam Civitatem*, protestatione tamen adjecta, nullum inde detrimentum illatum iri Ecclesiæ Cathedrali *unicæ Parochiæ* utque hæc concessio *potest revocari ad libitum, & non aliter, nec alio modo*. Additum fuit, *quod cæteræ functiones, & omnes aliæ Prærogativæ, & Jura ad Cathedralem, uti unicam Parochialem, circa Parochialitatem, & Jura Parochialia contra quoscumque, & contra ipsam venerandam Ecclesiam, ad ipsam Cathedralem spectantia integrè remaneant, & nullam earum vigore præsentis concessionis intelligatur translata, cum nihil aliud, nisi nudam Sacramentorum Administrationem in adjutorium Cathedralis ipsi Episcopus, & Capitulum dare dictæ Ven. Ecclesiæ intendant*.

Pacta quoque alia in hac concessione conventa fuerunt: Ut corpora defunctorum Cæmeteriis Ecclesiæ S. Nicolai inferri non possent, nisi funeribus & exequiis Capitulares Ecclesiæ Cathedralis interessent: Ut emolumenta funerum, & Sacrorum *manualiter* inter eosdem Capitulares, & Clerum S. Nicolai dividerentur: Ut Clerus ejusdem Ecclesiæ S. Nicolai quotannis solveret *denarios sexdecim in signum subjectionis*: Ut denique, si qua de causa futuro tempore Populus illius Civitatis ita decresceret, ut ad dimidiam partem redigeretur, *subito, ex nunc protunc ablata censeretur dictis Cappellanis Ven. Ecclesiæ S. Nicolai facultas Sacramenta administrandi, cum tunc sufficiat sola Cathedralis*. Fidem datam pacta conventa servandi Clerum Ecclesiæ S. Nicolai non liberasse inquit Capitulum Cathedralis, sed lites, & controversias movisse de Juribus Parochialibus, itaut ad eas averruncandas anno 1446. transigi necesse fuerit, data Clero Ecclesiæ S. Nicolai facultate tumulandi corpora defunctorum, qui vel familiaria sepulcra haberent in eadem Ecclesia,

clesia, vel in ea sepulturam elegissent, hac tamen lege, ut Episcopus, & Capitulum de funere, & exequiis agendis certiores redderentur, ut possent Sacerdotem vel Clericum de Capitulo deputare, qui Functionibus illis interesset æquali accepto stipendio. Hoc jus *gratiosè* dari salvo jure Cathedralis Ecclesiæ, cui jus semper esse tumulandi defunctorum Civium, & exterorum Corpora, qui sive intra, sive extra Civitatem, non electa sepultura in Ecclesia S. Nicolai, decessissent. Hoc etiam tumulandi jus Ecclesiæ Cathedrali *tamquam unicè Parochiali* pluribus sententiis confirmatum fuisse. Eamdem denique Cathedralem Ecclesiam *unicam esse Parochialem*, Ecclesiam verò S. Nicolai *meram esse adjutricem* evinci ex pluribus sententiis diversorum Tribunalium ex confessionibus ejusdem Cleri S. Nicolai, ex relationibus Episcoporum, ex Testium Testificationibus, ex actibus denique Parochialibus, qui a Capitulo Cathedralis in universa Civitate perpetuò gesti fuerunt. In horum tamen omnium conspectu Capitulum Ecclesiæ S. Nicolai contendit jura Parochialia communia habere cum Cathedrali, & Ecclesiam S.Nicolai esse *Comparochialem*. Ad omnem igitur controversiam præcidendam Capitulum Cathedralis rem detulit ad hoc Sacrum Tribunal, & audito jam Episcopo, Causa nunc IV. Dubiis instructa proponitur. Hæc habuimus ex Libello Capituli Cathedralis; a Capitulo siquidem S. Nicolai nondum Libellus datus fuit. Rationes Capituli Cathedralis excerpere ex longissimo ejus Libello longum nimis esset. Emi Patres sola Dubiorum lectione dignoscent quid sit, id de quo disputatur. Dubia sunt.

I. *An Ecclesia Cathedralis Civitatis Andriæ sit unica Parochialis totius Civitatis, ejusque Territorii, itaut Ecclesia S. Nicolai sit mera Coadjutrix in administratione tantum Sacramentorum in casu &c.* Et quatenus affirmativè.

II. *An possit dicta Ecclesia Cathedralis totam exercere curam etiam quoad totalem Sacramentorum administrationem ex se, & in casu &c.* Et quatenus negativè ad utrumque.

III. *An sit locus divisioni Parochiarum in casu &c.* Et quatenus affirmativè.

IV. *An, & quomodo sit facienda Divisio? Et an Ecclesiæ Cathedrali præservanda sint illa omnia Jura Parochialia, quæ prætendit privativè exercuisse, & exercere in tota Civitate in casu &c.*

Die Sabbathi 10. Februar. 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DEcreto Eminentiſſimorum Patrum Priores duæ, quas ſubjicimus, Cauſæ proponuntur: *In ultima* enim *Congregatione* habita *die* 20. tranſacti *menſis Januarii* juſſerunt, ut nunc proponerentur. Obſequentes igitur eorum imperio eas damus, ut repetita lectione *Folii ejuſdem Congregationis* Dubia earumdem definiantur.

Seſs. 24. c. 1. de ref. Matr. FANEN. MATRIMONII, cujus Dubium eſt.
An ſit locus diſſolutioni Matrimonii in caſu &c.

Negativè.

ANDRIEN. cujus IV. ſunt Capita.

Seſs. 24. c. 13. de ref. I. *An Eccleſia Cathedralis Civitatis Andriæ ſit unica Parochialis totius Civitatis, ejuſque Territorii, itaut Eccleſia S. Nicolai ſit mera Coadjutrix in adminiſtratione tantum Sacramentorum in caſu &c.* Et quatenus affirmativè.

II. *An poſſit dicta Eccleſia Cathedralis totam exercere curam etiam quoad totalem Sacramentorum adminiſtrationem ex ſe, & in caſu &c.* Et quatenus negative ad utrumque.

III. *An ſit locus diviſioni Parochiarum in caſu &c.* Et quatenus affirmativè.

IV. *An, & quomodo ſit facienda Diviſio? Et an Eccleſiæ Cathedrali praſervanda ſint illa omnia Jura Parochialia, quæ prætendit privativè exercuiſſe, & exercere in tota Civitate in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè. Ad III. Eſſe locum diviſioni quoad exercitium curæ animarum tantum. Ad IV. Diviſionem faciendam eſſe ab Epiſcopo, & approbandam a Sacr. Congregat.

UR-

URBEVETANA JURISDICTIONIS : Propositis in *Congregatione* habita *die* 15. *Aprilis* transacto anno 1758. duobus hujus Causæ Dubiis . I. *An Camerarius , seu Administrator Bonorum Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis Urbis Veteris valeat opus , de quo agitur , vel aliud quodlibet moliri in , & circa eamdem Ecclesiam sine licentia Episcopali , & participatione , ac consensu Capituli in casu &c.* & quatenus negativè . II. *An constet de sufficienti consensu Episcopi , itaut sit locus prosequutioni operis incepti , seu potius omnia sint reducenda in pristinum statum , & cujus expensis in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Negativè . Ad II. Negativè ad primam partem , affirmativè ad secundam expensis Camerarii .* Post longas moras Causa reproposita fuit *in Congregatione* habita *die* 2. *Decembris* , Dubioque , quod erat , *An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.* responsum fuit -- *Ad I. In decisis , & amplius . Ad II. Iterum proponatur .* Ut igitur II. Dubium expediatur , nunc Tertiò proponitur , & Eminentissimi Patres cognoscere debent . Sess.21. c.7. de Ref.

An sit standum , vel recedendum a Decisis quoad II. Dubium in casu &c.

In decisis , & ad mentem , & mens est quoad eligatur Peritus de consensu utriusque Partis , qui referat juxta Instructionem dandam a D. Secretario .

NOVARIEN. JURIUM PAROCHIALIUM : Species hujus Causæ , quæ agitur inter Universitates Terrarum Levi, & Somerarii repetenda est ex *Folio Congregationis* habitæ *die* 14. *Decembris anno* 1754., quod publici juris factum fuit in *Vol.XXIII. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. pag.*108. Dubium expeditum non fuit ; Placuit enim Eminentissimis Patribus respondere -- *Dilata , & coadjuventur probationes , & extrahantur partitæ Librorum Parochialium citata Parte .* Mandata hæc tamen impleta non fuerunt , quam *die* 15. *Decembris anno* 1757. editis a Parocho tribus dumtaxat Libris , quorum primum initium habebat *die* 1. *Januarii anno* 1691., finem vero *die* 8. *Decembris anno* 1699. Alterum, quod initium habebat *a die* 1. *Januarii* 1704. *ad diem* 13. *Decembris* 1713. *inclusivè* . Tertium denique, quod incipiebat *a die* 15. *Augusti* 1715. *ad diem* 15. *Novembris* 1716. *inclusivè* . Extractæ fuerunt Partitæ ex *primo* , non ex secundo , & tertio , quia ut testatur Tabellio , *viso , lecto menstruatim , & dietim examinato , nihil penitus comprehendi , deduci , nec probare posse pro alternativa Missarum , cum in supradicto manuali connotatæ tantum fuerint , & sint partitæ celebrationum absque ulla ejusdem alternativæ indicatione .* Sed ex partitis primi Libri non probari , sed excludi alternativam con- Sess.22. Dec. de obser., & evit. in celeb. Miss. Sess.23. c.14 & Sess. 24. cap.4. de reform.

tendit Universitas Levi, a qua tantum Libellum habuimus. Nunc itaque idem Dubium reproponitur, quod est.

An, & quæ Missæ, & Functiones sint per Parochum celebrandæ in Ecclesia Parochiali B. Mariæ Assumptæ Terræ Levi. & respectivè in alia Ecclesia S. Bernardi Somerarii in casu &c.

Dilata ad primam omnino etiam unica.

Sess.7. c.2. de Ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANÆ PRÆCEDENTIÆ: Dedimus hanc Causam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 4. *Martii* transacto *anno* 1758., quod nuper juris publici factum est in *Vol.XXVII. Thes. Resol. Sac. Congr. pag.*27.: sed definita non fuit rescribentibus Eminentissimis Patribus -- *Dilata, & reformato Ordine Dubiorum proponatur Causa completo Processu compulsoriali.* Omnia impleta fuerunt, & nunc Causa reproponitur. Repetita igitur lectione *Folii ejusdem Congregationis*, poterunt Eminentissimi Patres tria, quæ suo Ordine damus, Dubia expedire.

I. *An, & cui Ecclesiæ Cathedrali competat Prænominatio in Bullis Provisionum Episcopatus, & in cæteris Actibus communibus respicientibus utramque Diœcesim in casu &c.*

II. *An, & in qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda solemnis Possessio in casu &c.*

III. *An, & cui ex dictis Ecclesiis competat Præcedentia pro incboanda Synodo in casu &c.*

Iterum proponatur.

Sess.7.c.7. de ref.

ASCULANA CATHEDRATICI: Vetus est hæc Causa, quæ agitur inter Mensam Episcopalem Asculanam, & Eminentissimum Abbatem Commendatarium Farfensem de Cathedratico solvendo ab Ecclesiis, & Beneficiariis Farfensibus in ea Diœcesi. Ter data fuit in *Foliis Sac. Congreg. anno* 1733., ut in *Vol. VI. Thes. Resol.* Primum *die* 28. *Martii*, ut in eodem *Vol. pag.*71., sed Causa ea die proposita non fuit. Iterum vero *die* 18. *Aprilis*, & Sacrum Tribunal rescripsit -- *Dilata ad sequen-*

sequentem, ut in eodem *Vol. pag.* 73. Tertiò demum *die* 2. *Maii*, qua pariter proposita non fuit, ut in *eodem Vol. pag.* 84. Rationes utriusque partis diligenter collectæ fuerunt in *Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Martii*: Silverunt Episcopi. Causam instaurat post annos vigintiquinque, qui nunc Ecclesiæ illi præest Episcopus, eisdemque repetit rationes, quæ tunc proponebantur. Addit novum Jus inductum ex Constitutione defuncti Principis Benedicti XIV. lata *die* 1. *Sept. anno* 1747. De Ecclesiis Farfensibus sitis in Asculana Diœcesi. A Rectoribus, & Beneficiariis Ecclesiarum illarum nihil habuimus. Dubium est.

An Cathedraticum debeatur Episcopo Asculano ab Ecclesiis, & Beneficiis Farfensibus in casu &c.

Dilata ad sequentem.

THELESINA REINTEGRATIONIS AD CURAM ANIMARUM: Sede Episcopali Thelesina vacante anno 1747. accusatus fuit apud Vicarium Capitularem Angelus Perugini Archipresbyter Terræ S. Laurentii Minoris de negligentia in exercitio Curæ Animarum. & Vicarius mandatum ei dedit de habendo Episcopale Palatium loco stricti Carceris, in quo ultra annum detentus fuit. Cum autem in hoc Sacro Tribunali Lis inter Archipresbyterum, & Sacerdotes Participantes penderet de obligatione eorumdem Sacerdotum adjuvandi Archipresbyterum in cura Animarum, Archipresbyter preces obtulit Eminentissimis Patribus, quibus postulabat, ut Curiæ Episcopali injungeretur, ne inquisitionem prosequeretur, nisi definita Causa inter eum, & Sacerdotes Participantes. Data fuit, ut moris est, Epistola ad Episcopum, sed, ea spreta, prosequuta fuit ab illa Curia inquisitio, & bis constituto Archipresbytero, monitoque inde ad audiendam Sententiam non expressa die certa, lata fuit sententia, qua per decennium suspensus fuit Archipresbyter a Cura Animarum, & integra ejus portio congrua, omniaque Stolæ Emolumenta adjudicata fuerunt Oeconomo deputando. Appellavit Archipresbyter ad hoc Sacrum Tribunal, sed irreverens, & nimis audax illa Curia spreta appellatione sententiam suam exequi voluit, & Archipresbyterum de possessione sui officii dejecit. *Sess. 23. c. 1. de refor.*

Inopia Archipresbyteri, cui subrepti fuerant Parochiæ suæ redditus, in causa fuit desertionis Appellationis, debuitque patienter ferre, ut laberetur decennium. At eo transacto, dum putabat nullo negocio reintegrandum esse, obstitit Pars Populi, contendens perpetuò privandum esse Parochia. Venit igitur ad hoc Sacrum Tribunal, & postulat ab Eminentissimis

Pa-

Patribus reintegrationem, utque ei ſarciantur omnes fructus, & damna, quæ ab initio ſuæ ſuſpenſionis ab exercitio Curæ paſſus eſt. Fundamentum conſtituit in nullitate ſententiæ, *tum quia*, lata fuerit pendente Judicio civili inter eum, & Sacerdotes Participantes de hoc ipſo exercitio curæ Animarum in hoc Sacro Tribunali, *tum quia* defecerit citatio ad audiendam ſententiam pro die certa: Nullitati ſententiæ addit nullitatem exequutionis, quia Curia Epiſcopalis ſententiam ſuam exequi voluit poſt Appellationem ad Eminentiſſimos Patres. Pergit Archipresbyter, & diſputat non tantum nullam, ſed etiam injuſtam fuiſſe eamdem ſententiam, cum negligentia in exercitio Curæ Animarum, & odium Populi in eum, quæ duæ ſunt ſententiæ rationes, non probentur, ut late oſtendit in ſuo libello, & ſi probata fuiſſet negligentia, non potuiſſe ea pœna ſuſpenſionis, & privationis omnium fructuum, & emolumentorum juſtè puniri. Pœna enim commenſurandam eſſe delicto nemo neſcit unus. Hæc ſumma eſt Libelli dati ab Archipresbytero. A Populo nihil habuimus. Dubium eſt.

An Archipresbyter Angelus Perugini ſit reintegrandus ad curam Animarum cum omnibus fructibus, Emolumentis, Damnis, & Intereſſe, ſeu potius exercitio ejuſdem Curiæ ſit perpetuo privandus in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem quoad curam animarum tantum.

Seſſ. 25. c. 7 de Ref.

MEDIOLANEN. BENEFICII, SEU COADIUTORIÆ: Datus fuit anno 1737. Literis Apoſtolicis Summi Pontificis Clementis XII. Franciſcus Gravenago Coadjutor perpetuus cum futura ſucceſſione ſacerdoti Cajetano Marinoni Beneficiario Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis cum onere perſonalis reſidendiæ, & ſervitii in Choro præſtandi. Poſt admiſſionem ſervitio Eccleſiæ non deficit ſpatio decem, & ſeptem annorum, ſed anno 1754. febri correptus, affectuſque ſtomachi convulſionibus, & vertigine capitis coactus fuit poſtulare a defuncto Principe Benedicto XIV., ut a Choro abeſſe poſſet ad annum recuperandæ valetudinis gratia, obtinuitque quod petebat arbitrio Eminentiſſimi Archiepiſcopi. Pluries tamen ſervitium præſtitit Eccleſiæ, pluries eamdem gratiam petiit, obtinuitque prout morbi gravitas, vel levitas requirebat.

Deceſſit die 5. Maji tranſacto anno 1758. Coadiutus Sacerdos Marinoni, & Coadjutor Gravenago poſtulavit a Capitulo, ut admitteretur ad reſidentiam Jure, & Titulo Beneficiarii, & ad fructus, redditusque Beneficii aſſequendos. Obſtiterunt cæteri Beneficiarii putantes rem eſſe ab hoc ſacro Tribunali definiendam. Oblatis igitur a Gravenago precibus auditus fuit Emi-

nen-

nentiſſimus Archiepiſcopus, qui Epiſtolæ ſuæ *Folium* attexuit, quo rationes Beneficiariorum collectæ fuerant. Duæ hæ præcipuè ſunt; Prima vacaſſe Beneficium morte Marinoni; Altera vacans Beneficium adjudicari non poſſe Gravenago, qui adverſa valetudine præpeditur ſervitium Eccleſiæ præſtare. Cauſa nunc proponitur, & diſputat Gravenago ex gratia Coadjutoriæ quæſitum ſibi fuiſſe Jus ad Beneficium, quod, adveniente obitu Coadjuti, tranſit in Ius plenum, & in re, ut nova collatione opus non ſit. Beneficium non vacaſſe morte Coadjuti, quia res non ſit de ſimplici Coadjutoria, ſed de gratia conceſſa cum clauſulis tribuentibus plenum Jus, itaut decedente Coadjuto Titulus ille ipſo jure, & ſine hominis facto continuetur in Coadjutore, qui verè, & non fictè dicitur ſibi poſſediſſe Beneficium, reſervatis dumtaxat fructibus Coadjuto tamquam uſufructuario.

Hanc Coadjutoriæ naturam plene exprimi ex verbis illis Literarum Apoſtolicarum -- *Cum Primum illud per deceſſum, ſeu privationem vacare contigerit tibi ex nunc prout ex tunc, & e contra etiamſi tempore vacationis hujuſmodi officium exercere non incæperis, aut per te ſteterit, quominus illud exercueris Apoſtolica authoritate perpetuò conferimus, & de illo providemus, ac Beneficium tibi collatum, & de illo proviſum fore, & eſſe declaramus, ac ex nunc plenum Jus tibi in illo, vel ad illud verum, & non fictè acquiſitum exiſtere, teque Beneficio Regularum de non tollendo Jure acquiſito, ac de annali, & triennali poſſeſſoribus gaudere*: ex quibus ita differunt *Gonzalez ad Regul.*8. *Cancellar. gloſſ.*5. §.9. *num.*118. *Garzia de Benefic. par.*4. *cap.*5. *num.*9. *Remocamp. de Coadjutor. cap.*12. *ndm.*15. *Pignattell conſul.*182. *n.*26. *& ſeq. tom.*1. *Rigant. ad Regul. Cancell. tom.*3. *pag.*17. *n.*43. Devium vero eſſe & ab equitate, & a jure, ut ob adverſam valetudinem Gravenago ejciatur. Ab æquitate quidem, poſtquam per longum adeo tempus Eccleſiæ ſervitium præſtiterit, & expenſas ſubiit non leves L terarum Apoſtolicarum. A jure vero, cum res non ſit de morbo perpetuo, ſed temporario, & quod magis eſt cum nunc Gravenago ita valeat, ut Eccleſiæ ſervitium præſtare poſſit ex Medicorum teſtificatione. Hæc Gravenago: a Beneficiariis nihil habuimus. Dubium eſt.

An Sacerdos Franciſcus Gravenago attento obitu ejus Coadjuti admittendus ſit ad reſidentiam in Choro, & participationem fructuum, ac redditwum Beneficii de Pheudo minori *nuncupat erecti in Eccleſia Metropolitana Mediolani in caſu &c.*

Affirmativè.

BA-

Sess.24. c.13. de ref.

BAREN. PENSIONIS: Archipresbyteratum Terræ Nojæ Barensis Diœceseos anno 1740. renunciavit apud Sanctam Sedem Joseph Carolus Saracino jam senio confectus, reservata super omnibus ejusdem Parochiæ fructibus, quos ad annuos Ducatos biscentum ascendere expressit, Pensione annua ducatorum quadraginta favore Michaelis Saracino Fratris sui Filio. Collatus fuit Archipresbyteratus cum hujus pensionis onere Paulo Petroni, qui, comperta falsa expressione quantitatis redditnum, pensionem solvere recusavit, sed ductus spe vacationis illius ob Matrimonium a Michaele contrahendum, eam inde persolvit. Matrimonium Michael contraxit, sed gratiam obtinuit retinendi pensionem in statu conjugali. Archipresbyter igitur, ut onus, quod diutius ferre non poterat, excuteret, preces obtulit anno 1755. Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ne ex causa hujus pensionis molestiæ inferrentur. Auditus fuit Archiepiscopus, qui retulit redditus omnes annuos ejusdem Parochiæ non deductis expensis, ascendere ad annuos Ducatos 118. Nunc igitur Causa proponitur, & disputat Archipresbyter Pensionem reservatam fuisse contra dispositionem Tridentini, quod jubet centum pro Rectore salva esse. Hanc igitur congruam portionem prius esse pro Parocho deducendam: si quid supersit tribui posse Michaeli. Hæc paucis summa est Libelli dati ab Archipresbytero. A Michaele nihil habuimus. Tria sunt Causæ Dubia; quorum lectione facile intelligitur quid sit id, de quo disputatur.

I. *An Pensio reservata super Archipresbyteratu Curato Parochialis Ecclesiæ Terræ Nojæ sit contra, vel ad formam Concilii?* Et quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam, vel è contra.

II. *An eadem Pensio sit solvenda in totum, vel in parte, & in qua summa in Casu &c.* Et quatenus affirmativè ad primam partem, vel ad secundam tantum.

III. *An congrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, & expensis publicis, & privatis sit prius deducenda in Casu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima etiam unica.

Die

De Sabbathi 10. Martii 1759. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor Primæ, quas subjcimus, Causæ imperio Eminentissimorum Patrum in hac *Congregatione* proponuntur. Primam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 20. transacti mensis *Januarii*: Tres reliquas in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 10. mensis *Februarii*. Repetenda igitur est lectio eorumdem *Foliorum*, ut Causarum Dubia expediantur.

CELSONEN., in qua unum quæritur. *Sess.23. c.14. de ref.*

An liceat Regularibus Civitatis Cervariæ benedicere Puerperas ad eorum Ecclesias accedentes post Partum, seu potius eadem Benedictio competat Parocho in casu &c.

Dilata ad primam.

NOVARIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, cujus Dubium est. *Ses.22.f.decr. de observ. & evit. in celebrat. Missar. Sess.2..c.14. de reform & Sess. 24. c.4. de ref.*

An, & quæ Missæ, & Functiones sint per Parochum celebrandæ in Ecclesia Parochiali B. Mariæ Assumptæ Terræ Levi, & respectivè in alia Ecclesia S. Bernardi Somerarii in casu &c.

Missas omnes, & Functiones Parochiales celebrandas esse in Ecclesia B.M.V. Assumptæ.

ASCULANA CATHEDRATICI, in qua quæritur. *Sess.7. c.7. de Ref.*

An Cathedraticum debeatur Episcopo Asculano ab Ecclesiis, & Beneficiis Farfensibus in casu &c.

Affirmativè.

BAREN. PENSIONIS, cujus tria Dubia sunt. *Sess.24.c.13.*

I. *An Pensio reservata super Archipresbyteratu Curato Parochialis Ecclesiæ Terræ Nojæ sit contra, vel ad formam Concilii?* & quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam, vel e contra.

II. *An eadem Pensio sit solvenda in totum, vel in parte, & in qua*

summa in casu &c.? & quatenus affirmativè ad primam partem, vel ad secundam tantum.

III. *An cangrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, & expensis publicis, & privatis sit prius deducenda in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

Sess.7. Cap.2. de ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANÆ PRÆCEDENTIÆ. Hæc quoque Causa data fuit in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 10. transacti mensis *Februarii*, sed, distractis Eminentissimorum Patrum suffragiis, rescriptum fuit, ut *iterum proponeretur*. Reproponitur itaque, ut III. ejus Dubia expediantur.

I. *An, & cui Ecclesiæ Cathedrali competat Prænominatio in Bullis Provisionum Episcopatus, & in cæteris actibus communibus respicientibus utramque Diœcesim in casu &c.*

II. *An, & in qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda solemnis Possessio in casu &c.*

III. *An, & cui ex dictis Ecclesiis competat Præcedentia pro inchoanda Synodo in casu &c.*

Ad I. Competere Ecclesiæ Civitatis Castellanæ. Ad II. Capiendam esse in Ecclesia Civitatis Castellanæ. Ad III. Competere Civitati Castellanæ juxta alternativam.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

FANEN. MATRIMONII. Redit ad novum Eminentissimorum Patrum judicium hæc Causa, quæ in eadem *ultima Congregatione* definita fuit. Dubio ejus, quod erat, *An sit locus dissolutioni Matrimonii in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal -- *Negativè*. Nunc autem cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino in primam etiam unica.

Sess.24. c.12. de Ref.

ROMANA INDULTI. A Capitulo Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin nominatus fuit anno 1754. Clericus Jacobus Matthejus ad Beneficium in eadem Basilica erectum, quod etiam Sacerdotale est, sed Sacerdotium numquam Matthejus suscepit. In causa fuit Stomachi vitium, quo laborare cœpit post nominationem. Pluries ex hac Causa Medicorum testificationibus comprobata indultum postulavit, obtinuitque ab hoc Sacro Tribunali. Cum nuper novum petiisset indultum, Capitulum longioris moræ pertæsum sese præstitit contradictorem. Re delata ad Eminentissimos Patres disputat nunc Matthejus concedendum esse novum indultum, quod nondum morbi causa cessaverit, ut Medici testificationem faciunt, qui stomachum pristinæ valetudini restitui posse sperant, sed opportuna anni tempestate, vere

re

re ſcilicet novo ; atque æſtate , non acri hyeme . Ægritudinem, quæ poſt collatum Beneficium occupet Beneficiarium Canonicum eſſe impedimentum, quo Beneficiarius excuſatur. Hæc Matthejus. A Capitulo nihil adhuc habuimus. Dubium eſt. *An ſit locus novo Indulto in caſu &c.*

Affirmativè ad ſex menſes abſque ſpe ulterioris Prorogationis.

AUXIMANA', SEU CINGULANA CATHEDRATICI. *Seſs.7. cap.7. de ref.* Eſt in Oppido Staphili Auximanæ Diœceſeos Prioratus Sancti Antonii Abbatis, cujus maximi redditus annui, deductis oneribus, ne attingunt quidem quantitatem aureorum quadraginta. Hi redditus non in ſpeciebus ſunt, ſed in pecunia, Canones nempe ex Bonis emphytheuticis, uſuræ ex cenſibus percipiuntur. Collatus fuit hic Prioratus anno 1754. nobili Viro Marchioni Franciſco Dominico Balleſtrierio. Hic nactus poſſeſſionem novit Menſæ Epiſcopali ſolvi Cathedratici nomine annua ſcut. 3. 6 1. 1. nec ſatis hoc, verum ſterilibus annis non pecunias, ſed ſpecies ipſas, quas Prior numquam percipit, exegiſſe, atque exigere Menſam, *Frumenti* nempe, itemque *Hordei menſuras quatuor*, quas vocant *Coppe*, ubi vero fertiles, uberesque ſint tempeſtates, pecuniæ exiguntur. Has exactiones non tulit novus Prior, curavitque, ut res cum Promotore Fiſcali ex æquo, & bono amice componeretur. Omnibus vero in irritum ceſſis officiis, rem detulit ad hoc Sacrum Tribunal, pecuniaſque depoſuit in Æde ſacra, quas tamen Promotor exegit. Hinc tria controverſiæ capita, quorum primum eſt *de modo* præſtationis Cathedratici, Alterum *de quantitate*, Tertium *de reſtitutione* quantitatis plus debito exactæ. De ſingulis nunc, audito jam Epiſcopo, ab Eminentiſſimis Patribus eſt ferendum Judicium.

Ad *modum* præſtationis, quod attinet, rem eſſe de jure claro, & aperto diſputat Prior, Cathedraticum nempe præſtandum eſſe *in pecunia*. Nullibi in ſacris legibus ſcriptum præſtandum eſſe *in ſpeciebus*, aut nunc in ſpeciebus, nunc in pecunia Epiſcoporum arbitrio. *Pecuniam* perpetuo indixerunt Sacratiſſimi Canones; averruncandam eſſe ſuſpicionem illam turpis quæſtus, quæ mentibus hominum inicitur, quod ſterili, atque infæcunda tempeſtate, qua carius fruges emuntur, venduntur, cogatur Beneficiarius *fruges* tradere, uberi vero & fæcunda, qua fruges vilius emuntur, venduntur, *pecunia* exigatur. Eoque amplius, quod ſive ſterili, ſive fæcunda tempeſtate nequeat Prior fruges ipſas tradere, cum non ſpecies, ſed pecunias exigat e redditibus Beneficii. Deſpiciendam igitur eſſe conſuetudinem, uſumque longævum, quem proponet Promotor Fiſcalis, quod abuſus dicendus ſit, præſertim cum fuerit diſcontinuus, & ſi per-

petuus fuisset; non usque tamen adeo validam esse longævi usus, & antiquæ consuetudinis authoritatem, ut aut rationem vincat, aut legem, ut a Constantino Magno rescriptum fuit in *leg.2. Cod. Quæ sit longa consuet.*

Cathedratici *quantitatem* præfinitam fuisse a Sacris Legibus, ut *duo solidi* sint præstandi *Can. Placuit*, *Can. Illud* 10. *quæst.* 3. *cap. conquerente de Offic. Jud. Ord.* Vetitumque fuisse Episcopis, ne eo nomine plus quam duos solidos exigerent: id ipsum statutum fuisse in Concilio Bracarensi II., & Toletano VII., primo *Can.* 2. altero *Can.* 3., ut est *in Collectione Harduini vol.* 3. *col.* 386. *& vol.* 4. *col.* 622. De quantitate solidorum duorum non esse ambigendum, cum nunc concors sit DD. sententia solidum nostro aureo, seu ut italice dicimus, *scudo* respondere. Unde efficitur non posse mensam Episcopalem Cathedratici nomine a Prioratu exigere sc.3. 61. 1., servandamque esse taxam præstitutam in *Concilio Romano Tit.* 8. *cap.* 4., cujus dispositio in Auximana Diœcesi recepta est, quæque his verbis rem definit. *Primo quibus sunt redditus infra scuta decem duo Julii: Secundo, quibus scuta infra quinquaginta julii quinque: Tertio, quibus infra centum julii decem: Quarto, quibus ultra centum, vel quacumque in alia majori summa julii quindecim.* Cum igitur redditus Prioratus ad annua sc. 40. non ascendant, non aliud præstandum esse Cathedratici nomine, quam *julios quinque*. Frustra vero Promotorem Fiscalem ad Provinciæ consuetudinem, & Taxæ antiquitatem confugere. De hac enim Provinciæ consuetudine, & Taxæ antiquitate non constare, & si constaret, spectandam non esse contra Sacrorum Canonum sanctionem, & Constitutionum Pontificiarum authoritatem. Locum igitur esse *restitutioni* pecuniarum, quæ plus credito, debitoque exactæ fuerunt, præsertim cum nonnullæ solutiones factæ fuerint *lite pendente*. Hæc Prior; a Promotore Fiscali nihil habuimus. Dubium est.

An, quomodo, & in qua summa solvi debeat Cathedraticum, & respectivè sit locus restitutioni in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess.25.c.4. de ref.

SYRACUSANA MISSARUM. Preces obtulerunt defuncto Principi Benedicto XIV. Dignitates, & Canonici Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartolomei Civitatis Siclis, quibus narrabant plurima esse in eorum Ecclesia Sacrorum agendorum onera ex Legatis, Donationibus, aliisque Fundationibus, Piisque relictis tam ante, quam post Erectionem Collegii, quibus adimplendis, suevisse Capitulum Cappellanos nominare, cum in iisdem fundationibus jura patronatus reservata non fuerint, exceptis tribus Legatis datis a Josepho Micicche, qui scripto hærede Collegio PP. Societatis Jesu, Patronatum earumdem Cappella-

pellaniarum dedit P. Rectori ejusdem Collegii . Addebant exiguum esse in ea Civitate Sacerdotum numerum, magnum vero Sacrorum ex piis Legatis agendorum, itaut auctum fuerit eorum stipendium, unde factum fuerit, ut ob tenuitatem stipendii statuti pro singulis Sacris in Ecclesia Collegiata agendis, quod respondet *al Carlino* monetæ Romanæ, Sacerdotes recusent eadem Sacra agere, & Procuratores Capituli coacti fuerint aliis extra Civitatem illam locis curare, ut sacra agerentur. Huic incommodo aliud longe gravius accessisse dicebant, quod egregie diminuta Ecclesiæ dote, & Præbendis quatuordecim Canonicatuum ad summam tenuitatem redactis, negligitur Ecclesiæ, & Chori servitium, quod a Bulla Erectionis in Collegiatam constitutum fuit.

Ut igitur hisce malis medicina pararetur postulabant *reductionem numeri omnium Sacrorum*, quæ in eorum Ecclesia agenda sunt, itaut eleemosyna singulorum Sacrorum deinceps sit obulorum *decem & octo* monetæ Romanæ, *e che l'emolumento ceda in supplemento della Præbenda*, *con la Legge però, che non potrà alcuno anche sotto pena di Censura Ecclesiastica godere di tal Benefizio se non assiste al Coro, e non presta quel servizio alla Chiesa, che in d. Bolla si præscrive*. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis PP., a quibus auditi fuerunt & Vicarius Capitularis vacua tunc Episcopali sede, & novus Episcopus Syracusanus, qui secundum preces Capituli Civitatis Siclis responderunt. Rescriptum itaque fuit, ut in jus vocarentur Patroni Cappellaniarum, sed cum non alii sint Patroni, quam Patres Societatis Jesu, præfixus iis fuit terminus ad eorum jura in hoc Sac. Tribunali proponenda. At hi consensum præstiterunt, ut *tres Missæ quotidianæ* ex tribus Legatis datis a Josepho Micicche *celebrentur a Dignitatibus, & Canonicis, ita quod tamen R. P. Rector, & futuri Rectores non teneantur aliud ultra solutionem contribuere dictis Dignitatibus, & Canonicis pro celebratione dictarum missarum nisi eleemosyna hactenus soluta unc. 36. quolibet anno juxta formam donationis, & non aliter, nec alio modo &c.* Quinam vero hic sit consensus viderint Eminentissimi Patres, a quibus etiam dignoscendum erit, qua ratione sint expedienda duo, quæ proponuntur Dubia.

I. *An sit locus reductioni Missarum, & respectivè augumento Eleemosinæ, & qua quantitate in casu &c.*

II. *Ubi, & per quos sint celebrandæ d. Missæ, & in quam causam erogandum augumentum prædictum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè pro reductione, & pro augumento arbitrio Episcopi. Ad II. Missas esse celebrandas in Altaribus a Testatoribus designatis privativè a Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ, itaut augumentum prædictum stet loco distributionum quotidianarum.

Die Sabbathi 31. Martii 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DIlationem Eminentiſſimi Patres in *ultima Congregatione* habita *die* 10. *hujus Menſis* indulſerunt quatuor primis, quas ſubjcimus Cauſis, jubentes ut in *prima Congregatione* proponerentur. Obſequimur itaque eorum Imperio, eaſque hic damus, ut definiantur.

Seſs. 23. c. 14. de ref. CELSONEN., cujus Dubium eſt.

An liceat Regularibus Civitatis Cervariæ benedicere Puerperas ad eorum Eccleſias accedentes poſt Partum, ſeu potius eadem Benedictio competat Parocho in caſu &c.

Negativè ad primam partem, Affirmativè ad ſecundam, & amplius.

Seſs. 24. c. 13. de ref. BAREN. PENSIONIS, in qua Tria Dubia diſputantur.

I. *An Penſio reſervata ſuper Archipresbyteratu Curato Parochialis Eccleſiæ Terræ Nojæ ſit contra, vel ad formam Concilii?* & quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad ſecundam, vel e contra.

II. *An eadem Penſio ſit ſolvenda in totum, vel in parte, & in qua ſumma in caſu &c.?* & quatenus affirmativè ad primam partem, vel ad ſecundam tantum.

III. *An congrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, & expenſis publicis, & privatis ſit prius deducenda in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

FANEN.

FANEN. MATRIMONII, quæ jam definita fuit, & ideo nunc cognoſcendum eſt. Seſſ.24. c.1. de ref. Matr.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Iterum proponatur.

AUXIMANA, SEU CINGULANA CATHEDRATICI, cujus Caput eſt. Seſſ.8. cap.7. de Ref.
An, quomodo, in qua ſumma ſolvi debeat Cathedraticum, & reſpectivè ſit locus reſtitutioni in caſu &c.

Affirmativè in pecunia numerata, & in ſumma duorum ſolidorum tantum, nimirum viginti juliorum, & in reliquis Negativè.

NOVARIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Ad novum Eminentiſſimorum Patrum Judicium venit hæc Cauſa, quæ definita fuit *in eadem ultima Congregatione*. Dubio ejus, quod erat -- *An, & quæ Miſſæ, & Functiones ſint per Parochum celebrandæ in Eccleſia Parochiali B. Mariæ Aſſumptæ Terræ Levi, & reſpectivè in alia Eccleſia S. Bernardi Somerarii in caſu &c.* -- Reſponderunt Eminentiſſimi Patres: *Miſſas omnes, & Functiones Parochiales celebrandas eſſe in Eccleſia B. Mariæ Aſſumptæ*. Cognoſcendum nunc erit. Seſſ.22. decr. de obſ. & evi. in cel. Miſſ. Seſſ.23. c. 4. Seſſ. 24. c. 4. de Ref.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

SURRENTINA BENEFICIORUM. Gens *Ammone* plurium Beneficiorum, & Cappellaniarum Patronatum habet, eo dumtaxat diſcrimine, ut Patronatus activus Beneficii *S. Joannis*, & Cappellaniæ erectæ in Cappella *S. Joannis Evangeliſtæ* ad Primogenitos ſpectet ex lege fundationis, aliorum vero Beneficiorum, & Cappellaniarum ad omnes deſcendentes pertineat. Hi omnes Patronatus in uno coaluerunt *Paulo Ammone*, cujus duo Filii *Petrus Paulus* Primogenitus, & *Antonius* ſecundogenitus duas lineas conſtituerunt, quæ in plures colummellos diviſæ ſunt. Poſſidebat hæc Beneficia, & Cappellanias *Dominicus Ammone* ex linea ſecundogenita deſcendens, activum vero Patronatum Beneficii *S. Joannis* habebat Primogenitus *Antonius Ammone*, qui anno 1750. mandatum dedit Michaeli Ammone, ut, cum vacatio contingeret, aliquem ex Gente Seſſ.24. c.17. de ref.

Ammone ad idem Beneficium juxta legem Fundationis præsentaret. Certior hac de re factus *Hieronymus Ammone*, qui ultra Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Surrentina, alia decem possidet simplicia Beneficia, omnem lapidem movit opera Pat. Joannis Chrysostomi Ammoni sui Fratris Germani, ut Antonius, impetrata prius a Curia Archiepiscopali Surrentina absolutione a jure jurando, quo mandatum illud muniverat, novum eidem Pat. Joanni Chrysostomo daret mandatum præsentandi Canonicum *Hieronymum* vacatione eveniente. Sed *Antonius* sequenti anno 1751. se circumventum asserens publicis tabulis secundum hoc mandatum revocavit, primum confirmavit.

Decessit in fine anni 1754. Dominicus Ammone Beneficiorum, & Cappellaniarum possessor, & Antonius Patronus summa levitate præsentavit ad Beneficium *S. Joannis* Canonicum Hieronymum Ammone, qui etiam ad alia Beneficia præsentatus fuit ab eodem Antonio, & quibusdam aliis Patronis. At Michael Ammone utendo mandato præsentavit ad Beneficium *S. Joannis* Clericum Honuphrium Ammone filium suum annos duodecim natum, eumque ad alia etiam Beneficia jure proprio nominavit. Obiit inde intra quadrimestre Antonius Ammone Primogenitus, cujus Filius & Primogenitus Agnellus præsentavit tam ad Beneficium *S. Joannis*, quam ad alia Beneficia, & Cappellanias Clericum *Honuphrium*. Re igitur in Judicium delata, Archiepiscopalis Curia Surrentina secundum Canonicum *Hieronymum* pronunciavit, adjecta eidem obligatione, ut hoc Sacrum Tribunal adiret, a quo cognosceretur, an opus esset dispensatione ob pluralitatem Beneficiorum. Appellavit *Honuphrius*, & Causa omnis ad Eminentissimorum Patrum Judicium delata fuit, & nunc duobus capitibus collecta proponitur. Disputat Honuphrius necessariam esse Canonico Hieronymo dispensationem, ut Beneficia, & Cappellanias assequi possit ob apertam Tridentini Sanctionem, quæ eum possidentem ultra Canonicatum alia decem simplicia Beneficia ab his, de quibus agitur, assequendis repellit. Nec mutare, quod a Canonico Hieronymo proponetur Cappellanias omnes, sive quas possidet, sive eas, de quibus agitur, esse Laicales, itaut omnes retineri possint. Canonicatum vero tenuem esse, ut impedimento esse nequeat assequutioni Beneficii *S. Joannis*.

Quidquid enim sit de tenuitate reddituum Canonicatus, verius esse, Cappellanias non Laicales, sed Ecclesiasticas esse censendas deficientibus Fundationibus *ex ultimo statu*, qui eo amplius observari debeat, quod versemur in Judicio *Institutionis*. Atque hinc colligit Honuphrius repellendum esse Canonicum Hieronymum tam a Beneficio *S. Joannis*, quam ab aliis Cappellaniis, ad quæ sine dispensatione præsentari non poterat, idemque Beneficium, aliasque Cappellanias sibi adjudicanda esse sive ex mandato Antonini, sive ex præsentatione Agnelli Primogeniti, qui intra quadrimestre successit in Patronatu. Neque

ei

ci obesse Tridentini dispositionem de pluralitate Beneficiorum, quia dispar sit ratio, cum Canonicus Hieronymus, qui plura possidet Beneficia *inhabilis* sit ad alia Beneficia assequenda. Clericus Honuphrius, qui nulla habet Beneficia, non est *inhabilis* ad ea assequenda, sed eget solum dispensatione Apostolica, ut omnia retinere possit. Hæc atque alia Clericus Honuphrius in suo libello. A Canonico Hieronymo nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Canonicus Hieronymus Ammone indigeat dispensatione pro assequutione Beneficii, Rectoriarum, & Cappellaniarum, de quibus agitur, in casu &c.*

II. *An, & cui idem Beneficium, eademque Rectoriæ, & Cappellaniæ sint adjudicandæ in casu &c.*

Non proposita.

LEOPOLIEN. MATRIMONII. Nuptias contraxerunt Fabianus Mlockius Pincerna Zydarzovviensis, & Francisca Mlodeckia Pocillatrix Bractaviensis, & ex hoc Connubio numerosa Soboles per septennium suscepta est. At post septennium Fabianus rupta patientia statuit Thalami separationem postulare, quod ubi rescivit Francisca, obtendere cæpit nullitatem matrimonii ob vim, & metum a matre sibi illatum. Neque Amicorum neque Consanguineorum officia, neque dulces Franciscæ epistolæ, quæ apud matrem diverterat, Fabianum a proposito revocare potuerunt. Francisca tamen, eum prævenit proposita coram Officiali Leopoliensi querela nullitatis Matrimonii. Testes hinc inde editi sunt, Officialis, delato Franciscæ Jurejurando, se vim metumque passam fuisse a Matre, matrimonium nullum pronunciavit, prolem vero legitimam declaravit. Idem fuit Judicium Tribunalis Nunciaturæ, ad quod Fabianus provocaverat. Appellavit iterum, & Causa nunc ab Eminentissimis Patribus cognoscenda est, disputante Fabiano, vim metumque vehementissimis, & necessario concludentibus argumentis probanda esse, ut vincant juris præsumptionem, quæ nimium quantum in hujusce casus circumstantiis liberum Franciscæ consensum inducit, præsertim, cum metus a matre illatus dicatur, cui facile potuisset Francisca, aut Fratris, aut consanguineorum auctoritatem opponere, & sese in Monasterium, aliumve locum tutum recipere, ne ad ingratas nuptias veniret. Cæterum rem omnem confici observatione omnium actuum præcedentium, concomitantium, & subsequentium matrimonium, *Sess.24.c.9 de ref. Matr.*

 cum

cum ex iis evincatur plena voluntas, imo desiderium Franciscæ illud contrahendi. Hoc probare sponsalia, quæ libens læta contraxit, epistolæ amoris plenæ quæ a sponsis scriptæ fuerunt, aliaque mutui amoris signa id præseferunt. Uultus, animique hilaritas, qua Francisca nuptum venit id probat: ductæ Choreæ, & lusus procaces, & ingressus in thalamum nuptialem sine lacrymis, sine difficultate, diuturna septem annorum cohabitatio, proles sucepta, nulla unquam audita querela rem faciunt manifestam. Spernendos esseTestes de vi, & metu testificantes, nullam habendam esse rationem jurisjurandi a Francisca præstiti. Testes enim reprobari ab aliis Testibus datis a Fabiano, quibus favet juris præsumptio, favent actus omnes antecedentes, concomitantes, subsequentes, favent epistolæ Matris, Fratris, Amicorum, & ipsius Franciscæ: Jusjurandum in causa, qualis hæc est, gravissima non potuisse deferri. Ex his colligit Fabianus de validitate Matrimonii ambigendum non esse, locum vero esse thalami separationi ob violatam ab Uxore Fidem Conjugalem. Probationes hujusce rei dare nolumus; legent eas Eminentissimi Patres in libello Fabiani, eorumque erit de illarum viribus Judicium. Hæc atque alia Fabianus: a Francisca nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An constet de validitate, seu potius nullitate Matrimonii in casu &c.* & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An & cujus culpa sit locus separationi Thori in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Affirmativè, & ad Mentem, & mens est, quod scribatur Nuncio Apostolico qui mandet collocari in Monasterio clauso D. Franciscam sumptibus Viri.

[illegible] 25. c. 9. [illegible] Ref.

FAVENTINA CAPPELLANIÆ. Testamento, quod condidit anno 1630. Dominicus Clerici Cappellam B. Mariæ Virgini Conceptæ, seu Montis Carmeli extrui jussit in Archipresbyterali Ecclesia S. Jo: Baptistæ Oppidi Fusiniani completa ab Alexandro filio ætate annorum 25., dotemque assignavit Cappellæ. Codicillis autem dote illa deleta, aliam substituit, & de Patronatu Cappellæ ita disposuit -- *Item detto Sig. Domenico vuole, che detta Cappella sia, & esser debba in perpetuo Juspatronato della Famiglia de Chierici, maschi, legitimi, e naturali, & a quali vuole spetti l' elezzione di nominare, e presentare il Rettore, Cappellano di quella in compagnìa del Sig. Arciprete sarà pro tempore, & in mancanza della Famiglia de Chierici maschi legitimi, e naturali vuole, che le femine di essa Famiglia legitime, e naturali possano nominare come sopra, & eleggere il Rettore, o Cappellano di quella* --

De

eelectione vero Rectorum ita edixit -- *Item detto Sig. Domenico lascia, vuole, e così comanda, che finita detta Cappella, uno de suoi figli, o Messer Alessandro, o Francesca sia eletto a quella per Cappellano, o Rettore, che così esso nomina uno, quale si vorrà far Prete, & intanto canterà Messa Messer Alessandro, o quello sarà Mondano in compagnia di detto Sig. Arciprete eleggere uno, che celebri le Messe disposte nel Testamento suddetto fatta, che sarà la suddetta Cappella. Item detto Sig. Codicillante lascia, e vuole, che non facendosi alcuno de suoi figli Prete possano detti suoi figli insieme con detto Sig. Arciprete eleggere, e nominare il Rettore, o Cappellano di essa*. Extructa Cappella, erectaque Cappellania masculi familiæ Clerici præsentarunt una cum Archiqresbyteris Cappellanos. Superstites tandem fuerunt ex masculis ejusdem Familiæ Sacerdos Hieronymus, & Pat. Landuinus Monachus Carthusianus, & vacata Cappellania præsentatus fuit Sacerdos Hieronymus. Hic decessit mense Octobri anno 1757., & præsentatus fuit a Monacho Landuino Sacerdos Jo: Dominicus Dragoni, qui initio mensis Decembris nuper transacto anno 1758. & ipse decessit.

Monachus itaque Landuinus præsentavit Clericum Ambrosium Padovani filium sororis suæ Elisabeth, qui ætatem agebat annorum undecim. Hic die 15. ejusdem mensis Decembris postulavit *a Sacratissimo Principe Nostro* gratiam institutionis cum derogatione medietatis vocum, & dispensatione ætatis, hujusque postulationis cognitio Eminentissimis Patribus data fuit. Novit interim Clericus Ambrosius ab Archipresbytero Fusiniani alio Patrono præsentatum fuisse consanguineum suum Jo: Baptistam Gajani, qui die 7. ejusdem mensis Decembris eamdem gratiam institutionis cum derogatione medietatis vocum postulaverat. Cum autem supplicatio isthæc subreptionis, & obreptionis vitio esset infecta, quia Summo Pontifici expressum non fuerat præsentatnm fuisse Ambrosium, qui erat de Sanguine Fundatoris, & Patroni, Ambrosius eadem die 15. mensis Decembris solitum *nihil transeat* apposuit in Dataria. Gajanus vero, ut primam supplicationem sanaret, aliam exhibuit die 22. ejusdem mensis. Eminentissimus autem Pro-Datarius rem Sacro huic Tribunali cognoscendam detulit. Disputat itaque nunc Clericus Ambrosius Padovani supplicationem suam signandam esse, quia descendat a Fundatore, Gajanus autem extraneus sit, ideoque in paritate vocum sibi debitam esse prælationem, ut post *Gloss. in Can. neminem V. sive possessionis 70. distinct.* tradunt *Rocch. de Curte de Jurepatron. Verb. Honorificum quæst. 18. Lambertin. eod. Tract. artic. 4. quæst. 5. par. 3. lib. 2. num. 3. in fin. Vivian. eod. Tract. par. 3. lib. 14. cap. 2. n. 67. Amayden. de Styl. Datar. lib. 1. cap. 15. §. 15. num. 36. Piton. de Controv. Patron. alleg. 4. n. 1. & discept. Eccles. 22. num. 38. & discept. 38. num. 1.*

Neque posse Gajanum eamdem consanguinitatis cum Patrono qualitatem opponere, quia extraneus omnino sit verba enim illa --

in compagnìa del Sig. Arciprete sarà pro tempore -- nullam certam Personam, Gentemque designant, sed Dignitatem tantum Archipresbyteralem, qua qui honestatus esset vacationis Cappellaniæ tempore Jus haberet Cappellanum præsentandi: Unde est, ut Consanguinei Archipresbyterorum nullum sibi Jus afferere possint ex consanguinitate Patroni, cum Dignitas Archipresbyteratus consanguineos non habeat, quæ fuit Jurisprudentia *Pitoni d. alleg.* 4. *n.* 7. *&* 21. Nullam quoque habendam esse rationem duplicis gratiæ, quam habuit Gajanus; non primæ, quia subreptitia, & obreptitia fuerit tacita præsentatione Paduani de sanguine Fundatoris, & Patroni, idque etiamsi eamdem præsentationem Gajanus ignorasset, quod tamen ex facto diversum est, ut monent *Lambert. de Jurepatr. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 8. *n.* 1. *&* 2. *Vivian. eod. Tract. lib.* 14. *cap.* 1. *n.* 118. *Piton. d. alleg.* 4. *n.* 25. *in fin.* non secundæ, quia posterior fuerit gratia Paduani, cui jus jam fuerat quæsitum. Hæc atque alia Clericus Padovani. A Gajano nihil habuimus. Dubium est.

An sit relaxanda supplicatio Joannis, seu potius signanda altera Ambrosii in casu &c.

Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam, & amplius.

Sess. 22. c. 6. de Ref.

REGIEN. Defuncto superiori anno 1758. Sacerdote Josepho Romano Cive Regiensi, qui testamento suo bona omnia hæreditaria vendi jusserat, & pretium erogari in stipendium Sacrorum, Deputati Hospitii, quod est in eadem Civitate Regii, & vulgò nuncupatur *Albergo de Poveri*, in quo Pueri Puellæque alimentarii bonis moribus, atque artibus imbuuntur, Preces obtulerunt *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus postulabant commutationem voluntatis Defuncti, & universæ suæ hæreditatis applicationem Hospitio cum onere agendi perpetuò duo Sacra quotidiana. Data fuit Amplissimis Patribus postulationis hujus cognitio, a quibus auditus Episcopus, auditique ab eo Exequutores Testamentarii defuncti Sacerdotis renunciarunt indulgeri posse Deputatorum postulationi. Dubium nunc itaque proponitur, disputantibus Deputatis de potestate ambigendum non esse, neque de justa causa, cum id requirat favor publicus, qui ex hisce Hospitiis habetur, nullum ex commutatione detrimentum inferri Juribus alicujus. Voluntatem defuncti pinguius impleri Sacris perpetuis. Exempla non deesse similis commutationis, ideoque secundum postulationem eorum respondendum esse Dubio.

An & quo intret arbitrium pro commutatione voluntatis in casu &c.

Iterum proponatur.

Die

Die Sabbathi 28. Aprilis 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BAREN. PENSIONIS. Placuit Eminentiſſimis Patribus in *ultima Congregatione* habita *die* 31. tranſacti menſis *Martii* Archipresbytero Parochialis Eccleſiæ Terræ Nojæ *dilationem* indulgere *ad hanc Congregationem*. Damus itaque nunc Cauſam, ut tria ejus Dubia expediantur. *Seſs.24. c.13. de Ref.*

I. *An penſio reſervata ſuper Archipresbyteratu Curato Parochialis Eccleſiæ Terræ Nojæ ſit contra, vel ad formam Concilii?* & quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad ſecundam, vel e contra.

II. *An eadem penſio ſit ſolvenda in totum, vel in parte, & in qua ſumma in caſu &c.?* & quatenus affirmativè ad primam partem, vel ad ſecundam tantum.

III. *An congrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, & expenſis publicis, & privatis ſit prius deducenda in caſu &c.*

Iterum proponatur.

SURRENTINA BENEFICIORUM. Dedimus hanc Cauſam *in Folio* ejuſdem *ultimæ Congregationis*, ſed mutuo Litigantium conſenſu propoſita non fuit. Proponetur nunc, & Eminentiſſimi Patres duo ejus Dubia definire poterunt. *Seſs.24.c.18. de Ref.*

I. *An Canonicus Hieronymus Ammone indigeat diſpenſatione pro aſſequutione Beneficii, Rectoriarum, & Cappellaniarum, de quibus agitur in caſu &c.*

II. *An, & cui idem Beneficium, eædemque Rectoriæ, & Cappellaniæ ſint adjudicandæ in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Adjudicanda eſſe Canonico Hieronymo.

AU-

Sess.8. c.7. de Ref.

AUXIMANA, SEU CINGULANA CATHEDRATICI. In eadem *ultima Congregatione* definita fuit hæc Causa contra Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Auximatis, Dubioque ejus, quod erat: *An, quomodo, & in qua summa solvi debeat Cathedraticum, & respectivè sit locus restitutioni in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *Affirmativè in pecunia numerata, & in summa duorum solidorum tantum, nimirum viginti juliorum, & in reliquis Negativè*. Non placuit Promotori Fiscali hæc definitio, eamque retractari postulat. Nunc igitur cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Sess.24. c.1. de ref. Matr.

FANEN. MATRIMONII. Distractis in eadem *ultima Congregatione* Eminentissimorum Patrum de hac Causa Judiciis rescripserunt -- *Iterum proponatur*. Proponitur nunc igitur, ut, re plenius discussa, tandem definiatur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess.22. c.6. de refor.

REGIEN. Hæc quoque Causa in eadem *ultima Congregatione* eamdem cum antecedenti fortunam habuit, ut ab Eminentissimis Patribus rescriberetur -- *Iterum proponatur*. Urgent itaque Deputati Hospitii, ut ea reproposita definiatur idem Dubium.

An, & quomodo intret arbitrium pro commutatione voluntatis in casu &c.

Negativè.

Sess.7. c.2. de Ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANÆ PRÆCEDENTIÆ. Redit ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium hæc Causa, quæ definita fuit in *Congregatione* habita *die* 10. superioris mensis *Martii*. Tria erant ejus Capita I. *An, &*

cui

cui Ecclesiæ Cathedrali competat Prænominatio in Bullis Provisionum Episcopatus, *& in cæteris actibus communibus respicientibus utramque Diœcesim in casu &c.* II. *An*, *& in qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda solemnis Possessio in casu &c.* III. *An*, *& cui ex dictis Ecclesiis competat Præcedentia pro incohanda Synodo in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal -- *Ad I. Competere Ecclesiæ Civitatis Castellanæ. Ad II. Capiendam esse in Ecclesia Civitatis Castellanæ. Ad III. Competere Ecclesiæ Civitatis Castellanæ juxta alternativam*. Nunc autem cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata.

BENEVENTANA MATRIMONII. Responderunt Eminentissimi Patres in *Congregatione* habita *die* 23. *Septembris* superiore *anno* 1758., ut in hac Causa *scriberetur Episcopo viciniori*, *qui se transferat Beneventum ad explorandam voluntatem Annæ*, *& capiendam informationem super asserto impedimento*: ut videre est in *Thesaur. Resolut. Sacr. Congregat. Vol.XXVII. pag.* 67. scriptum fuit, sed cum Episcopus ille nihil rescripsisset, urgentibus Anna, & Vincentio Causæ repropositionem, iterum eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris eodem anno*, & Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata*, *& dentur Episcopo viciniori Literæ urgentiores* -- ut in eodem *Vol.XXVII. Thesaur. pag.*82. His excitatus Episcopus Beneventum concessit, implevitque mandata, quæ ab eo gesta fuerint, quæque audita noscent Eminentissimi Patres ex ejus responso, quod a sponsis Vincentio, & Anna distribuetur. Nunc enim Causa proponitur, ut idem Dubium definiatur. *Sess.24. c.9. de ref. Matr.*

An sit locus Exequutioni Matrimonii in casu &c.

Archiepiscopus procedat ad proclamata, & ad Mentem, & mens est quod in casu alicujus oppositionis conficiat processum formalem usque ad sententiam exclusivè, & transmittat ad S. Congregationem.

CONSTANTIEN. Species hujus Causæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 8. *Maii anno* 1756.. quod publici juris factum fuit in *Thesaur. Resolut. Sacr. Congregat. Vol.XXV. pag.*31., & a quo repeti poterit. IV. erant controversiæ Capita *Sess.21. c.4. de ref.*

ta, quibus totidem Dubia respondebant, sed Eminentissimi Patres rescripserunt -- *Dilata, & iterum proponatur reformatis Dubiis, servato interim Decreto provisionali Curiæ Constantiensis, ad quem effectum scribatur Eminentissimo Episcopo, quod cogat pro omnimoda assignatione habitationis, & congruæ præstandæ per magnum Priorem, necnon juxta instructionem ad mentem*. Instructionis capita hæc erant: Ut Eminentissimus Episcopus Sacram Congregationem certiorem redderet de longitudine utriusque viæ, qua a Pago Steinstatt itur ad Ecclesiam Parochialem in Pago Schliengen, & an ab inundationibus Fluminis interciperentur. De quantitate Decimarum, quas magnus Prior percipit ex districtu Steinstattensi. De statu demum Cappellæ, & an Steinstattensem Populum continere posset. Commissarium nominavit Eminentissimus Episcopus, qui hæc impleret mandata, constititque ex actis duas esse vias, quæ ad Pagum, Ecclesiamque Parochialem Schliengensem ducunt, angustam alteram, alteram latam, & publicam; Angustam esse longitudinis duorum Italiæ nostræ milliariorum, & passuum Geometricorum trigintasex: Latam, & publicam esse duorum similium milliariorum, & dimidii milliaris: Utramque inundationibus obtegi, ut per inferiorem nullus aditus pateat, per superiorem, quæ lata est, & publica transvehi posse navicula, sed Incolas navigandi imperitos esse.

Addit Commissarius in Pago Steinstattensi *vere & autumno plures solere grassari morbos, unde consequens est sæpissime Parochum esse vocandum iis temporibus, quibus inundationes solent esse frequentes*. De Decimis incerta res est, nam earum quantitatem extenuat Magnus Prior. extollunt Steinstattenses. At hi in actis declararunt, *quod onus Ecclesiam, domumque Parochialem ædificandi, ac insuper congruam substentationem futuro Parocho, seu Curato præstandi in se suscepisse velint sub hac conditione, si Eminentissimus Ordo Melitensis usumfructum Decimarum tam ex bonis Civium, quam ex Fundis principalis Commendæ in districtu Steinstadiensi obvenientium* Communitati *ad quindecim annos cessurus sit: Post decursos quindecim annos jus decimandi Eminentissimo Ordini ab se integrè restituendum fore cum obligatione tamen sustentandi Curatum, Domumque, & Ecclesiam Parochialem conservandi*. Compertum denique est Cappellam angustam esse, ut vix 140. homines contineat, *Parochiani autem Steinstadienses*, verba sunt Eminentissimi Episcopi, *Ecclesiam frequentantes numerantur 393., Infantes 62., universim Animæ 455. Hinc, cum numerus Parochianorum in dies augeatur, inevitabilis necessitas exigit, ut nova Ecclesia Populi capax extruatur, & vetus Cappella, quam Commissarius Ecclesiæ nomine indignam, & obscuro carceri simillimam esse affirmat, renovetur, aut extruatur*. Hæc in Causa sunt. Pertinet nunc ad Eminentissimos Patres tria, quæ subiicimus Dubia expedire.

1. *An sit locus prætensæ dismembrationi Ecclesiæ Parochialis Pagi Schliengen. in casu &c.*; & quatenus negativè.

An

II. *An sit locus prætensæ deputationi Cappellani Curati, qui continuo residere debeat in Pago Steinstatt, & a quo eidem sit assignanda congrua una cum habitatione in casu &c.* Et quatenus affirmativè.

III. *An sit locus prætensæ ædificationi novæ Ecclesiæ, necnon Ædium Parochialium in eodem Pago Steinstattensi, & cujus sumptibus in casu &c.*

Firma remanente Provisione Curiæ Constantiæ. Dilata, & transmittatur Processus ad S. Congregationem.

MONOPOLITANA CONCURSUS. Edictum proposuit Monopolitanus Episcopus die 29. Aprilis transacto anno 1758., quoad vacantem Parochialem Ecclesiam SS. Petri, & Pauli ejusdem Civitatis Monopolis omnes vocabat, qui concurrere optarent, eosque monebat, ut intra decendium probationes, & testificationes suarum qualitatum in actis ederent, nomenque suum profiterentur. Quatuor venerunt quos inter Dominicus Manfredi, & Franciscus Paulus Zaccaria. Exacto statuta die examine Dominicus Manfredi ab Examinatoribus Pro-Synodalibus *fuit approbatus quoad doctrinam cum suffragiis decem affirmativis, & sex negativis: quoad mores fuit unanimiter approbatus cum omnibus votis affirmativis, & quoad habilitatem approbatus cum septem suffragiis affirmativis, & septem negativis*, ut ipsa sunt verba scrutinii. Franciscus Paulus Zaccaria, de aliis nihil attinet dicere, *fuit approbatus quoad doctrinam cum tredecim votis affirmativis, & tribus negativis: quoad mores fuit approbatus unanimiter cum omnibus votis affirmativis, & quoad habilitatem etiam unanimiter fuit approbatus cum omnibus votis affirmativis.* Episcopus elegit Zaccariam, eique, Sede Apostolica tunc vacante, Parochiam contulit. Dominicus Manfredi appellavit a relatione Examinatorum, Judicio Episcopi, totoque concursu ad hoc Sacrum Tribunal, transmissisque jam actis, auditoque Episcopo, Causa nunc duobus collecta Capitibus proponitur. *Sess. 24. c. 18 de ref.*

Disputat Sacerdos Dominicus Manfredi nullum fuisse Concursum, & male retulisse Examinatores, quia hi nullum verbum fecerint de ætate, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ut constat ex iis, quæ supra dedimus scrutinii verbis, ideoque, & nullum esse Concursum, & male retulisse Examinatores, ut traditum est a *Fagnan. in cap. cum te n. 15. de ætat. & qualit. Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 31. n. 97. Garzia de Benef. par. 5. cap. 7. n. 11. Leuren. For. Benefic. par. 1. quæst. 192. n. 1. Novar. in summ. Bullar. Commen. 45. n. 23.* aliisque frequenter. Neque hoc casu satis esse implicitam rela-

 tionem,

tionem, quia non fuerint Concurrentes idonei ab Examinatoribus renunciati per universalem indefinitam orationem, sed specialiter designatis aliquibus qualitatibus, quod facit, ut Examinatores eorum officium excessisse dicantur, & male retulisse, ut distinguunt *Lotter. d. quæst.* 192. *n.* 2. *& Cavaler. dec.* 299. *n.* 1. *& seqq.* Addit Manfredus aliam nullitatem ex defectu suffragiorum, quæ sexdecim esse debebant, & tamen data fuerunt quatuordecim, nam verba scrutinii sunt -- *quoad habilitatem approbatus cum septem suffragiis affirmativis, & septem negativis.* Ex his colligit novum, aut in Urbe, aut coram Metropolitano habendum esse Concursum, spreto Episcopi Judicio, cum minus dignum prætulerit, elegendo Zacchariam, nam Sacerdos Manfredi Parochus est, & pluribus præstat qualitatibus.

Contra hæc disputat Zaccaria validum fuisse Concursum, neque eorum officium Examinatores excessisse, quia satis sit eos implicitè, & generaliter de qualitatibus Concurrentium ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis referre, ut Episcopus assequi possit, quem ipsi magis putent idoneum collatis invicem approbationibus, quod & ab ipso Episcopo agnitum fuit cum inquit -- *de Concurrentium respectivè majori, & minori idoneitate fuisse ab Examinatoribus prædictis sibi renunciatum.* Deficientem suffragiorum numerum non facere, ut nullus dicendus sit Concursus, cum in arbitrio Examinatorum sit, quot velint suffragia cuique dare ex eorum judicio, quod ex qualitatibus Concurrentium fit. Judicium Episcopi, qui Zaccariam elegit damnandum non esse, etiamsi minus dignum prætulisset, eum possit Episcopus ex approbatis eligere quem cæteris idoneum magis judicaverit ad vacantem Ecclesiam gubernandam. Sed digniorem elegisse Episcopum, qui Zaccariam elegit, munerum ætatis, & meritorum enumeratione facta contenditur, cum si Dominicus Manfredi Parochus est, Zaccaria a pluribus annis curam animarum exerceat uti Coadjutor Parochi cum futura successione. Hæc atque alia Manfredus, & Zaccaria in eorum libellis. Dubia sunt.

I. *An constet de nullitate Concursus, ac de mala relatione Examinatorum, itaut sit deveniendum ad novum Concursum in casu &c.* & quatenus negativè.

II. *An constet de irrationabili judicio Episcopi, itaut Parochialis sit adjudicanda Manfredo in casu &c.*

Negativè ad utrumque, & amplius.

Die

Die Sabbathi 12. Maii 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CRACOVIEN. PIORUM OPERUM INADIMPLEMENTI. Seſſ. 25. cap. 8. & 19. de Ref.
Exciſis a Palatino Cracovienſi nemoribus, ſeptemque Villis ædificatis, cum Decimæ Agrorum Novalium ad Epiſcopalem Menſam ex Regni Conſtitutionibus pertinerent, Epiſcopus Cracovienſis anno 1618. precibus ejuſdem Palatini ductus eas donavit non Parochiæ Zborovecenſi, in qua eædem Villæ ſitæ ſunt, ſed Præpoſito alius Parochialis Eccleſiæ Oppidi Pacanovv his legibus, & conditionibus -- *Vt idem Pacanovvenſis Parochus intuitu d. Fundationis Decimarum præfatarum per duos Presbyteros a Vicariis ſeparatos, & quatuor Clericos, aut ſaltem Eccleſiæ Miniſtros, ac Organario, qui Officium Miſſæ, Feſtis quidem ſemper, ferialibus autem tertia, quinta Feria, & Sabathi diebus ſalario 24. Florenorum annuatim moduletur, integrum Officium B.M.V., Matutinum, Laudes, Horas, Veſperas, & Completorium, ſtatis horis temporibuſque una cum Miſſa quotidie, tribus dumtaxat ante Paſcha diebus exceptis, decantari abſolvique procuret, eiſque omnibus ſolvat, & provideat. Et inſuper in Sacello Villæ Bezebrus* (una hæc ex illis ſeptem eſt) *in honorem D. Jo: Baptiſtæ Cappellanum pro Populi Villæ illius devotione aſſidue fovere idem Parochus ſit adſtrictus, ne in Aquarum inundationibus ſpiritualibus Miſſæ ſanctæ, cultuſque divini ſubſidiis deſtituantur.*

Ex hac donatione alteri Parocho facta, controverſiæ, ut percipi facile poterat, ortæ ſunt inter Parochum Zborovecenſem, & Pacanovvenſem, quæ tamen tranſactione inita anno 1620. ſopitæ fuerunt, qua conventum eſt, *ut in prædicta Cappella Miſſæ Sacrificium die Dominico, & aliis Feſtis per Cappellanum celebretur: ut intra Miſſam cantatam more ſolito fieret concio, a prandiis vero Catechiſmi Doctrina ante decantationem Veſperarum tradatur, ſimiliterque Proceſſiones iiſdem Feſtis ſolemnioribus, & Dominicis fiant hac tamen lege, & conditione, ut quilibet Cappellanus pro tempore ſuæ adminiſtrationis teneatur licentiam a Parochis Zborovecenſibus in ſcriptis obtinere, & approbationem ad Conciones ab Officialibus procurare*, alia quoque pacta conventa fuerunt, quæ ad rem non pertinent, & longum eſſet referre. Hæc tranſactio etiam in Judicio confirmata fuit anno 1658.: ſed cum annis ab hinc quinquaginta Domus Cappellani dilapſa fuiſſet, nullus amplius in ea Villa Sacerdos Cappellanus moram

fecit; etiam Cappella inde ruit, itaut viginti jam fugerint annis, quibus Sacra, Divinaque Officia intermissa fuerunt. Parochus itaque Zborovecensis Officii sui partes esse duxit Præpositum in jus vocandi, ut Cappellam, & Cappellani domum restitueret, ac in eadem Villa Cappellanum perpetuo retineret, qui Sacra ageret, aliaque pia opera impleret, quorum causa Præposito donatæ fuerant Decimæ ab Episcopo Cracoviensi.

Terminum ad hæc agenda Præpositus postulavit, & Episcopus decreto lato *die 27. mensis Novembris anno* 1743. annum ei indulsit *sub pœna dismembrationis decimarum ea contemplatione, & sub hujusmodi onere Ecclesiæ Pacanoviensi assignatarum, illarumque applicationis Ecclesiæ Zborovecensi*. Non annus, sed biennium transegit, nihilque actum est a Præposito: Parochus itaque actionem iterum instauravit, Præpositus vero prorogationem petiit obtinuitque. His Prorogationibus ventum est ad annum 1747., quo Parochus quarto movit judicium in Consistorio Generali Cracoviensi. Præpositus autem Judicem declinando. Judicium ad Episcopum spectare declaravit: Judex Consistorianus agnita licet contumacia, & contraventione, Præpositi *Causam* tamen *ad Episcopum plenarie remisit*. Sequenti igitur anno 1748. instauratum fuit a Parocho Judicium in Episcopali Curia, Præposito excipiente restitutam fuisse Cappellam, Sacra in ea agi, aliaque Fundationis onera adimpleri. Episcopus Commissarium nominavit Decanum Pacanoviensem, ut inspiceret, an omnia, quæ in Decreto anni 1743. præscripta fuerant, adimpleta fuissent. Quadriennium transegit, antequam Decanus accederet, Præpositi distentus tergiversationibus. Accessit, viditque omnia se habere pessime: Inutilis tamen hic fuit accessus non citato Præposito, itaut Parochus anno 1755. executionem commissionis postulare debuerit. Excepit Præpositus litem aliam inter eum, & Parochum agi in Tribunali Rotæ Romanæ, suspectumque sibi esse declaravit Decanum, qui Commissarius fuerat nominatus.

Episcopus itaque in ejus locum duos alios Commissarios deputavit, & ab hoc decreto Præpositus Signaturam adiit postulans circumscriptionem omnium Actorum in Episcopali Curia, & remissionem Causæ ad Rotam, sed rejectus fuit ab eo Tribunali. Accesserunt igitur Commissarii ad Villam, & Domum Cappellani noverunt habitari non posse, Cappellam vero, quo statu sit, legent Eminentissimi Patres, nam horrorem animo ingerit illum referre, ut & Cœmeterium, & reliqua omnia. Nullum quoque ex oneribus in donatione adjectis impletur, nullum quod in transactione conventum fuit: *Folium* in volumen excresceret, si mala omnia hic essent narranda. Episcopus itaque sententiam tulit anno 1757., qua declarata contraventione Præpositi pronunciavit Decimas percipiendas ex Villis servandas esse eidem Præposito ratione Sacrorum, & Officii B. M. V. aliorumque Piorum Operum in Ecclesia Pacanoviensi imposterum implendorum. Decimas vero novalium Agrorum, Cap-

Cappellam ; & reliqua omnia , quæ ad curam animarum pertinent , Parocho adjudicavit , ut plenius conſtat ex longa ſententia , in qua Præpoſitum etiam abſolvit a reſtitutione Decimarũ perceptarum.Cum autemPræpoſitus ab hac ſententia non appellaſſet intra decendium , expedito mandato immiſſus fuit Parochus *die* 13. *menſis Novembris anno* 1757. in poſſeſſionem Cappellæ , & Decimarum , qui manus admovit reparationi ejuſdem Cappellæ , & Domus Cappellani , atque ipſum Cappellanum , qui Sacra , aliaque divina ageret , & in Villa perpetuo reſideret , mercede conduxit :

At Præpoſitus interpoſita clam appellatione ab eadem ſententia , Parochi poſſeſſionem repente turbavit abſciſſis violenter foribus Eccleſiæ expilata arca eleemoſynarum , ablatiſque etiam ſacris indumentis . Ad rem itaque abſolvendam , & repellendam vim Præpoſiti confugit Parochus ad hoc Sacrum Tribunal, confirmationem poſtulans Epiſcopalis ſententiæ . Contra Præpoſitus a Tribunali Signaturæ poſtulavit circumſcriptionem poſſeſſionis Cappellæ , & Decimarum nactæ a Parocho , & purgationem attentatorum ope præſedioque clandeſtinæ appellationis , quam Varſaviæ interpoſuerat, ſed aliud impetrare non potuit , quam ut jure ſuo uteretur in hoc Sacro Tribunali cui facultas data fuit circumſcribendi , & jubendi attentatorum purgationem . Nunc igitur , audito jam Cracovienſi Epiſcopo , Cauſa proponitur . Longum eſſet ea , quæ a Parocho differuntur , excerpere in facto tam longo . A Præpoſito nihil adhuc habuimus . Duo ſunt Dubia .

I. *An ſententia Curiæ Epiſcopalis ſit confirmanda , vel infirmanda in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis , & quomodo ſint purganda in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt proximam etiam unica .

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM . Teſtamento Jacobi Porphyrii legata fuerunt anno 1625. Sodalitio Mortis Oppidi Murri Vallium loca montium quadraginta duo , & Domus , ut ex eorumdem locorum redditibus conſtituerentur quotannis Dotes quatuor pauperibus Puellis *Native* ejuſdem Oppidi , vel ejus Territorii , quæ ætatem implevisſent annorum decem & ſeptem , præfinita,Dote ſc.40. ſingulis nubentibus , eis vero , quæ Monaſterium ingrederentur ſc.60. Fructus locorum montium , ut neminem latet , diminuti fuerunt, cenſuitque Archiepiſcopus diminuendam eſſe quantitatem, non vero *Seſſ.22. cap.8. de Ref.*

ro numerum Dotium. Anno 1743. præfinitæ fuerunt dotes nubentium in sc.20., Monialium vero in sc.30. habita ratione redditus locorum montium. Eodem anno augeri redditus cœperunt, cum per intervalla percipiantur fructus unius loci. Compertum inde est penes Depositarium esse summam, quæ excedit Cedulas Dotium Puellis distributas. Sodalitium preces obtulit defuncto Principi Benedicto XIV., quibus postulabat, ut definiretur dubium, quod oriebatur ex vocabulo *Native*, quo usus fuerat Testator, an scilicet admittendæ essent ad subsidia dotalia Puellæ, quæ ortum quidem habuerunt in Oppido, sed ex advenis Parentibus. Rursus postulabat, ut explicaretur modus, quo pecunia superexcedens subsidia in Cedulis distributis promissa, erogaretur. Data fuit Eminentissimis Patribus harum postulationum cognitio, a quibus auditus fuit Archiepiscopus, qui animi sui sententiam aperuit. Nunc itaque Sodalitium IV. Dubia Eminentissimis Patribus proponit, eorum definitionem, qualiscumque sit expectans. Dubia sunt.

I. *An ad subsidia dotalia q. Jacobi Porphyrii admittendæ sint Puellæ ortæ in Oppido Murri Vallium ex Advenis Parentibus in casu &c.* & quatenus affirmativè.

II. *An illæ sint admittendæ, licet deinde alio transferantur in casu &c.*

III. *An illæ sint admittendæ, quæ in Oppido nascuntur, & fixum tenent Domicilium, quamvis ratione Paternæ, seu Maternæ originis credantur extraneæ in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sit eroganda pecunia, quæ superest ultra subsidia promissa, seu assignata in Cedulis distributis in casu &c,*

Ad I. II. & III. Affirmativè. Ad IV. Esse investiendam in Locis Montium pro augendis Dotibus usque ad summam a Testatore præscriptam.

BRIXIEN. INDULTI. Anceps illa, & crebris Doctorum disputationibus, atque adversantibus Tribunalium definitionibus vexata quæstio de capacitate Canonicorum Regularium Lateranensium assequendi quæcumque Beneficia Ecclesiastica secularia sine Apostolico assensu, anno 1713. a Summo Pontifice Clemente XI. Sacro huic Tribunali commissa fuit, ut ex juris dumtaxat dispositione, & ex Ordinis Constitutionibus definiretur. Numquam tamen Causa acta est, sed constans semper fuit consuetudo, ut Canonici Regulares Lateranenses sæcularia Bene-

Beneficia assequi possent cum assensu Abbatis Generalis, & Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Negociis, & Consultationibus præpositæ. Hac itaque vigente Consuetudine Canonicus Jo: Baptista Lizzarius anno 1730. Professionem in eo Ordine emisit. Sed anno 1745. venit in mentem Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis postulandi a defuncto Summo Pontifice Benedicto XIV. novam Constitutionem, qua novum onus imponeretur Canonicis Regularibus Lateranensibus expediendi Indultum Apostolicum, ut sæcularia Beneficia consequi possent. Totius Ordinis adesse consensum narravit in precibus oblatis, licet nemo unus esset, qui id sciret, sed id ab eo factum fuit, ut gravibus impensis Indulti Canonici Lateranenses deterriti in Ordine permanerent; Annuit Pontifex, & Constitutionem edidit, quæ est 135. *Bullarii sui*. Eo vero defuncto, Canonicus Jo:Baptista Lizzarius precibus adiit SACRATISSIMUM PRINCIPEM NOSTRUM, qui, bene perpensis ejus rationibus, potestatem ei fecit adeundi hoc Sacrum Tribunal contra Constitutionem Benedictinam.

Auditus itaque fuit Procurator Generalis Ordinis, qui rescripsit vera esse omnia, quæ a Canonico Lizzario in precibus narrata fuerunt. Dubiis igitur duobus, quæ nunc proponuntur, ejus postulatio complectitur. Primo disputat non posse cogi ad expeditionem Indulti, quia cum anno 1730., quo ipse Professionem emisit, satis esset assensus Abbatis Generalis, & Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & hæc consuetudo confirmata fuisset Constitutione Summi Pontificis Benedicti XIII.,. nequeat compelli ad novum hoc onus, quod Professionis tempore non aderat, quodque ejus conditionem deteriorem facit. Non enim ipse Professionem emisisset, si statum Ordinis immutari posse scivisset, ut vel nulla pronuncianda sit ejus Professio defectu consensus, vel dicendum sit eum in nova Benedicti XIV. Constitutione non esse comprehensum. Secundo vero disputat, ut si credi possit eum in dispositione novæ Constitutionis Benedictinæ comprehensum esse, concedenda sit oris aperitio, cum manifesto pateat Constitutionem illam subreptam fuisse a tunc temporis Procuratore Generali, qui falso narravit adesse totius Ordinis consensum, quod si falsum esse Summus Pontifex scivisset, non equidem Constitutionem illam tulisset ignorante, immo invito universo Ordine, eoque amplius,, quod illud etiam declarandum sit, an Constitutio illa afficiat, & comprehendat eos omnes Canonicos, qui ante illam emiserant Professionem, vel eos tantum, qui post illam emissuri essent Professionem; scitum enim est Leges non præteritis, sed futuris normam dare negociis:

Hæc summa est libelli dati a Canonico Lizzario: Dubia sunt.

I. *An Orator pro assequendis Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus teneatur reportare Indultum Apostolicum vigore Constitutionis san. memor. Benedicti XIV.*, *sive potius eidem sufficiat licentia*

centia Pat. Abbatis Generalis confirmata a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium? & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An sit locus Aperitioni Oris in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam. Ad II. Provisum in primo.

Sess. 22. cap. 8. de Ref.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Supremo, quo decessit anno 1651. suæ voluntatis elogio, Franciscus Mainardi ita ait = *nomino mia Erede universale la Venerabil Archiconfraternita della Santissima Annunziata di Roma con li sopradetti pesi. & oblighi, come anche l' infrascritto cioè, che &c. debba ogn' anno dotare tante povere Zitelle Orfane, che pro tempore si ritrovino nel Venerabile Monastero de' Santi Quattro Coronati di Roma: quelle però, che si vorranno far Monache in detto Monastero, o in altro Monastero quì in Roma, o fuori, purchè abbiano compiti quindici anni della loro età, e se in qualche anno non fossero in detto Monastero Zitelle di detta età, che si volessero monacare, in tal caso ogni volta, che ciò occorrerà voglio, che si diano a povere Zitelle Orfane, che stanno per Roma, che abbiano avuta la Dote ordinaria della Santissima Annunziata, e che si vogliono far Monache.*

Pergit Testator, & inquit: *E dette Zitelle tanto quelle del Monasterio di Santi Quattro, quanto quelle, che staranno per Roma, si dovranno nominare delli Signori Officiali &c. quali Zitelle nominate da detti Officiali si dovranno mettere in una Bussola, e da quella estraere tante quante saranno le Doti, che in quell' anno si dovranno dare delli frutti della mia Eredità: E questo si averà da osservare solamente in quelli anni, che non vi saranno Zitelle, che non si vorranno far Monache di detto Monastero di Santi Quattro, che abbino la suddettà età.* Sunt autem in eo Monasterio Puellæ, quæ cum Patre tantum orbatæ fuerint, Pontificia dispensatione admissæ fuerunt in idem Monasterium, in quo eæ dumtaxat Puellæ recipiuntur, quæ utroque carent Parente. Has renuit Sodalitium nominare ad subsidia Dotalia Mainardi, quod incapaces sint, cum Orphanæ dici non possint, atque in hanc sententiam unus ejusdem Sodalitii Officialis, qui in Foro Romano Advocati munere fungitur, consultationem scripsit, sed ejus rationibus nihil suasa Congregatio Domus Orphanorum, sub cujus regimine Monasterium illud est, preces obtulit Sacro huic Tribunali, ut Sodalitium compelleretur ad eas nominandas. De his precibus auditus fuit Eminentissimu

tissimu

tissimus Dominus Cardinalis Sodalitii Protector, qui animi sui sententiam aperuit secundum Sodalitium, & Consultationem ab ejus Officiali Advocato scriptam.

Causa nunc proponitur, & disputat Monasterium, receptam esse Doctorum sententiam *Orphani* vocabulum propria significatione explicare minorem, qui Patre orbus sit, & licet præsto sint alii, qui contra sentiant, ut Orphani sint, qui utroque carent Parente, omnes tamen convenire, ut in ultimis voluntatibus, piisque Legatis, quale illud est, de quo agitur, Orphani accipiendi sint etiam ii, eæque, qui quæve Patre tantum destituuntur, ut est apud *Carleval. de Judic. lib.*1. *tit.*1. *disput.*2. *quæst.*6. *sect.*7. *num.*567. *Altimar. de nullit. Contract. tom.*8. *rubric.*2. *&* 3. *quæst.*1. *sect.* 1. *sub num.*11. *Sanchez Consil. Moral. lib.*4. *cap.*1. *dub.*63. *num.*4. *Diana tom.*6. *oper. coord. tractat.*8. *de Testament. resolut.* 46. *num.*2. *Del Bene de Immun. Eccles. tom.*1. *cap.*8. *dub.*21. *sect.*7. *num.*6. *Gratian. discept.*666. *num.* 3. *& seqq.* Quæ sententia in specie hujus Testamenti eo amplius custodienda sit, quod Testator semel tantum *Orfane* dixit, cum in aliis, quas supra dedimus, Testamenti partibus eamdem qualitatem omiserit, ut videatur eam voluisse demonstrativè tantum, non taxativè. Contra hanc æquissimam, & receptissimam sententiam audiendas non esse rationes, quæ in dicta consultatione proponuntur. Primam enim, quod Testator dispositionem suam conformem voluerit Instituto Monasterii, in quo eæ dumtaxat Puellæ recipiuntur, quæ utroque Parente carent, non esse spectandam, cum nullibi constet Testatorem Instituto illi sese conformare voluisse; aliud esse ut non recipiantur, nisi quæ utroque Parente carent, & aliud esse, ut receptæ subsidia dotalia consequi non possint nisi & Patre, & Matre destituantur. Primum jubere statuta Monasterii, alterum neque a Statutis, neque a Testatore disponi.

Alia ratio Consultationis hunc esse morem Sodalitii, ut *Orphanarum* nomine eas Puellas accipiat, quæ Parentibus carent, ideoque præsumendum sit Testatorem ad hunc morem respexisse. facile tollitur, cum non probetur tempore testamenti hunc fuisse morem Sodalitii, ejusque moris scientiam habuisse Testatorem, qui legibus, & consuetudinibus particularibus dispositionem suam conformem voluisse non præsumitur, sed legibus generalibus, quales sunt municipales, & in his aguntur quæstiones de præsumpta voluntate Testatorum dispositiones suas conformes reddendi. Morem igitur, & consuetudinem Sodalitii servari posse. ubi Testatores liberum Sodalibus arbitrium dederint nominandi ad subsidia incertas Puellas incerti generis, cum hoc casu non a Testatoribus, sed a Sodalitio beneficium dotis accipiant Puellæ, secus ubi nominatio certarum Puellarum facienda sit. Capiunt enim hoc casu a Testatore, non a Sodalitio, quod nudum habet ministerium, & onus exequendi Testatoris voluntatem, ideoque mens ejus,

 non

non consuetudo, & mos Sodalitii spectanda sit: nullius pretii esse tertiam rationem, quæ est a dispensatione Pontificia sublatum fuisse impedimentum Statutorum Monasterii, non aliud, quod venit ex more, & consuetudine Sodalitii, nam & hunc morem, atque consuetudinem obstare non posse diximus, & Puellæ non ex dispensatione Pontificia, sed ex voluntate Testatoris ad subsidia dotalia nominationem postulant.

Levissima demum esse postremam rationem Consultationis, præferendas nempe esse Orphanas Urbis, quæ Parentibus destitutæ sint, Orphanis Monasterii, quæ Patre tantum orbatæ fuerunt. Prælatio enim hæc posset habere locum inter Puellas Monasterii, non inter has & Puellas Urbis, quæ non possunt admitti, nisi deficientibus Puellis Orphanis Monasterii. Hæc disputantur in libello Congregationis domus Orphanorum. A Sodalitio nihil habuimus. Dubium est.

An Puellæ Orphanæ ex Patre tantum existentes in Monasterio SS. Quatuor Coronatorum sint capaces subsidiorum dotalium quondam Francisci Mainardi in casu &c.

Affirmativè.

[illegible] 24. [illegible] 12, [illegible]

BONONIEN. COMMUTATIONIS INDULTI QUOAD SERVITIUM CHORI. Erecta anno 1464. ab Immortali Pontifice Pio II. in Collegiatam insignem Ecclesia S. Petronii Cardinalis Angelus Capranica Episcopus Reatinus, qui tunc Legationis munere in Civitate fungebatur, onus injunxit novis Canonicis quotidiani Ecclesiæ servitii sine ullis vacationibus. Tulerunt tamen hoc onus Canonici ad annum usque 1526., quo Augustinus Zanetti Summi Pontificis Clementis VII. Delegatus agnita oneris gravitate, & tenuitate redditunm, Privilegium ipsis indulsit *Tertiariæ* pro matutino dumtaxat & laudibus. Inde vero Summus Pontifex Paulus III. facultatem iis dedit, ut *ex toto anni circulo cuilibet Canonico deducerentur quadraginta dies, qui computarentur in Signatura ordinaria, & quibus ipsi Canonici eidem Signaturæ non subjacerent, sed haberentur pro præsentibus, residentibus, & interessentibus, extractis tamen diebus dominicis, & solemnioribus*. Hoc indultum anno 1685. in dubium revocatum fuit a Mansionariis ejusdem Ecclesiæ, Sed in hoc Sacro Tribunali victi fuerunt confirmato Indulto. Servitium igitur a Canonicis præstitum fuit servatis vacationibus indultis a Clemente VII., & Paulo III. Summis Pontificibus. At anno demum 1735. Prosper Lambertinus S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Bononiensis datis literis ad hoc Sacrum Tribunal, quibus, & servitii gravitatem, & reddituum tenuitatem significabat, rogavit EE. Patres, ut onus

onus levaretur indulgendo privilegium *integræ Mediariæ* exceptis diebus Festis, aliisque designandis, votique compos factus fuit, unde decretum tulit, quo indulgebatur Canonicis *Mediaria*, & præscriptus fuit modus, adjectæque conditiones, quibus eo Privilegio uterentur.

Evectus autem idem Cardinalis Lambertinus ad summum Apostolicæ Dignitatis gradum, & memor tenuitatis redditum eorum Canonicatuum eos liberaliter auxit ad summam sc. 80. in Canonicos singulos. Hac liberalitate usi sunt Canonici, dum vitam egit Donator, sed eo vita functo secum animo reputantes detrimentum servitio Ecclesiæ illatum indulto *Mediariæ*, cum sæpe contingat paucos Choro interesse, Hebdomadariis, vel infirmis, vel senio confectis, vel rude donatis, vel legitima alia Causa absentibus, Preces obtulerunt SACRATISSIMO PRINCIPI NOSTRO, quibus postulabant, ut loco Indulti *Mediariæ* indulgeretur annua vacatio *sexaginta dierum* arbitrio cujusque Canonici cum perceptione distributionum respondentium diebus illis sexaginta. Singularem hanc postulationem cognitioni EE. Patrum tribuit Optimus Princeps, & ab EE. Patribus rogatus fuit Emus Archiepiscopus, ut de ea sententiam animi sui explicaret. Approbandam censuit Eminentissimus Archiepiscopus, & res nunc definienda proponitur, disputantibus Canonicis audiendam esse eorum postulationem ob utilitatem Ecclesiæ: quæ majus habet servitium, ob auctos redditus Canonicatuum, ob scandalum denique pusillorum, quod ex raritate chori obvenit, quodque hac ratione removetur: neque pluribus opus esse videtur, cum res per se manifesta sit. Dubium igitur est.

An constet de Causis commutandi Indultum Mediariæ in aliud annuarum Vacationum sexaginta dierum pro libitu cujusque Canonici cum perceptione distributionum eisdem correspondentium in casu &c.

Affirmativè.

SENEN. CELEBRATIONIS, ET APPLICATIONIS MISSÆ CONVENTUALIS: Exacto quadraginta annorum servitio, quod præstitit Ecclesiæ Metropolitanæ Senensi Canonicus Alexander Bandinellius rude donatus fuit, seu ut vulgo dicitur *Jubilatus* adjecta solita formula, *ut quamvis in posterum non inserviat nihilominus fructus omnes, & distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si Choro, & Officiis divinis personaliter interesset*. Cum autem posthabito Indulto Capitulum ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ renuisset eum solvere ab obligatione celebrandi, & applicandi Sacrum *Sess. 24. cap. 12. de ref.*

crum Conventuale, idem Canonicus preces obtulit EE. Patribus, quibus postulabat id declarari, an ipse sive per se, sive per alium facere teneretur, vel stipendium sacrorum solvere deberet. Auditus fuit: ut moris est, Archiepiscopus, & Causa nunc duobus Dubiis instructa proponitur. Negat Canonicus cogi posse ad celebrationem, sive ad applicationem Sac. Conventualis aut per se, aut per alium. Rem fuisse dudum ab hoc Sacro Tribunali definitam in *Aquipendien. Jubilationis* 2. *Martii* 1697., quam refert *Ursaya discept. Eccles. tom.*3.*part.*2.*discep.*4.*n.*133. & est in *Thesaur. Resolut. Sac.* Congreg. *tom.*1. *fol.*174. *& in Balneoregien Missæ* Conventualis 19. *Augusti* 1713. apud *Scarfanton. ad Ceccoper. Lucub. tom.*3. *annotat.*9. *num.*14. Nuper autem in *Pientina* 20. *Augusti* 1757. Negat etiam teneri ad solvendum stipendium horum sacrorum, quod consectarium est, nam si cogi non potest ad celebrandum, & applicandum sacrum per alium, cogi quoque non poterit ad contribuendnm stipendium, diceretur enim celebrare, & applicare per alium: atque ita respondit hoc sacrum Tribunal in *Prænestina* 11. *Martii* 1662. *apud Panimoll. decis.*20. *annot.*3. *num.*69. *&* 70.

Hæc atque alia plura Canonicus Bandinellius. A Capitulo nihi habuimus, Duo quæ diximus Dubia sunt.

I. *An Canonicus Jubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam Conventualem per Turnum, eamque applicare pro Benefactoribus in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An Canonicus Jubilatus teneatur contribuere eleemosynæ Missarum Conventualium in casu &c.*

Negatiuè ad utrumque,

DERTHONEN. VISITATIONIS. In Oppido Viqueriæ Derthonensis Diœceseos erat Hospitale nuncupatum S. Rocchi, pridem vero S. Henrici, quod proprium habebat Rectorem, quem universitas præsentabat. Hoc Hospitale Summus Pontifex Alexander VI. anno 1497. univit Monasterio S. Mariæ pietatis Familiæ Dominicanæ, quod est extra idem Oppidum. Unionis Literæ habent hanc formulam *Proviso tamen, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Hospitale prædictum debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta*. Dum apud PP. Dominicanos administratio fuit, hospitati fuerunt Peregrini, & si quando defecerunt, Episcoporum decretis animadversum in eos est. Erectum fuit anno 1577. in Oratorio S. Rocchi Sodalitium Laicorum nuncupatum *SSmi Nominis Jesu*; huic Sodalitio PP. Dominicani concesserunt anno 1621. situm quemdam & domum
sub

ſub hac lege , *Che li Fratelli ſiano obligati di riedificare quelle Caſe dell' Oſpedale tutte a loro ſpeſe, e far l' Oſpedale, provedere di letti, ed altri utenſili neceſſarii per albergare li Pellegrini, e queſto non ſolo per ora ma ſucceſſivamente per ſempre*. Neque unio, neque erectio Sodalitii Derthonenſes Epiſcopos revocarunt a Viſitationibus plenariis, quas ante unionem, & erectionem explere ſolebant. Proponuntur Viſitationes plures factæ ab Epiſcopis poſt Unionem Hoſpitalis, Oratorii, & Montis Frumentarii, quem ſodales adminiſtrabant. Sed anno 1604. Viſitationi reſtiterunt Dominicani Patres ratione Unionis, Sodales vero quia Sodalitium erectum fuiſſet in Eccleſia Regulari, & exempta.

Epiſcopus itaque ſacrum hoc Tribunal conſuluit, & *die* 24. *Martii eodem anno* 1604. Sacra Congregatio reſcripſit *ſæpius reſpondiſſe, poſſe Epiſcopum viſitare Confraternitates ſæcularium in Eccleſiis Regularium quantumvis exemptorum exiſtentes*. Obſtiterunt tamen Patres, & Sodales; Epiſcopus vero Oratorium Interdicto ſubjecit, de Interdicto quæſti ſunt Patres, & Sodales, ſed Sacra Congr. *die 6. Sept. eodem anno* Epiſcopi factum probavit. Animo igitur fracti & Patres, & Sodales paruerunt, alias quoque viſitationes habuit Epiſcopus annis 1610., & 1612., pluraque in his tulit decreta. Ad ingenium tamen redierunt Sodales, & Patres anno 1614., & in tribunali A. C. non citato, neque audito Promotore Fiſcali clancularíam obtinuerunt ſententiam exemptionis a Juriſdictione Epiſcopali. Diu inde intermiſſæ fuerunt viſitationes, ſed cum anno 1672. Epiſcopus eam induxiſſet reſtiterunt Sodales objicientes ſententiam A. C. Res itaque delata fuit ad hoc ſacrum Tribunal, & binis propoſitis Dubiis, quorum Primo, quærebatur *An ad Ordinarium ſpectet Jus viſitandi Confraternitatem?* Et quatenus affirmative, ſecundo *An renuentibus Confratribus poſſit eos cogere cenſuris, atque aliis Juris remediis?* Sacra Congregatio *die* 7. *Decembris eodem anno* 1672. reſpondit *Affirmative ad utrumque*. Sodales tamen obtemperare recuſarunt, & quia Epiſcopus interdictum inflixerat, adiverunt Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, a qua interdicti ſuſpenſionem impetrarunt: ſed hoc Sacrum Tribunal, ad quod confugit Epiſcopus, juſſit, ut quibuſcumque non obſtantibus ad Viſitationem procederet.

Ne id quidem Patres deterruit, qui extra judicium omnem operam collocarunt, ne Viſitatio haberetur: hac de re querelas detulit Epiſcopus ad Vincentium Urſinum S. R. E. Cardinalem, & Sacræ hujus Congregationis Præfectum, qui inde Summus Pontifex renunciatus fuit, atque ad doctiſſimum Paſſerinium Procuratorem Generalem Ordinis Dominicani, a quibus datæ fuerunt literæ Patribus S. Mariæ Pietatis, ut omnino parerent. Superatis igitur omnibus difficultatibus Epiſcopus pleniſſimam habuit Viſitationem Eccleſiæ Hoſpitalis, Sodalitii, & Montis Frumentarii pluribus latis decretis. Renovata fuit Viſitatio anno 1684., ſed inde qua ratione ignoratur intermiſſæ

fuerunt

fuerunt Visitationes. Cum autem qui nunc Ecclesiæ Derthonensi præest Episcopus, necesse novisset Visitationem habere, ut lites omnes fugeret satius duxit eam indicere jure delegato. Restiterunt primo Patres S. Mariæ Pietatis, re inde omni comperta læti, lubentesque Visitationem voluerunt. Ex Visitatione agnitum fuit Sodales Peregrinorum hospitationem omnino deseruisse. Domum Peregrinis excipiendis destinatam pro Salium, & Palearum conservatione locari. Montem Frumentarium fere omnem dissipatum fuisse, neque exigi administrationis rationem, Sacrorum onera non impleri, *Peregrinarum* denique mulierum Congregationem Peregrinis substitutam fuisse. His malis ut opem ferret Episcopus providentissima tulit decreta, præfixitque Sodalibus ad ea implenda anni terminum, quo transacto, iisque non adimpletis, Oratorium illico esset interdictum. Neve horum decretorum ignorantiam prætexere possent Sodales, denunciata publicè, & Patribus, & Sodalitio fuerunt.

Decretorum Exequutionem neglexerunt Sodales, & Oratorium ipso jure in interdictionem incidit. Laicos Judices adierunt Sodales, sed nihil impetrarunt. Postremo itum est ad Curiam Metropolitanam Mediolanensem, quæ spreta oppositione Promotoris Fiscalis Derthonensis literas inhibitoriales concessit, & suam esse hujus rei notionem declaravit, absolvitque Oratorium ab interdictione ad tres menses cum reincidentia. Appellavit Promotor Derthonensis, & appellatione pendente Sodales Decretum Curiæ Metropolitanæ exequi voluerunt. Re autem delata ad Tribunal Signaturæ, Causæ universæ notio Emis Patribus data fuit. Auditis itaque jam & Episcopo Dertonensi, & Eminentissimo Archiepiscopo proponuntur nunc XXV. Dubia, quorum lectione intelligitur, quid sit id, de quo disputantur. Rationes singulorum colligere longum esset. A Sodalibus nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Episcopus Derthonensis possit tamquam Delegatus Apostolicus visitare Hospitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ Diœcesis Derthonensis, ac etiam Montem Frumentarium, et Sodalitium sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu in eodem Oratorio erectum, ac etiam Cappellam S. Annæ, & integram Ecclesiam, seu potius Visitatio facta anno* 1754. *sit circumscribenda in casu &c.*

II. *An Patres S. Mariæ Pietatis per consensum ab ipsis præstitum dictæ Visitationi, & præsertim Interdicto lato contra dictam Ecclesiam, male se gesserint, & qua pœna sint puniendi in casu &c.*

III. *An dicti Patres anno* 1497. *obreptitiè obtinuerint Breve a S. M. Alexandro VI. pro incorporatione dicti Hospitalis eorum Conventui, & quid sit providendum in casu &c.*

IV. *An Sodales dictæ Ecclesiæ S. Rocchi potuerint appellare ad Curiam Metropolitanam Mediolanensem, & acta in ea facta sint circumscribenda, seu potius quomodo sit providendum in casu &c.*

An

V. *An tam Ecclesia, & Hospitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ, quam Sodalitium in dicta Ecclesia erectum, ac Mons Frumentarius ibidem pariter existens, nec non bona, & redditus eorumdem sint sub Cura Protectione, & dominio Conventus S. Mariæ Pietatis dicti Oppidi in casu &c.*

VI. *An Ministerium, quod Confratres habent dd. Ecclesiæ Hospitalis, Confraternitatis, ac Montis Frumentarii, eorumque bonorum, ac redditaum sit omnino dependens, subordinatum, & famulativum Patribus dicti Conventus in casu &c.*

VII. *An Patres dicti Conventus habeant onus manutenendi Confratres in d. Ecclesia, eisque ubilibet favendi, necnon eosdem defendendi a quibuscumque etiam ab Episcopo Dertbonen, præsertim respectu ad Litem nunc vigentem super nullitate Visitationis ab eodem Episcopo peractæ anno 1754., & in casu renitentiæ, seu inobservantiæ dicti oneris quomodo sit providendum in casu &c.*

VIII. *An Sodales prædicti ceciderint ab Administratione Hospitalis Peregrinorum, & prætensorum Bonorum respective ejusdem Hospitalis in casu &c.* & quatenus negative.

IX. *An iidem Sodales teneantur Hospitalitatem Peregrinorum cum omnibus adnexis, & necessariis in viridem observantiam revocare, cæteraque contenta in Instrumento diei 29. Aprilis 1621. adimplere sub pœna caducitatis ipso facto incurrendæ in casu inobservantiæ pactorum in casu &c.*

X. *An dicti Patres teneantur tradere Confratribus redditus dicti Hospitalis, vel saltem aliquam eorum partem, & quatenus repugnarent, quomodo sit providendum in casu &c.*

XI. *An dicti Patres ceciderint a legato Librarum 9000. ipsis relicto a quondam Canonico Antonio Maria Bonamico, itaut factus sit locus substitutioni favore dicti Hospitalis, et dictorum Confratrum ejus Administratorum in casu &c.*

XII. *An Administratores Montis Frumentarii teneantur subministrare Triticum iis tantum Pauperibus, de quorum paupertate constat ex attestatione Parochi in casu &c.*

XIII. *An in subministratione Frumenti recipi possint Sodales in Fidejussores in casu &c.*

XIV. *An Administratores reddituum dd. Hospitalis, Oratorii, ac Montis Frumentarii teneantur reddere rationem de Administratis Priori dicti Conventus S. Mariæ Pietatis in casu &c.*

XV. *An dicti Sodales debeant tenere librum peculiarem, in quo adnotetur adimplementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii in casu &c.*

XVI. *An, & quam Missarum quantitatem iidem Confratres teneantur celebrari facere ratione Legati relicti a quondam Carolo Vincentio Salvi in casu &c.*

XVII. *An ass. Peregrinæ, sive Consorores nuncupatæ sint eliminandæ a dicta Confraternitate in casu &c.* & quatenus negative.

XVIII. *An eædem Mulieres possint associare Cadavera in casu &c.*

An

XIX. *An Eleemosynæ manuales Missarum a piis Benefactoribus datæ reponi debeant in Capsula, & una Clavis ejusdem Capsulæ retineri debeat a Priore Conventus ad formam Capituli 7. Instrumenti diei 2. Decembris 1577. in casu &c.*

XX. *An in Oratorio S. Rocchi admitti possint ad celebrandum tam Sæculares, quam Regulares absque licentia Prioris Conventus contra formam Capituli 8. dicti Instrumenti in casu &c.*

XXI. *An in casu inobservantiæ dicti Capituli 8. Confratres cadere debeant ab usu d. Oratorii seu potius alia pœna multandi sint in casu &c.*

XXII. *An Eleemosynæ Missarum provisionaliter celebratarum a Religiosis Conventus S. Mariæ Pietatis in eorum Ecclesia tempore Interdicti Oratorii sint satisfaciendæ a Confratribus in casu &c.*

XXIII. *An constet de Validitate Interdicti Oratorii S. Rocchi?* & quatenus affirmative.

XXIV. *An Confratres ceciderint in Censuras ob assertum spretum d. Interdicti in casu &c.*

XXV. *An sit d. Oratorium absolvendum in casu &c.*

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 30. Junii 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponuntur infraſcripta dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CIVITATIS CASTELLANÆ, ET HORTANÆ PRÆCEDENTIÆ. Definitis in *Congregatione* habita *die* 10. tranſacti menſis *Martii* tribus hujus Cauſæ Dubiis, & impetrata a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Hortan*æ nova Audientia*, Cauſa iterum data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Aprilis*, ſed Eminentiſſimi Patres *dilationem* indulſerunt. Urgente autem Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Civitatis Caſtellanæ Cauſa nunc reproponitur, & cognoſcendum erit. *Seſs.7. cap.2. de ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & ampſius.

SURRENTINA BENEFICIORUM. Propoſita, & definita fuit hæc Cauſa in eadem *Congregatione* habita *die* 28. *Aprilis*, & duobus ejus Dubiis, quorum Primum erat -- *An Canonicus Hieronymus Ammone indigeat diſpenſatione pro aſſequutione Beneficii, Rectoriarum, & Cappellaniarum, de quibus agitur in caſu &c.* Alterum vero -- *An, & cui idem Beneficium, eademque Rectoriæ, & Cappellaniæ ſint adjudicandæ in caſu &c.* Reſponderunt Eminentiſſimi Patres, *Ad I. Negativè. Ad II. Adjudicanda eſſe Canonico Hieronymo.* Retractari hanc definitionem poſtulat Honuphrius Ammone, & ideo nunc ex iis, quæ proponentur, cognoſcent Eminentiſſimi Patres. *Seſs.24. cap.17. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in &c.

In deciſis, & amplius.

BAREN. PENSIONIS. Poſtquam Archipresbyter Parochialis Eccleſiæ Terræ Nojæ *dilationem* in hac Cauſa obtinuerat, propoſita fuerunt tria ejus Dubia in *Congregatione* habita eadem *die* 28. *Aprilis*, ſed Eminentiſſimi Patres juſſerunt *iterum proponi*: Damus igitur eadem Dubia, ut definiantur. *Seſs. 24. cap. 13. de Ref. Matr.*

I. *An penſio reſervata ſuper Archipresbyteratu Curato Parochialis Eccleſiæ Terræ Nojæ ſit contra, vel ad formam Concilii?* & quatenus affirmativè ad primam partem, & negativè ad ſecundam, vel e contra.

II. *An eadem pensiosit solvenda in totum, vel in parte, & in qua summa in casu &c.?* & quatenus affirmativè ad primam partem, vel ad secundam tantum,

III. *An congrua Conciliaris pro eodem Parocho una cum aliis oneribus, & expensis publicis, & privatis sit prius deducenda in casu &c.*

Ad I. Affirmativè quoad primam partem, & Negativè ad secundam. Ad II. & III. Pensionem substineri dempta congrua Conciliari pro Parocho.

DERTHONEN. VISITATIONIS: Species omnis hujus Causæ habetur in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 12. *mensis Maii*, sed Causa proposita non fuit. Si nunc proponetur, poterunt Eminentissimi Patres repetita lectione *ejusdem XXV.* ejus Capita definire.

Vid. in Fol.S.Congr. 12.*Maii* 1759. *Derthonen. Dub.XXV. pag.*46.

Dilata cum absolutione ab interdicto usque ad exitum Causæ, & ad D. Secretarium pro remissoria ad effectum compulsandi jura.

Sess.22. c.8. de Ref. ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Hæc quoque Causa data fuit in *Folio* ultimæ *Congregationis* habitæ *die* 12. transacti *mensis Maii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An Puellæ Orphanæ ex patre tantum existentes in Monasterio Sanctorum Quatuor Coronatorum sint capaces subsidiorum dotalium quondam Francisci Mainardi in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal *Affirmativè*. Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & cognoscendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 8. de Ref. PISAUREN. Erectum fuit Pisauri anno 1527. Sodalitium *Sanctorum Rocchi, & Sebastiani*, quod suis regitur legibus ab Episcopo approbatis, & non leve pietatis specimen cunctis præbet in ea Civitate piis, quæ exercet, operibus. Annuos habet redditus sc.200. monetæ Romanæ, quibus onera Sacrorum annuorum 908. adimplentur, dotale subsidium sc.8. præstatur, & aliæ fiunt necessariæ impensæ, quæ, cum superent annuum illum redditum, supplentur a Sodalibus pecunia sua, qui etiam sine ullo compendio montem Frumentarium administrant. Venit nuper in mentem mulieris cujusdam, nomine *Margarita Paglicci*, erigendi Piam Domum, quam incolerent duodecim Puellæ. Ut id perficeret, commodiorem aliam viam ingredi non posse censuit,

ſuit, quam ſi aliorum bona caperet. Preces igitur obtulit *Sacratiſſimo Principi noſtro*, quibus poſtulavit, ut quando Sodales *Sanctorum Rocchi*, *&* *Sebaſtiani* perpetuis inter ſe diſcordiis agitabantur, & redditus Sodalitii in Epulas inſumebant, bona ejuſdem Sodalitii addiceret Piæ Domui erigendæ. Poſtulationis hujus cognitio data fuit Eminentiſſimis Patribus, a quibus auditus Epiſcopus commentitia eſſe reſcripſit, quæ de Sodalibus narrantur in precibus, & mulierculæ illius ingenium vivis coloribus pinxit. In *jus* eam vocari juſſerunt Eminentiſſimi Patres, ſed in jus venire non audet. Sodales igitur, ut notam deleant a muliercula inuſtam, & rem Sodalitii tutam reddant expediri poſtulant Dubium.

An ſit locus aſſignationi fructuum, & proventuum Societatis Sanctorum Rocchi, & Sebaſtiani Piſauri favore Piæ Domus duodecim Puellarum erigendæ a Margarita Paglicci, ſeu pro manutentione earumdem duodecim Puellarum in aliquo Conſervatorio, vel Monaſterio in caſu &c.

Negative, & amplius.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS SUPER MODO COMPUTANDI SUFFRAGIA. Teſtamento, quo deceſſit anno 1674. Mercurius Leti legavit operæ inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S.Petri ſc.2000. *conſignanda in tot cenſibus emptis ab ipſo Teſtatore*, e quorum annuis fructibus præſtari voluit quotannis in perpetuum ſubſidium dotale florenorum centum, ſive ſc.50.monetæ Romanæ honeſtæ Puellæ. *Onus* autem, ipſa ſunt Teſtamenti verba, *Puellam prædictam anno quolibet nuptui tradendi, ſeu conſignandi dictos florenos centum ex cauſa prædicta, incumbat R. D. Priori & Canonicis d. Eccleſiæ, ac Operariis pro tempore deputandis ut ſupra*. Ortis poſt annos 25. ab obitu Teſtatoris pluribus diſſidiis, & controverſiis de hac Puellarum electione, Laurentius Caſtruccius ea tempeſtate Spoletinus Epiſcopus plura tulit decreta, atque inter ea ita ſtatuit, *in tal caſo ſi debbano pigliare tutti li memoriali, imbuſſolare le Zitelle concorrenti con li requiſiti come ſopra, cavarle a ſorte, metterle tutte a partito, e quelle trè, che avranno avuto maggior numero di Voti ſegreti, s'intendano, e ſiano elette per quel triennio*. Poſt hæc de modo electionis ambigitur, cum controverſum ſit an electio facta fuerit ſingulis numeratis ſuffragiis Prioris, Canonicorum, & Operariorum, ſive potius vocibus tantum ſpectatis, nempe una Prioris, altera Canonicorum, tertia Operariorum. Quidquid autem hac de re fuerit antiquis temporibus, ambigi non poteſt noſtra tempeſtate electionem Puellæ ex vocum, non ex capitum, pluralitate factam fuiſſe, nam Canonici precibus anno 1757. oblatis, Sacro huic Tribunali hac de re quæſti ſunt, poſtulantes, ut electio fieret non per voces, ſed per capita ſuffragantium. Auditus Epiſcopus contra eos reſpondit: nunc igitur Cauſa proponitur.

Seſſ. 22. c. 8. de ref.

Disputant Canonici longe aliud esse jus præsentandi a jure eligendi. Præsentationem fieri posse per voces, non vero nominationē, cū nominatio, ut est electio Puellę, fieri debet a pluribus, Corpore, & Collegio, hoc enim casu singulorum suffragia numeranda esse, non vero per voces eundum tradiderunt *Card. de Luca disc.* 174. *de Dote num.* 1. *vers. hinc observantia*, *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 25. *n.* 16. Electionem hoc casu faciendam esse *collegialiter* constare ex verbis Testamenti, & decretis Episcopi Castruccii, & ita hactenus servatum fuisse, itaut nulla ratione sustineri possit modus ille, seu verius abusus numerandi voces, non vero singula suffragia. Neque ad rem pertinere dispositionem *Textus in leg. si quis actio.* 8. *ff. de usufruct. accresc.*, quod in Testamento Prior singulariter nominatus fuerit, Canonici vero, aque Operarii hactenus servatum fuisse dicunt, ut electio fiat per voces, non per capita, tum quia hanc consuetudinem usumque probari negant Canonici, tum quia etiamsi, ut opus esset, probaretur, condicto Judicio confirmatus, cum juris dispositioni adversetur, tollendus tamen esset ab Eminentissimis Patribus, quod contra tenorem rationis sit, plurimaque ex eo veniant absurda. Hæc atque alia Canonici: A Priore, & Operaris nihil habuimus. Dubium est.

An, & quomodo sit facienda electio Puellæ ad subsidium dotale relictum a bon. mem. Mercurio Leti in casu &c.

Dilata.

Sess. 24. c. 2. de ref. Matr. LEOPOLIEN. MATRIMONII. Nuptias contraxit Nicolaus Potocki cum Marianna Justina Dembrovvski filia Stanislai Thesaurarii Halicensis, nullamque ex hoc matrimonio sustulit Prolem. Post aliquot annos meminit Nicolaus suscepisse Mariannam e Sacro Fonte, doctusque matrimonium nullum esse ex causa hujus impedimenti dirimente edita in Consistorio Leopoliensi fide Baptismatis anno 1735. Mariannæ collati, ex qua constabat susceptam fuisse a Nicolao, postulavit nullum declarari, quod contraxerat matrimonium. Officialis contradicentibus Defensoribus matrimonii, & Mariannæ, ipsum autographum Baptismatum librum edi jussit, eoque edito compertum est librum, & fidem optimè convenire. Defensor autem matrimonii remissorias literas postulavit, ut ex Testibus veritas constare posset, easdem literas Officialis indulsit, decrevitque moneri Testes, ut sese examini subjcerent. In hos Testes utraque pars consensum præstitit, expletoque examine, ac publicato ex Testium responsis clarior comperta est spiritualis cognatio. Sententiam itaque tulit Officialis, qua nullum atque irritum matrimonium fuisse pronunciavit. Appellavit Matrimonii Defensor ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ, Nicolaus vero ad hoc S. Tribunal, cujus jurisdictionem etiam Marianna agnovit. Causa nunc proponitur, & disputat Nicolaus nulli ignotum esse inter suscipientem e Baptismo, & susceptum cognationem contrahi spiritualem, quæ matrimonium

monium impedit contrahendum, & dirimit contractum, ideoque cum constet Mariannam anno 1735. susceptam fuisse e lustralibus aquis a Nicolao, matrimonium inter eos contractum nulla ratione potuisse consistere.

Exceptiones, quæ a Marianna proponuntur, nihili prorsus esse; Frustra negari eamdem esse personam infantis, quam e Sacro Fonte sustulit Nicolaus, quoties eadem sunt nomina *Mariannæ Justinæ*, eadem Gens *Dembrovvscki*, & demonstratio Patris *filia Thesaurarii Halicensis*. Cum igitur Nicolaus nupserit Mariannæ Justinæ Dembrovvscki filiæ Thesaurarii Halicensis, inficiari nequeat eamdem esse personam, quæ suscepta fuit e Fonte Sacro a Nicolao, quæque cum eodem Nicolao matrimonium contraxit. Nec mutare, quod in libro Baptismatum *Mariannæ* nomen a Parocho superadditum fuit, quem ideo de falso accusavit in judicio Marianna. Juratus enim Parochus declaravit additum a se fuisse nomen tempore non suspecto, quod errorem suum noverit, qui nomen illud prætermiserat. Sed si in libro deficeret *Mariannæ* nomen rem semper in idem recidere, cum scriptum sit alterum *Justinæ* cum non alia Stanislao Dembrovvscki Thesaurario Halicensi orta fuerit filia, cum facile esset Mariannæ alium locum libri Baptismatum producere ex quo constet de suo Baptismo, si putat eum, quem Nicolaus edidit, *de Marianna* non loqui. Spernendam denique esse tabulam, quod Marianna domi Baptismum acceperit, inde sacræ in Ecclesia factæ fuerint ceremoniæ, ex quibus contrahi non potuerit inter eum, & Nicolaum cognatio spiritualis. Excludit enim hanc narrationem, quam nullus facit testis qui proponatur, liber Baptismalis, excluduntque Testes formiter repetiti. Huic similem esse aliam de Dispensatione Apostolica, quam excludit idem liber, quæque inter suscipientem, & susceptam non conceditur a Sancta Sede.

Hæc summa est libelli a Nicolao dati: sunt & alia in eo, sed quæ ad rem præsentem non pertinent. A Marianna nihil habuimus. Dubium, quod proponitur, est.

An constet de validitate, seu potius de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & conficiatur Processus juxta Decretum Nunciaturæ Apostolicæ.

FANEN. JURISDICTIONIS: Causa hæc derivatio quædam est alius actæ inter Episcopum, & Præsidem ob loca, & opera pia Terræ Urceani anno 1757., in qua proposito *die* 18. *Junii* Dubio -- *An & cui competat jus visitandi loca pia, de quibus agitur*? Respondit Sacrum hoc Tribunal -- *Competere Episcopo ad formam Concilii, salva auctoritate Curiæ Legationis in exercendis administrationibus Œconomicis* -- & repropolita Causa die 4. Maii anno 1758. *In decisis, & amplius* respondit. Episcopus enim visitationem explevit, & cum ex ea compertum fuisset plures apud *Sess. 22. c. 8. de reform.*

se

se pecunias exactas, vel reliquas retinere, indemnitati operum, & locorum piorum prospiciens Decretum tulit, quo jussit retinendam esse in Monasterio S.Caroli Arcam Depositi munitam, clausamque tribus Clavibus, quarum unam haberet *Confalonerius Communitatis*, alteram *Vicarius Foraneus*, tertiam *Prior Confraternitatis SS. Sacramenti*, atque in hac Arca deponi jussit pecunias, quæ ad quatuor loca, & opera pia pertinent. De hoc Decreto uti læsivo jurisdictionis legationis quærela Sacro huic Tribunali proposita fuit, & nunc disputat Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis confirmandum esse Decretum, quia æquum sit, prospiciat indemnitati, tutelæque pecuniæ, quæ in usus pios erogari debet, & in qua Episcopus jurisdictionem habet, ut Testatorum voluntates impleantur. Decretum hoc pridem latum fuisse ab Episcopo Dulphio, ut nihil novi nunc actum sit. Non esse tribuendam liberam Administrationem pecuniæ in Arca depositæ Legationi, quia id præseferret Dominium. Pecuniam depositam non egere administratione, sed erogatione in usus pios juxta Testatorum dispositionem: Administrationem, quam salvam Legationi voluit hoc Sacrum Tribunal in responso anni 1757. alia respicere. Hæc Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis. A Promotore Fiscali Legationis nihil habuimus. Dubium definiendum est.

An sustineatur Decretum Episcopi, quo statuitur retinendam esse in Monasterio S.Caroli Capsam Depositi sub tribus Clavibus, seu potius Custodia, & Administratio ejusdem Capsæ liberè spectet ad Legationem in casu &c.

Iterum proponatur.

Die Sabbathi 21. Julii 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

AUXIMANA, SEU CINGULANA CATHEDRATICI. Ex Indulgentia Eminentiſſimorum Patrum reproponitur hęc Cauſa, cujus Dubium -- *An, quomodo, & in qua ſumma ſolvi debeat Cathedraticum, & reſpectivè ſit locus reſtitutioni in caſu &c.* definitum fuit in *Congregatione* habita *die* 31. ſuperioris menſis *Martii* reſponſo -- *Affirmativè in pecunia numerata, & in ſumma duorum ſolidorum tantum, nimirum viginti juliorum, & in reliquis negativè.* Repropoſita vero in *Congregatione* habita *die* 28. *Aprilis*, Epiſcopo Auximate novum addi Dubium poſtulante, Eminentiſſimi Patres Dubio - *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.* - reſponderunt - *In deciſis, & amplius.* At in *Congregatione* habita *die* 12. tranſacti menſis *Maii* eodem Epiſcopo iterum Audiri petente *novam Audientiam* indulſerunt, itaut idem Dubium nunc ſit expediendum. *Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

NOVARIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Eadem Indulgentia uti ſunt in hac quoque Cauſa Eminentiſſimi Patres: Nam in *Congregatione* habita *die* 10. ſuperioris menſis *Martii* propoſito ejus Dubio, quod erat -- *An, & quæ Miſſæ, & Functiones ſint per Parochum celebrandæ in Eccleſia Parochiali Beatæ Mariæ Aſſumptæ Terræ Levi, & reſpectivè in alia Eccleſia Sancti Bernardi Somerarii in caſu &c.* Eminentiſſimi Patres reſponderunt -- *Miſſas omnes, & Functiones Parochiales celebrandas eſſe in Eccleſia B. Mariæ Aſſumptæ* -- & in *Congregatione* habita *die* 31. ejuſdem menſis *Martii* propoſito Dubio - *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.* reſponſum dederunt: *In Deciſis, & ampliùs.* Verum in *Congregatione* habita *die* 12. *menſis Maii* Somerarienſes audiri poſtulantes voti compotes facti fuerunt. Idem igitur Dubium nunc proponitur. *Seſſ. 22. Dec. de obſerv. & evit. in cel. Miſſ. Seſſ. 23. cap. 14., & Seſſ. 24. c. 4. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

CRA-

Seff. 25. c. 8. de Reform.

CRACOVIEN. PIORUM OPERUM INADIMPLEMENTI: Imperio Eminentissimorum Patrum hæc Causa proponitur, qui in *Congregatione* habita *die* 12. transacti mensis *Maii* jussserunt, ut proponeretur *in hac Congregatione etiam unica*. Repetita igitur lectione *Folii ejusdem Congregationis*, in quo species omnis hujus Causæ data fuit. Duo ejus Dubia definienda sunt.

I. *An sententia Curiæ Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c.*

II. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam, & ad Mentem, & mens est, ut scribatur Episcopo Cracoviensi, ut auctoritate sua Ordinaria obnixe incumbat pro implemento operum piorum, & certioret S.Congreg. Ad II. Affirmativè per viam nullitatis.

Seff. 24. c. 12. de Reform.

SENEN. CELEBRATIONIS, ET APPLICATIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. Repetenda est Causæ hujus species ex *Folio* ejusdem *Congregationis* habitæ *die* 12. *mensis Maii*. Duo erant ejus Dubia. *I. An Canonicus jubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam Conventualem per Turnum, eamque applicare pro Benefactoribus in casu &c.*, & quatenus negativè. *II. An Canonicus Jubilatus teneatur contribuere eleemosynæ Missarum Conventualium in casu &c.* His responderunt Eminentissimi Patres *negativè ad utrumque*. Audiri postulavit Capitulum Chathedralis Ecclesiæ, simulque alia proponi Dubia, quod ea, quæ proposita fuerunt, numquam habuerit animum denegandi. Contra Canonicus Bandinellius expediri prius instat proposita. Judicium erit Eminentissimorum Patrum, an alia dubia sint proponenda; Interim respondere poterunt.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Seff. 25. c. 4. de Reform.

ROMANA. Ab Hilario Mauri fundatæ fuerunt anno 1581. in Laterana Basilica quatuor Cappellaniæ disparibus redditibus præstandis ab hæredibus, & Administratoribus suæ hæreditatis, qui etiam tenerentur singulis annis certam summam præstare Capitulo ejusdem Basilicæ, *ut celebraret Anniversarium in die illius mortis, & unam Missam solemnem cum primis, & secundis Vesperis in Festo S.Hilarii*. Non diu tamen hæc dispositio exequi potuit, nam Xistus V. Pontifex Maximus omnia Hilarii bona R.C.A. addixit jure spolii, & stipendium Cappellanorum ad dimidiam ejusdem partem redegit; Hoc stipendium a Summo Pontifice Gregorio XIV. perequatum fuit inter quatuor Cappellanos. Clemens X. prævio Sacri hujus Tribunalis Decreto, quatuor Cappellanias ob diminutionem redditnum ad duas contraxit, & ob eamdem causam anno 1715. suspensum fuit

fuit a Capitulo Anniversarium, & sacrum solemne; At cum ann. 1736. duo Cappellani recuperassent sortem census sc. 1400., cum ejus usuris in summa sc. 1300., sortemque erogassent in emptionem Locorum Montium, itaut redditus duarum Cappellaniarum, qui prius erant annuorum sc. 82. aucti fuerint ad annua sc. 116.50.; Capitulum, habita tandem hujus rei scientia, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut Eminentissimi Patres judicarent, an Cappellani potuerint integros illius census fructus suos facere, nec stipendium Anniversarii, & sacri solemnis Capitulo solvere. Quod si censerent, jure id factum a Cappellanis absolveretur Capitulum ab eodem Anniv. sacrisque solemnibus, quæ ab eo tempore intermissa fuerant.

Novas inde preces obtulit Capitulum, quibus postulabat, ut definiretur, an annua sc. 34., quæ habentur ex Locis Montium emptis sorte census augere deberent annuum redditum Cappellaniarum, vel Capitulo solvenda essent pro stipendio Anniversarii, & Sacrorum solemnium, & si cedere debeant in redditum Cappellaniarum liberari postulabat ab iisdem Anniversario, & Sacris cum pro tempore præterito, tum pro futuro, & gravius injungi Cappellanis servitium Chori, & Ecclesiæ. Rogatus fuit Eminentissimus ejusdem Basilicæ Archipresbyter, ut de his precibus animi sui sensum explicaret auditis Cappellanis, Capitulum autem bene perpensa Hilarii Mauri dispositione remisit de postulationibus suis multum, solumque ursit, ut onus Anniversarii, & Sacrorum deleretur. Eminentissimus igitur Archipresbyter luculenta epistola, qua rem omnem ab ovo orditus est, considerans defectum hæreditariorum redditūum Hilarii Mauri censuit absolvendum Capitulum ab onere Anniversarii, & Sacrorum tempore præterito non actorum, liberandum vero tempore futuro, quia *nulla adsit spes possibilis satisfactionis, nec æquum sit, quod gravetur amplius conscientia, & sollicitudo Officialium Capituli in perquirendo, quod frustra requirent, & numquam invenient*. De Cappellanis vero, quos ore, & scripto audivit ita censuit, *augendum esse iis numerum Missarum, & illas reintegrandum ad numerum a Testatore præscriptum, injungendo cuilibet Cappellano celebrationem Missæ quotidianæ*. Propositis autem precibus, & sensu Eminentissimi Archipresbyteri in *Congregatione* habita *die* 2. *Septembris*, transacto *anno* 1758. Eminentiss. PP. responderunt: *Omnia juxta Votum Emi Archipresbyteri*.

Id, ubi rescivere Cappellani sese Contradictores præstiterunt, ideoque res redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, Capitulo declarante suum non esse disputare de augumento oneris Sacri quotidiani, quod Eminentissimus Archipresbyter censuit addendum esse Cappellanis, sed in eo tantum disputare, ut absolvatur a præterito, & futuro implemento Anniversarii, & Sacrorum, ea insuperabili ratione defectus stipendii, quam verbis supra allatis urget Eminentissimus Archipresbyter. Hæc Capitulum. A Cappellanis nihil habuimus. Dub. est.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 22. *Sep* 1758. *in casu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in sequenti.

Seſſ.25. c.11. de Reform.

FIRMANA PERMUTATIONIS. Teſtamento, quo deceſſit Nobilis Firmanus Franciſcus Sinigardius hæredes ſcripſit ſorores ſuas Antoniam, & Vincentiam, eaſque invicem ſubſtituit; iis autem defectis, voluit, *che di tutta la ſuddetta ſua eredità ſi formi una Cappellania perpetua mera laicale*, juſsitque, *che la nomina del primo che abbia a godere ſuddetta Cappellania laicale liberamente ſpetti, & appartenga all' ultima delle ſuddette ſue Signore Sorelle, che ſopraviverà*. Superſtes fuit Antonia, quæ virgo decedens hæredes ſcripſit æquis partibus duos Fratres Vincentium, & Philippum Buttios ad quos, & activum, & paſſivum Cappellaniæ hujus Sinigardæ juſpatronatus delatum eſt. Cum autem inter Bona Cappellaniæ domus eſſet, quæ non facile in ea Civitate locabatur, quæ reparanda erat, cum fatiſceret, quæque, cum locabatur, reddebat annua ſc.41., & eſtimata eſt ſc.2458.62. Duo Fratres Buttii Cappellaniæ Patroni, qui Domum paternam longe ampliorem, & pretioſiorem poſſident, ſatius putarunt pro Cappellania ſe facturos, ſi impetrato Beneplacito Apoſtolico domum illam Cappellaniæ venderent, & Prædia, ac bona uberiorem fructum reddentia ſubrogarent. Reperto itaque Emptore preces obtulerunt hac de re *Sacr.Principi Noſtro* a quo data fuit EE.PP.hujuſce poſtulationis cognitio.

Audito Archiepiſcopo permutationem ſubrogationemque, quam Emptor, & duo Fratres offerunt, laudavit, probandamque credidit ab Eminentiſſimis Patribus ob evidentem, & non levem Cappellaniæ utilitatem ſive ſortem ſpectemus, ſive redditum. Emptor enim pretium domus, quæ fatiſcit, & in infrequenti Civitate non facile locatur, auget a ſc.2458., quanti æſtimata fuit ad ſc.2500. Patroni autem tres offerunt ſubrogationes; *Primam*, pro rata pretii domus ſc.775. ſubrogatur Prædium ruſticum æſtimatum ſc.798., ex quo juxta taxam legalem percipiuntur annua ſc.24. *Alteram*, ut pro alia rata pretii domus ſc.625. ematur, aliud prædium, ſolvente interim Emptore domus Cappellaniæ fructus recompenſativos ex diſpoſitione *leg. curabit de Act. Empt.*, qui aſcendunt ad annua ſc.25.: Hæ duæ ſubrogationes, quæ faciunt ſummam ſc.1400., reddent Cappellaniæ annuum fructum uberiorem penſione domus, quæ eſt ſc.41. Fructus autem, qui ex his duabus ſubrogationibus percipientur, erunt annuorum ſc.49. Cum igitur ad integram domus Cappellaniæ æſtimationem, ſeu verius pretium ab Emptore oblatum deficiant ſc. 1100. Fratres Butij ſecum cogitantes Fundatorem inter bona domum reliquiſſe, ne Cappellanus Tecto careret, pro *tertia* ſubrogatione offerunt dimidiam eorum Paternæ domus. Æſtimata fuit hæc Domus Paterna ſc.3019., & commodiſſime dividi poteſt, ut Peritus ait *non già intellettualmente, ma corporalmente, e realmente*.

Apertiſſimam igitur eſſe etiam pro hac tertia ſubrogatione utilitem Cappellaniæ, quæ pro ſc. 1100. acquirit dimidiam partem domus æſtimatam ſc. 1539. 21., & quia hæc dimidia commodiſſime ut diximus, ſeparari poteſt, poterit quoque in acta inſtrumenti aſſignari certa ejus domus pars ne ullo umquam tempore

pore in controversiam revocari queat, quæ sit dimidia portio Domus, ad Cappellaniam, & Cappellanum pertinens. Ex his concludit Archiepiscopus reliquum esse, ut *Eminentissimi Patres benigne annuere dignentur supplici Libello: Permutatio enim hujusmodi Beneplacito Apostolico facienda in magnam vergeret utilitatem supradictæ Cappellaniæ, quæ ex hoc contractu servatis pactis, & conditionibus expressis suos annuos redditus evidenter accresceret*. Res nunc Judicio Eminentissimorum Patrum subjcitur disputantibus Fratribus Butiis permutationibus, & subrogationibus locum esse debere, ubi evidens Ecclesiæ sit utilitas, *Can. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. *Cap. ut super* §. *final. de reb. Eccles. non alienand.*. Quod eo amplius custodiendum sit in Civitate Populo infrequenti, quæ reparationibus eget, quæ facile dislocatur, quæque majorem sumptum præstare solet, quam fructum, ut considerant *Gloss. in d. Can. sine exceptione in fine*, & *Redoan. de reb. Eccles. non alien. Rubr. de Rer. mob. modic. Eccles. alienat. num.* 1., & 2. Ex his, aliisque ab iisdem Patronis in eorum libello allatis definiendum erit Dubium.

An sit locus permutationi in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Archiepiscopi cum solitis clausulis.

CRACOVIEN. MATRIMONI SUPER ALIMENTIS, ET SUMPTIBUS LITIS: Contracto a Nobili Fœmina Barbara Kossovv Matrimonio cum Josepho Misieska, susceptaque Filiola, cum iterum utero gereret, decessit vir, & Barbara ad secundas venit nuptias invita, & reluctans cum Antonio Remer. Sed paullo post initum hoc matrimonium quærelam nullitatis ejusdem proposuit, cum quia vi metuque, tum quia coram Parocho neutrius conjugis proprio contractum fuisset. Victa tamen fuit in Episcopali Audientia Cracoviæ, & in Tribunali Nunciaturæ Apostolicæ. Appellavit igitur ad hoc S. Tribunal, & cum vir bona dotalia possideat, detineatque etiam bona hereditaria Josephi Misieska primi Viri, quæ spectant ad ejus Filios, qui a matre educantur, postulavit ab hoc S. Tribunali, ut Antonius Remer compelleretur ad præstanda alimenta, & sumptus litis. Mandata igitur fuit ab Eminentissimis Patribus Cracoviensi Episcopo Jurisdictio, ut matri, & filiis alimenta taxaret, & sumptus litis ab Antonio præstanda. Respondit Episcopus censere alimentorum, & sumptuum litis subministrationem faciendam esse habita ratione fructuum bonorum uxoris, ejusque filiorum. Decreto autem, quod tulit, damnavit Antonium Remer ad præstandos annuos florenos 1500. a die 30. Aprilis 1757., qua petita fuerunt alimenta, & sumptus litis a Barbara reservato Jure agendi pro fructibus anteriorum annorum perceptis ex bonis propriis filiorum.

Sess. 24. *c.* 1. & 9. *de Ref. Matr.*

Decretum hoc, ne repetitis quidem censuris exequutionem habuit, quibus tamen pressus Antonius venit ad hoc S. Tribunal, & Barbara postulationem suam renovavit pro subministratione alimentorum, & sumptuum litis, quæ respondeat fructibus bono-

rum dotalium, & eorum, quæ ad filios pertinent saltem in summa annua florenorum 4000. Causa nunc proponitur, & disputat Barbara explorati Juris esse uxori inopi, licet Matrimonii nullitatem in Judicio sustineat, alimenta, & sumptus litis a Viro esse præstanda, ut ex *Textu in cap. ex parte. de accusation.* omnes tradunt Interpretes: Præstationem hanc faciendam esse in ea quantitate, quæ fructibus bonorum dotalium respondeat,& quidem a die motæ litis, quæ incæpta anno 1753., non ut Episcopus Cracoviensis decrevit a die petitionis, quia cum fructus dotis spectent ad maritum propter onera matrimonii, consequens est, ut si vir non ferat hæc onera, nequeat fructus suos facere, ut differunt *Bartol. in leg. Divortio n.* 11. *ff. solut. Matrim. Petr. Barbos. in leg. de divisione n.*4. *in fin.*, *&* *n.*11. *ff. eod. tit. Mantic. de Tacit. lib.*12. *tit.*29. *n.*15. *Boss. de dote cap.*20. §.2. *n.*8. *Molin. de Rit. Nupt. lib.*3.*quæst.*42. *n.*39., aliique frequenter.quod locum habet etiamsi vir onera matrimonii non ferat uxoris culpa, ut prosequuntur *Fontanell. de Pact. nuptial. claus.*6. *gloss.*2. *par.*1. *n.*10. *Surd. de Aliment. tit.*1. *quæst.*42. *n.*36. *Boss. de dote d. cap.*20. §.2. *n.*11. *Gratian. discept. for.*244. *n.*18. De fructibus vero, qui ex bonis filiorum percepti sunt, nullam esse posse controversiam,cum hi ad vitricum pertinere non possint. De quantitate vero annua horum fructuum ita differit, bona dotalia esse florenorum triginta millium: bona filiorum esse florenorum nonaginta millium, unde pateat bona dotalia reddere annuos florenos 3. m. bona filiorum reddere quotannis florenos 4500. Satis igitur esse, si Antonius damnetur in dimidia. Hæc Barbara, & filii: ab Antonio nihil habuimus. Dubium.

An, & in qua summa, & a quo tempore debeantur alimenta, et sumptus litis in casu etc.

Affirmativè juxta Votum Episcopi.

Seff. 22. c. 5. de Reform.

MURANA: Obtinuit anno 1631. Sacerdos Carolus Sansone natus in Oppido *Bella* Diœceseos Muranæ a Summo Pontifice Clemente XII. facultatem, ut in eodem Oppido, quod capitibus fere quinque millibus constat, & in quo Medici deficiebant, medicinam faceret, nulla tamen accepta mercede etiam a sponte dantibus, & hæc gratia Principis ab Episcopo, qui tunc Ecclesiæ illi præerat, probatis omnibus, quæ Summo Pontifici expressa fuerant, exequutionem accepit. Carolus hac gratia usus est ad annum usque 1756., quo preces obtulit defuncto Pontifici Benedicto XIV., quibus postulabat, ut ex causa tenuitatis sui Patrimonii, & angustiæ rei familiaris sui Fratris, qui uxorē habebat, ac sororis viduæ, posset mercedem aliquam a sponte dantibus accipere. Gratiam, quam postulavit, accepit, sed invitis duobus ejusdem Oppidi Medicis, quorum unus curavit, ut solus a Communitate conduceretur; frustra tamen, nam omnes tres, qui in eo Oppido erant, fuerunt electi, & ita quoque a Regia Camera Neapolitana decretum fuit. Displicuit hoc duobus Medicis laicis. qui adito Episcopo Murano querelam pro-

proposuerunt sub & obreptionis gratiæ, quam Medicus Sacerdos a Summo Pontifice Benedicto XIV. obtinuerat. Certiores Episcopus hac de re fecit Eminentissimos Patres, qui ita rescripserunt *Episcopo, qui præfigat terminum Sacerdoti Carolo Sansone ad deducendum jura sua in S. Congregatione, et interim eidem inhibeat, ne exerceat artem medicam*. Paruit Sacerdos, sed hoc rescriptum commovit Populum illius Terræ, qui preces obtulit *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus ex præcipua causâ necessitatis numerosi Populi idem Sacerdos Medicus postulabatur, aliæque preces cum Populi, tum ejusdem Sacerdotis nomine Sacro huic Tribunali oblatæ fuerunt.

Causa nunc proponitur, & disputant Sacerdos Carolus, & Cives gratiam, quam indulsit Summus Pontifex Clemens XII. probata prius veritate omnium, quæ in precibus narrata fuerant, exequutam fuisse spatio annorum fere triginta, ut non deceat eam revocare, & inanem facere, ideoque reintegrandum esse eumdem Sacerdotem Carolum ad possessionem juris faciendi medicinam in eodem Oppido juxta eamdem gratiam, sed & reintegrandum esse, ut a sponte dantibus mercedem recipere possit juxta aliam gratiam Summi Pontificis Benedicti XIV., quia non subsistat subreptio, & obreptio ejusdem gratiæ, deceptumque fuisse Episcopum Muranum, qui id retulit, ursitque etiam detrimentum, quod aliis duobus Medicis infertur. Probat enim ex libris censualibus tenuitatem tam sui Patrimonii, quam Fratris, qui uxorem habet, & Sororis viduæ. Cum libris publicis conveniunt testes, quibus ideo credendum sit, non iis, quos dederunt duo Medici laici; nec subreptam dici posse gratiam, quia Summo Pontifici narratum fuerit quatuor esse fratris filios, cum duo sint, nam postulationis tempore quatuor erant, & licet inde duo e vivis excesserint, gratia tamen dici non potest hac ratione subrepta. Neque probari, neque verisimile esse Sacerdotem Carolum mercedem a sponte dantibus accepisse, antequam gratiam hanc impetraret a Summo Ponfitice Benedicto XIV. Longe vero inverisimilius esse eumdem Sacerdotem postulasse mercedem in judicio, ita ut actis ipsis accusatio hæc sit probanda, non testibus, qui nihil probant. Hæc atque alia Sacerdos Carolus, & Incolæ Oppidi. A Medicis laicis nihil habuimus. Dubium est.

An, et quomodo sit locus exequutioni Brevium san. memor. Clementis XII., et Benedicti XIV., quoad exercitium artis medicæ, et perceptionem mercedis a sponte dantibus in casu etc.

Affirmativè.

BRIXIEN. UNIONIS, ET APPLICATIONIS. Nobile Oppidum Salodii, quod in amœnissimi Lacus Benaci Ripa sedet, & multis Urbibus præstat, Templum habet splendidissimum, cui serviunt Archiprebyter, & Sacerdotes decem & octo, qui *Residentes* nuncupantur, & Horas Canonicas in Choro

Sess. 25. c. 4. de Reform.

ro persolvunt. Redditus tamen neque Oppidi, neque Templi nobilitati respondent, nam deductis oneribus præsertim Sacrorum, quibus *Residentes* gravantur, quilibet ipsorum vix annua percipit sc.10. Sunt enim in ea Ecclesia tot sive Cappellaniæ sive Beneficia, quot sunt Residentes, quorum singuli Sacra agere debent suo adscripto Beneficio. Sunt autem Sacra omnia 4333., non numeratis extraordinariis. Decessit Sacerdos Antonius Pezze, qui unus fuerat horum Residentium, quique ut fertur, animum habuit, hæreditate sua augendi redditus nimis tenues Sociorum, & Testamento, quod scripsit, jussit sacra aliquot agi, & præsertim perpetuum, & quotidianum in Sacello Hospitalis. Germanum Fratrem Joannem Petrum Pezze hæredem instituit in usufructu, & ab eo diligenter fieri voluit repertorium sive inventarium universæ hæreditatis. Fratre defuncto hæredem instituit *Animam suam*, & a Residentibus omnia hæreditaria bona vendi jussit, & ex fructibus pretii in Capitalia fructifera investiendi, detracta summa sc.500. pro alia Pia Opera, & quibusdam Legatis, agi voluit a Residentibus in Ecclesia Residentiali Sacra cum stipendio Solidorum triginta pro quolibet, & quatuor Anniversaria.

Venit casus substitutionis *Animæ suæ* defuncto nuper Joanne Petro Pezze, qui hæredem instituit Hospitale Salodii, & inter ejusdem Hospitalis Ministros, & Sacerdotes Residentes, firmato statu hæreditatis Testatoris Antonii Pezze compertum fuit eamdem hæreditatem, deductis debitis, remanere in sc.6454. 85., quæ juxta legem Testamenti sunt investienda. At Residentes animo secum reputantes ingentem Sacrorum numerum, quo & singuli, & universi gravantur, & extraordinaria, & funebria, & sejuncta a Titulis Beneficiorum, censuerunt impossibile prorsus esse, ut voluntas Antonii Pezze ab ipsis posset impleri. Preces igitur obtulerunt *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus postulabant, ut eamdem hæreditatem ejusque fructus uniret, atque applicaret Præbendis Residentium, certo quodam constituto Sacrorum numero, qui inter eosdem Residentes distribueretur. Postulationis hujus cognitio data fuit Sacro huic Tribunali, & auditus de ea Brixiensis Episcopus, vera esse respondit, quæ in precibus narrabantur, censere unionem, & applicationem hæreditatis Pezze Massæ reddituum fieri posse, dum tamen quilibet ex Residentibus æqualiter de ejusdem fructibus participaret, & unum singulis mensibus Sacrum ageret, omnes vero quatuor Anniversaria, neque aliquid de solito Ecclesiæ servitio detraheretur. Postulant itaque nunc Residentes, ut juxta Episcopi sententiam unionis, & applicationis gratiam Eminentissimi Patres indulgeant, cum parum recedatur a voluntate Testatoris, & si aliqua Sacra deficiant ab eo numero, qui haberetur ex fructibus hæreditariis, ea compensari cum oneribus Functionum Choralium. Alia addunt Residentes, ex quibus ab Eminentissimis Patribus definiri poterit Dubium.

An sit locus unioni, et applicationi in casu etc.

Negative.

Die

Die Sabbathi 11. Augusti 1759. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA. Dedimus hanc Causam in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 21. transacti *mensis Julii*, sed Cappellanis Hilarianis *dilationem* postulantibus, Eminentissimi Patres responderunt — *Dilata, & proponatur omnino in sequenti*. Nunc itaque eam proponimus, ut expediatur. *Sess.25. c.4. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis die 23. Septembris 1758. in casu &c.

In decisis, & amplius.

APTEN. Species hujus Causæ habetur in Folio *Congregationis* habitæ *die* 23. *Septembris* transacto *anno* 1758., quod publici juris factum fuit in *Vol.XXVII. Thesaur. Resolut. Sac.Congreg. pag.*73. Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Aptensis *dilationem* ea die postulavit, & Eminentissimi Patres eam concesserunt. Dedimus igitur eamdem Causam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris eodem anno*, & Tribus ejus Dubiis, quorum Primum erat, *An interdictio Cappellæ, seu Oratorii Confraternitatis Pœnitentium, vulgo* Burras *sustineatur in casu &c.* Alterum vero, *An in celebratione Missarum tam solemnium quam privatarum, in expositione Sanctissimi Sacramenti, Benedictionibus, Processionibus, aliisque Functionibus non Parochialibus teneantur Confratres adhibere, & requirere Parochum, sive Sacerdotes secundarios Parochiæ, seu potius functiones prædictas explere valeant per proprios Cappellanos irrequisito Parocho in casu &c.* Tertium denique, *An liceat Confratribus sepulturam sibi eligere in dicta Cappella jure Parochiæ firmo associandi cadavera, & exigendi quartam funeralem in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres — *Ad I. Negativè. Ad II. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam. Ad III. Affirmativè*. Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum judicium, & definiendum est. *Sess.23. c.12. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius in omnibus.

FANEN.

Sess.22. c.8. de ref.

FANEN. JURISDICTIONIS. Proposita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 30. superioris mensis *Junii*, sed definita non fuit, respondentibus Eminentissimis Patribus -- *Iterum proponatur*. Nunc itaque iterum proponitur, ut Eminentissimi Patres, repetita lectione *Folii ejusdem Congregationis*, idem Dubium expediant.

An sustineatur Decretum Episcopi, quo statuitur retinendam esse in Monasterio Sancti Caroli capsam depositi sub tribus clavibus, seu potius Custodia, & Administratio ejusdem Capsæ libere spectet ad Legationem in casu &c.

Affirmativè juxta modum, & modus est, quod capsa custodiatur sine in S. Monte Pietatis, sive apud personam fidem, & facultatibus idoneam arbitrio Episcopi.

Sess.24. c.8. de ref.

JUVENACEN. CANONICATUS THEOLOGALIS: Præbendam Theologalem in Cathedrali Ecclesia Juvenacensi obtinuit a Sancta Sede die 6. Martii anno 1751. Sacerdos Nuncius Leoni, qui cum Theologiæ Magister non esset, solitam accipere debuit conditionem in Literis Apostolicis, ut intra annum susciperet Magisterium, *alioquin primodictus Canonicatus, & Præbenda vacent eo ipso*. Huic legi spatio septem, & ultra annorum non paruit, immo monitus licet pluries, atque etiam multatus ab Episcopo, ne solemnes quidem habuit recitationes, & explicationes Sacrorum Librorum, quas vocant *Lectiones*. Promotor igitur Curiæ Episcopalis rupta patientia eum in jus vocavit, & ab Episcopali audientia lata fuit sententia, qua ex utroque capite vacare Canonicatum, & Præbendam pronunciatum fuit; Certior de hac vacatione factus Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius injunxit Episcopo, ut Concursum indiceret, & inter Concurrentes magis idoneus renunciatus fuit Sacerdos Joseph Abbatangelus ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, cui a *Sacratissimo Principe Nostro* Canonicatus, & Præbenda Theologalis collata fuit. At Sacerdos Nuncius Leoni postulavit iterum, ut eadem Præbenda & Canonicatus sibi conferretur, & Gratiam *signari* obtinuit, sed antequam *dataretur*, restitit Canonicus Abbatangelus, & Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius rem detulit ad hoc Sacrum Tribunal, ut cognosceretur, an *supplicatio* Leonis esset *relaxanda*.

Causa nunc proponitur, & disputat Canonicus Abbatangelus *negativè* respondendum esse, quia, licet Sacerdos Nuncius narraverit Theologiæ Magisterium non suscepisse, tacuerit tamen contumaciam suam, qua monitus licet ab anno 1751. ad annum 1758., ut illud susciperet, numquam tamen conditionem in Literis Apostolicis adjectam implevit, quæ contumacia, aut Summum Pontificem retraxisset a Gratia, aut difficiliorem reddidisset in ea signanda, ne sua lex in Literis scripta

ludibrio haberetur, ut de Parocho privato, ob Sacerdotium intra annum non susceptum statuit *Textus in cap. commissa de election. in 6.* Rursus, quia tacuerit spatio septem, & ultra annorum numquam Sacros Libros explicasse, & pendere ob hoc crimen Judicium privationis in Episcopali Audientia; qua de re si Summus Pontifex certior redditus fuisset, Gratiam denegasset, quia Beneficia Ecclesiastica conferri nequeunt accusatis accusationis judicio pendente, ut vulgò tradunt *Navarr. cons.7. lib.5. num.3. tit. de accusation. Corasius de Benefic. cap.9. num.9. & 10. Ugolin. de offic. Episcop. cap.1. §.1. num.8. Selva de Benefic. par.3. quæst.5. num.31. Garzia eod. tractat. par.7. cap.8. num.6. & Murga de Benefic. quæst.3. num.742.* Eamdemque Gratiæ subreptionem manifestam fieri, quia ipse tacuerit litem in Episcopali Curia pendere, cum juris sit non ambigui subreptitiam fieri Gratiam non expressa litis pendentia, *Lotter. de re Benef. lib.3. cap.9. num.33. Rocca disput. jur. cap.62. n.47.* aliique frequenter.

Subreptioni addendam esse obreptionem, quia cum in literis Apostolicis adesset decretum *vacationis eo ipso* Sacerdos Nuncius conditione non impleta fructus suos facere non potuit, ut uno ore tradunt *Covarruv. in lib.4. Decretal. par.2. cap.6. §. 8. n.10. & seqq. Amayden. de styl. Datar. cap.7. num.45. Gonzalez ad reg.8. Cancellar. glos.56. num.43.*, ideoque narrare tenebatur veram fructuum, quos perceperat, quantitatem, quod a Nuncio factum non fuit, cum dixerit *fructus non ultra summam 52. ducatorum percepisse*, cum tamen probetur eum percepisse ultra ducatos 264. auri de Camera, & ideo dubitandum non sit gratiam obreptitiam esse dicendam *ob malam fructuum expressionem*, ut explicant *Sarnens. ad regul. de triennal. quæst.24. n.9. & Amayden. dicto cap.7. num.46.* Rem denique confici ex sententia privationis Canonicatus ex utroque capite non suscepti magisterii, & omissæ per septennium explicationis Sacrorum Librorum, unde est, ut Sacerdos Nuncius indignus sit nova Canonicatus provisione, cum rejectus ab officio, vel Beneficio causa criminis in eo admissi, nequeat idem Beneficium, vel officium iterum consequi, ut ex *Textu in cap. super eo de election. ubi Abbas n.3. & Barbos. num.2.* tradunt *Pyringh. lib.1. Jur. Canon. tit.6. num.108. Mirand. in Manual. tom.2. quæst.23. artic.11. conclus.5. Passerin. de election. cap.25. num.634.*, quod locum habet, etiamsi crimen sublatum, & emendatum fuerit, ut explicant *Pyringh. dict. tit.6. n.109. & Reinfestuel. ad lib.1. decretal. tit.6. num.229. & seqq.* Hæc Promotor Fiscalis, & Canonicus Abbatangelus. A Sacerdote Nuncio Leone nihil habuimus. Dubium est.

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Negativè.

Sess. 23. c. 8. & Sess. 24. cap. 6.

AMERINA, SEU INTERAMNEN. ORDINATIONIS. Cappellaniam retinuit in Terra Sublaci Diœceseos Interamnatis Joseph de Carolis Amerinus, & Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, cujus Pater, & Frater licet honesto loco nati, ob furta ad triremes damnati fuerunt a Sacra Consulta. Hinc cum Joseph ad Sacros Ordines, ipsumque Sacerdotium promoveri postulaverit, injecta dubitatio est, an *ex infamia* contraxerit irregularitatem, quæ eum ab Ordinibus suscipiendis repellat sine Apostolica dispensatione. Ad rem definiendam preces ipse obtulit Sacro huic Tribunali. Auditus Episcopus Amerinus censuit nullam contraxisse irregularitatem, audiendum tamen esse credidit Episcopum Interamnatem, cui Joseph subjectus est ratione Beneficii. Auditus igitur Interamnas Episcopus hic quoque censuit nullam ab eo contractam fuisse irregularitatem, & se paratum dixit ad ei conferendos Ordines Sacros. Causa nunc proponitur, ut non hæc tantum dubitatio solvatur, sed & aliæ, quas suo loco dicemus. Disputat igitur Joseph nulla irregularitate teneri cum Paterni Fraternique criminis particeps non fuerit: Crimina, & quæ a crimine venit, infamiam, personarum esse, non filiorum, fratrum, consanguineorum, ut quidquid vulgus imperitum opinetur, respondit Jureconsultus *in leg. crimen. ff de Pœnis*, & Leo IV. *in can.* 5. *Caus.* 1. *quæst.* 4. & Divi *Chrisostomus*, *& Augustinus*, quos omnes uno consensu sequuntur *Majolus*, *Suarez*, *Bonacina*, *Sayrus*, & qui non alii?

Sublata irregularitate quæritur, an Joseph ab Amerino Episcopo ratione originis, vel ab Interamnati ratione Beneficii Ordines recipere debeat. Annui redditus Cappellaniæ in scut. 38. satis sunt ad congruam sive in una, sive in alia Diœcesi. Hinc licet in facultate Josephi sit eligere, quem maluerit ex duobus Episcopis, ut respondit hoc Sacrum Tribunal *in Pisana*, *seu Clusina Ordinationis* 4. *Maii* 1732., congruere tamen rationi disputat Joseph, ut ab Interamnati Sacros Ordines recipiat, cui subicitur ratione Beneficii tam ex dispositione juris *in cap. Nullus de Tempor. Ordinat.*, quam ex dispositione cognitissimæ Innocentianæ Constitutionis, cujus initium est *Speculatores*, ad cujus normam non recusat Amerinus testimoniales literas tradere, cum igitur Episcopus Loci in quo Ordinandus domicilium habet, præferri debeat teste *Barbosa de offic. & potestat. Episc. part.* 2. *alleg.* 4. *num.* 53. decere, ut ab Interamnati Sacri Ordines ei conferantur, ut paratus est eos conferre. Dubitationem aliam movit Episcopus Interamnas, an onera Sacrorum, quæ insunt Cappellaniæ detrahenda sint pro constituenda congrua. Negat *Monacell. tom.* 1. *Formul. in adnotat. ad Bullam Speculatores num.* 1. *&* 2. sed hoc Sacrum Tribunal in *Ariminen.* 17. *Julii* 1723. quam refert *Rigant. ad Reg. Cancell. tom.* 3. §. 5. *num.* 127., respondit -- *Esse relinquendum arbitrio*, *& conscientiæ Ordinariorum*. Hoc arbitrio uti posse concludit Episcopus Interamnas, ideoque respondendum est Dubio.

An

An Clericus Joseph de Carolis promoveri possit ad Sacros Ordines per Episcopum Interamnen., sive potius eidem obstet aliqua irregularitas, itaut indigeat dispensatione in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam.

FIRMANA ELECTIONIS. Duarum hæreditatum redditus, quarum altera nuncupatur *Masina*, altera *Paparella* administrat Communitas Montis Sancti ea lege eos erogandi in subsidia dotalia pauperibus Puellis distribuenda. Distributio fit electione Conciliari, & servatis Legibus præfinitis a Visitatore Apostolico anno 1720. Cum adversus eas Leges peccatum fuisset in distributione anni 1756., plures Puellæ adito Provinciæ Præside rescriptum impetrarunt, ut nova fieret electio, exclusis Puellis, quibus deerant eæ conditiones, quas voluerant Testatores. Displicuit hoc rescriptum Decurionibus quibusdam, & adiverunt Signaturæ Tribunal, a quo hujusce rei notio data fuit Eminentissimis Patribus. Literæ igitur ad Archiepiscopum Firmanum datæ fuerunt, ut rescriptum Præsidis Provinciæ exequeretur *prout juris esset*. Archiepiscopus, quæ agenda erant, explicavit Epistola data ad Vicarium suum Foraneum. Duo sunt in eo Oppido Concilia alterum, quod nuncupatur *di Credenza*; alterum publicum: Lege Municipali cautum est, ut negocia quæcumque ad primum deferantur Concilium, priusquam in publico proponantur. Quidam igitur Decuriones, qui in primo Concilio sunt, sese ab eo abstinuerunt, ne legitimus numerus haberetur. Opus itaque fuit, ut potestas fieret a Præside Provinciæ congregandi utrumque Concilium, etiamsi legitimus numerus non haberetur. Proposita igitur in Concilio *di Credenza* habito *die* 29. *Octobris anno* 1757. exequutione rescriptorum Silvester Scoccia protestationem emisit, & discessit cum aliis e Concilio, sed a reliquis Decurionibus prosequuto negocio censuerunt rem deferendam esse ad Concilium publicum. *Sess.22. c.8. de ref.*

Coacto sequenti die 30. Octobris Publico Concilio repetita fuit eadem propositio, & ab omnibus approbata. Hinc de singulis Puellis, quæ subsidia Dotalia postulabant, lata fuerunt suffragia, conjectisque in urnam Schedulis inscriptis nomine earum Puellarum, quæ approbatæ fuerant tam in eodem Concilio, quam in alio anni 1756. facta fuit sortitio, primo decem, & octo Puellarum pro subsidiis dotalibus hæreditatis Masinæ, inde trium, & decem Puellarum pro subsidiis dotalibus hæreditatis Paparellæ. Omnia, quæ acta gestaque fuerunt, approbavit Præses Provinciæ, & exequi jussit. At Silvester Scoccia querelam nullitatis ejusdem publici Concilii detulit ad Tribunal A. C. Signatura tamen cognitionem rei dedit Eminentissi-

mis Patribus. Recusavit Communitas Litem agere: Puellæ vero preces obtulerunt *Sacratissimo Principi nostro* postulantes præstationem subsidiorum dotalium. Auditus fuit Archiepiscopus, qui epistolam clausit his verbis *hasce injustas lites ac præjudiciales procrastinationes auctoritate hujus Sacræ Congregationis compescendas* esse. Deerant tamen Puellis pecuniæ, quibus Litem contra Silvestrum Scocciam agerent, & Concilii validitatem defenderent. Inventus est Horatius Mazzagalli, qui earum tutelam sua pecunia suscepit. Causa nunc proponitur, & Concilii illius validitatem Horatius defendit. Causæ nodus est, quod Lex municipalis despecta fuerit cum electio Puellarum facta non fuerit in Concilio *di Credenza*, sed in Concilio publico. Respondit Horatius factum id quidem aliquando, ut eligerentur in Concilio illo particulari, inde ad publicum deferretur electio, sed cum alias aliter factum fuerit, constitutam dici non posse consuetudinem; alia quoque addit. A Silvestro Scoccia nihil habuimus. Dubium est.

An sustineatur electio Puellarum pro distribuendis subsidiis dotalibus facta in Concilio die 30. Octobris 1757. seu potius sit procedendum ad novam electionem in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam, & amplius.

Sess. 14. c. 9. & 10. de ref.

CASERTANA CAPPELLÆ, SEU BENEFICII: A Riccardo II. Capuę Principe donata fuit anno 1121. Monasterio S. Laurentii de Aversa Ordinis Cassinensis Ecclesia S. Mariæ *de Cappella*, seu *de Vallefredda* sita in Territorio Oppidi *Madaloni* cum omnibus ejus Juribus, & Bonis. Hanc Ecclesiam sive Cappellam de Mensa ejusdem Monasterii enunciavit anno 1202. Innocentius III. Pontifex Maximus in Bulla Privilegii eidem Monasterio concessi. Abbates Monasterii eam visitarunt, contuleruntque Sacerdotibus Beneficiariis, qui Jusjurandum obedientiæ, & subjectionis Abbatibus, & Monasterio præstiterunt, solveruntque annuum censum *quinque Carolenorum de Argento*. Jus collationis hujus Ecclesiæ erga finem decimi sexti a Christo nato sæculi sibi asserebat Casertanus Episcopus. Acta igitur inter eum & Abbatem, Provisosque ab utroque diuturna lite in Tribunali Rotæ Romanæ victus fuit Episcopus, & re judicata definitum collationem spectare ad Abbates. Horum possessio turbata non fuit ad annum usque 1736., quo Sacerdos Xaverio Maria Mazzei, cui ab Abbate collata pridem fuerat eadem Cappella, clam Abbate eam in Dataria Apostolica resignavit favore Sacerdotis Dominici Nisii: Id ubi rescivit Abbas, executioni Literarum Apostolicarum sese opposuit, diuque inter Abbatem, & utrosque, resignantem nempe, & resignatarium decertatum fuit in Judicio, emissis ab Abba-

Abbate, & Monasterio pluribus adversus eamdem resignationem protestationibus. Possessionem tamen Cappellæ nactus Nisius paullo postea decessit, & Abbas anno 1742. Beneficium contulit Sacerdoti Hieronymo Pace, qui possessionem nactus in ea stetit quoad vixit, obiit autem anno 1756.

At eodem anno 1742. Sacerdos Januarius Cominellius idem Beneficium tamquam de reservato habuit a Sede Apostolica: Collatio tamen nullum habuit effectum. Defuncto vero Hieronymo Pace Cominellius adiit Summum Pontificem, obtinuitque rem omnem ad hujus Sacri Tribunalis Judicium deferri. Causa nunc proponitur, & disputat Monasterium ambigi non posse Cappellam sive Beneficium hoc esse de libera collatione Abbatum, neque esse subjectum reservationibus Apostolicis, quia sit de mensa Monasterii, eique subjective unitum, ideoque liberum sit, utpote regulare, a collatione sive Episcopi, sive Datariæ Apostolicæ, ut in *Clement.* 1. *de neglig. Præfet.* Esse vero de mensa Monasterii probari ex donatione Riccardi Capuæ Principis, & ex Bulla Innocentii III., quorum monumentorum veritas comprobata fuit Rotæ Judicio. Accedere rem judicatam ab eadem Rota, quæ licet lata fuerit contra Episcopum, afficiat etiam Datariam Apostolicam, cum lata fuerit in causa juris, & status. Idem probari ex perpetuis collationibus ejusdem Beneficii factis a Monasterio, & Abbatibus ab anno saltem 1541. ad annum usque 1742., ex formula literarum collationis, quæ investituram præseferunt, ex Sacramento obedientiæ, ex solutione census, ex observantia denique negativa, cum tot sæculorum fuga neque una monstretur collatio facta a Dataria. In his rerum circumstantiis non esse locum reservationi mensium, cum constet collationem non pertinere ad Episcopum, vel Datariam. Resignationem non esse spectandam, quia fuerit clancularia, quia adversus eam protestationes emissæ fuerint, quia non mutet statum Beneficii, cum sit *resignatio favore*. Literas denique Apostolicas Cominellii non esse exequendas, cum sub, & obreptitiæ sint, quia falsum de statu Beneficii, & de sola præsentatione a Monasterio facienda expressum fuerit, & verum reticitum. Hæc summa est non brevis libelli dati a Monasterio: a Cominellio nihil habuimus. Dubium est.

An simplex Beneficium S. Mariæ de Vallefredda pertineat ad Collationem, seu Provisionem Abbatis Monasterii de Aversa Congregationis Cassinensis, seu potius sit subjectum Reservationibus Apostolicis, itaut literæ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.

Dilata, & audiantur Ministri Datariæ.

Die

Die Sabbathi 1. Sept. 1759. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Seß.25.c.8. de Ref.

CRACOVIEN. PIORUM OPERUM INADIMPLEMENTI: Dedimus hanc Causam in *Folio Congregationis* habitæ *die* 21. transacti *mensis Julii.* Duo erant ejus Capita I. *An sententia Curiæ Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c.* II. *An constet de Attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.* His respondit S. Tribunal: *Ad I. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam, & ad mentem, & mens est, ut scribatur Episcopo Cracoviensi, ut auctoritate sua ordinaria obnixus incumbat pro implemento operum piorum, & certioret S. Congregationem. Ad II. Affirmativè per viam nullitatis.* Redit nunc Parochus ad novum EE. PP. Judicium, & cognoscendum erit. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas etiam unica.

Seß.24.c.13. de Ref.

BAREN. CONGRUÆ, ET EXPENSARUM: Definitum fuit ab hoc S. Tribunali in *Congregationibus* habitis *die* 26. *Augusti* 1756. & 3. *Dec.* 1757. Curam habitualem Terræ Nojæ esse apud Capitulum, actualem vero apud Archipresbyterum. Postulat itaque nunc Archipresbyter, & assignationem congruæ, & restitutionem impensarum ejusdem litis; & Causa duobus collecta Capitibus definienda proponitur EE. PP. Disputat Archipresbyter, explorati juris esse, congruam esse præstandam exercenti curam actualem ex iis, quæ tradita sunt a *Card. de Luc. de Paroch. disc.* 20. *n.* 3. *Piton. discept. Eccles.* 46. *n.* 1. Quantitatem vero ejusdem non esse statuendam in duplici portione, ea quam habent Canonici, sed in summa Conciliari, ut *die* 30. *transacti mensis Junii* definitum fuit ab hoc S. Tribunali

bunali in alia Caufa *Baren. Penfionis ad Dub. II. & III.* neve excipiatur a Capitulo ipfum eam fummam percipere ex Curæ redditibus, eadem repetit, quæ contra Saracenum propofuit in eadem Caufa *Baren. Penfionis*. De impenfis vero ita differit, non effe deducendas ex MaffaCapitulari, fed præftandas effe a Canonicis, qui litem agere voluerunt, nulla Ecclefiæ utilitate. Hæc fumma eft libelli dati ab Archipresbytero. A Capitulo nihil habuimus. Dubia funt.

I. *An Refidente Cura habituali penes Capitulum Terræ Nojæ Archipresbytero, apud quem exiftit Cura actualis debeatur congrua, in qua fumma, & ex quibus redditibus, feu potius portio duplicata in cafu &c.*

II. *An expenfæ in toto decurfu Caufæ tam factæ, quam faciendæ fint defumendæ a Maffa Capitulari, feu potius erogandæ a Canonicis particularibus in cafu &c.*

Dilata ad primam poft aquas etiam unica.

USSELLEN. SEQUESTRI: Duas Parochiales, & dudum unitas Ecclefias alteram Villæ *Vras*, alteram Villæ *Gonosfanadiga* anno 1754. auctoritate fua divifit, feparavitque Uffellenfis Epifcopus, primamque contulit Sacerdoti Priamo Manca refervata annua penfione fc. 100. pro alio Sacerdote. Nacta igitur a Priamo poffeffione, fidei quoque Profeffionem emifit coram Epifcopo. Sed paulo poftea certior factus non potuiffe Epifcopum Parochialia beneficia disjungere, & feparare, adiit Summum Pontificem, obtinuitque literas novæ Collationis, iterumque Parochiæ poffeffionem accepit, non tamen iterum coram Epifcopo Fidei Profeffionem emifit, decurfoque jam legitimo tempore, cum accepiffet tutam certamque non effe eam moraliftarum fententiam, quæ docet opus non effe iteratione Profeffionis Fidei, adita primum Sac. Pœnitentiaria abfolutionem obtinuit in foro confcientiæ, inde poftulavit ab Epifcopo, ut admitteretur ad iteratam Fidei Profeffionem, fed repulfam ab eo paffus, preces obtulit EE. Patribus, quibus idem poftulabat, utque fuos facere poffet fructus, quos perceperat bona fide. His precibus refcriptum fuit *die 2. Decembris* tranfacto *anno* 1758. *Scribatur Epi-* *Sef. 24. c. 12. de Ref.*

Episcopo, & Metropolitano pro Informatione, & Voto. Respondit Metropolita dignum esse Priamum indulgentia hujus Sacri Tribunalis, ut fructus suos facere posset ob fidem bonam, in qua fuit putans Fidei Professionem non esse iterandam.

Contra Episcopus Ussellensis sequestrationem apposuit super omnibus Parochiæ fructibus eosque distrahere decrevit. De hac igitur sequestratione nunc agitur:& disputat Priamus revocandam eam esse EE.Patrum Imperio, quia nondum in Tribunalibus rejecta fuerit *Azorii, Sanchez*, aliorumque sententia, negans teneri Beneficiatum ad novam Fidei Professionem emittendam, & quidquid alii censuerint, nullam esse legem, quæ jam jubeat. Satis impletam fuisse mentem Tridentini, dum semel emissa fuit, aliud esse collationem Parochiæ factam ab Episcopo nullam fuisse, & aliud esse Professionem esse reiterandam si nulla fuerit prima collatio. Sed etsi rejecta esset, & reprobata *Azorii, & Sanchez* opinio, non ideo tamen damnari Priamum posse,ut fructus amittat,cum a restitutione fructuum excuset bona fides, in qua erat putans necesse non esse, ut novam emitteret Fidei Professionem: eoque amplius,quod simul ac accepit reiterandam esse postulavit a S. Pœnitentiaria absolutionem, & ab Episcopo, ut ad iteratam Fidei Professionem admitteretur, quod ab eo denegari non poterat, ut tradit *Corrad. in Prax. Benef. lib.*2. *cap.*16. *n.*39. Unde ex his pateat omnem abfuisse contumaciam, & ideo puniri non debeat amissione fructuum: Hæc Priamus. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus revocationi sequestri per Reverendissimum Episcopum Ussellen. appositi super fructibus Rectoriæ Villæ de Vras possessæ a Rev. Priamo Manca in casu &c.

Affirmativè, & ampliùs.

Sess. 7. c. 7. de Ref. URBINATEN. SUPPRESSIONIS CONFRATERNITATIS. Visum est Archiepiscopo Urbinati anno 1741. curam animarum Parochiæ S. Luciæ, quæ erat in Ecclesia Monialium ejusdem nominis transferre in Ecclesiam Sodalitii Spiritus Sancti, quæ erat in conspectu ejusdem

dem Ecclesiæ S. Luciæ. Pacta igitur hujus translationis conventa fuerunt inter Sodales, & Archipresbyterum, seu Parochum, quorum primum fuit, ut usum dumtaxat Ecclesiæ Sodalium haberet Archipresbyter, numquam vero dominium, quod semper, & perpetuis temporibus Sodalium esset; alio quoque pacto conventum fuit, ut Archipresbyter uti posset pro exercitio curæ animarum Cappellano Sodalium. Translata cura rebusque omnibus compositis, cum inde decessisset, qui tunc Parochiæ illi præerat Archipresbyter, alius suffectus fuit Jo:Baptista Matthejus. Hic transfacto anno preces obtulit *Sacratissimo Principi Nostro*, quibus narravit translationem curæ, & factas fuisse conventiones inter Parochum, & Sodales, sed quia præter controversias obortas cura animarum detrimentum patiebatur ob distantiam suæ domus ab Ecclesia, prope quam habitabat Cappellanus, Sodalitii, & Sodales numquam congregabantur in Ecclesia ad formam antiqui eorum statuti, postulavit ut supprimeretur Sodalitium, ejusque bona cum omnibus oneribus unirentur Parochiæ, quæ congruam non præstabat conciliarem, qua ei præsertim opus erat, quia cum cura extra Civitatem porrigeretur, necesse omnino erat Cappellanum retinere.

De his precibus auditus fuit ab Optimo Principe meritissimus Præsul S. Congregationis Episcoporum, & Regularium negociis, & consultationibus præpositæ a secretis, & post ejus relationem datæ fuerunt Literæ in forma Brevis ad Archiepiscopum Urbinaten., quibus veris existentibus narratis ejus arbitrio, & conscientiæ mandabatur Sodalitii suppressio, & unio perpetua ejus Bonorum Parochiali S. Luciæ. Acceptis literis Archiepiscopus Processum, Sodalitio tamen non citato, instruxit de narratis ab Archipresbytero, & cum ex eo compertum habuisset narrata esse vera, decretum tulit suppressionis Sodalitii, & unionis ejus Bonorum Parochiæ, immisitque in possessionem eumdem Archipresbyterum. Appellarunt Sodales coram honestis viris, atque inde circumscriptionem postularunt a R.P.D. Auditore Sacratissimi Principis. Hic rei hujus notionem dedit EE. Patribus, a quibus nunc, audito jam Archiepiscopo, Causa est definienda disputantibus Sodalibus Decretum Archiepiscopi sustineri non posse, quia, nullum fuerit, & injustum. Nullitas educitur ex defectu citationis Sodalium, quæ necessaria erat non solum, quia per clausulam *veris existentibus narratis*

Archiepiſcopus non merus, ſed mixtus Exequutor datus fuerat, ſed etiam ex natura actus ſuppreſſionis Sodalitii, & unionis Bonorum ejuſdem qui actus citationem requirit Poſſeſſoris ne tollatur defenſio, quæ juris eſt naturalis.

Injuſtitiam decreti probant Sodales, quod exequutioni mandaverit Gratiam vitio ſubreptionis, & obreptionis infectam. Subreptionem arguunt, quia Archipresbyter tacuerit pactum conventum, ut Eccleſiæ dominium penes Sodales perpetuo eſſet, quod etiam tacuerit unum eſſe in illa Civitate Sodalitium, quod ſtipem quærit pro his, qui in carceribus detinentur: debuiſſe hæc diſtincte narrari Summo Pontifici, neque ſatis eſſe genericas narrationes. Obreptionem deducunt, quia non ſint veræ controverſiæ quas inter Parochum, & Sodales obortas fuiſſe Archipresbyter narravit, cum contra Parocho obſequentes etiam plus nimio, fuerint Sodales; quia non ex diſtantia domus, quam Parochus incolit, detrimentum capiat cura animarum, ſed ex ejus negligentia, qui ſemper abeſt a Parochia; poſſe ipſum immo debere domum Eccleſiæ vicinam conducere. Qui ſine Sacramenta Extremæ Unctionis deceſſiſſe dicuntur, non ex diſtantiæ cauſa ita deceſſerunt, ſed quia mors eos continuo occupavit. Potuiſſe Parochum uti Cappellano Sodalitii, ut pacto conventum fuerat; ideoque non diſtantiam, ſed negligentiam Parochì culpandam eſſe. Falſum quoque ab eo expreſſum fuiſſe Sodales non congregari cum contrarium probetur. Falſum denique quod narravit de tenuitate reddituum ſuæ Parochialis Eccleſiæ cum pinguiores ſint aliis ejuſdem Civitatis Parochiis, etiam iis quæ extra Urbis mænia porriguntur, & licet ipſe congruam Conciliarem non habeat, ſatis tamen ſint redditus, quos habet, cum neminem lateat congruæ quantitatem a moribus Civitatum, & Regionum pendere.

Ex his concludunt Sodales, locum eſſe reintegrationi Sodalitii, neque ullam habendam eſſe rationem eorum, quæ ſunt ſcripta ab Archiepiſcopo, cum a veritate recedant. Breviarium hoc eſt libelli dati a Sodalibus. Contra vero diſputat Archipresbyter decere Sodales Imperio Principis obtemperare: neque nullum, neque injuſtum fuiſſe Decretum Archiepiſcopi, qui merus erat non mixtus exequutor, cum clauſula *veris exiſtentibus narratis* non faciat Exequutorem mixtum, ſi aliæ deſint, quæ talem reddant Exequutorem. Hic contra adjectas fuiſſe eas, quæ me-

merum efficiunt, quales illæ sunt, quæ conscientiam onerant Archiepiscopi, quæ ejus arbitrio tribuebant, an Sodalitium supprimendum esset. Non igitur debuisse Sodales, qui non sibi possidebant, citari, neque admitti debuisse eorum appellationem. Subreptionem non argui ex silentio pacti conventi, ut Ecclesia semper esset in dominio Sodalium, quia id scivit Summus Pontifex, cum in narratione translationis Parochiæ expressum fuerit usum Ecclesiæ Parocho concessum fuisse. Silentium pii operis quærendi stipem pro iis, qui in carceres conjecti sunt, subreptionem non facere, quia hoc opus non veniat ex Instituto Sodalitii. Pium hoc opus in utilitatem potius Sodalium ab ipsis traductum fuisse, quam eorum qui in carceribus sunt. Satis denique esse si unio cum omnibus oneribus Sodalitii petita fuerit, ut sartum tectum idem opus pium servatum sit, quod melius exequitur ab Archipresbytero, quam a Sodalibus, qui poterant illud intermittere. Unione vero factum fuit perpetuum, & necessarium.

Obreptionis nullas esse rationes: Controversias inter Sodales, & Parochum obortas probari, & si non probarentur, nihil esse, cum non fuerint, & postulationis, & gratiæ fundamentum, ut satis explicat particula *præter*. Distantiam habitationis Parochi ab Ecclesia, cum facti sit, negari non posse. Satis igitur esse veram fuisse hanc facti narrationem, etiamsi qui sine Sacramento Extremæ Unctionis decesserunt, alia, quam distantiæ ratione ita decesserint, & tamen liquido probari distantiam in causa fuisse ut ita decederent. Verum quoque esse factum Summo Pontifici narratum, incoli domum, quæ prope Ecclesiam est a Cappellano Sodalitii. Pactum non obesse Parocho, quia data quidem ei fuit ex pacto facultas utendi Cappellano, sed si idoneus sit, qualis ille non erat. Non congregari in Oratorio Sodales juxta antiqua eorum statuta verissimum esse, cum quæ nunc officia recitant brevissimo anni tempore ex recenti usu fiant. Falsum non esse carere Archipresbyterum congrua Conciliari, neque ad rem pertinere aliorum Parochorum exempla, quia non sint veri Parochi, sed Vicarii, a quibus sumi nequit mos, & consuetudo Civitatis pro congrua vero Parochi statuenda. Ad extremum satis esse ad omnem sive subreptionem, sive obreptionem avertendam, quod Snmmus Pontifex de omnibus certior redditus fuerit a suo Mini-

ſtro. Vera eſſe, quæ in Epiſtola ſcripſit Archiepiſcopus, nec de falſo convinci. Hæc eſt ſumma libelli dati ab Archipresbytero. Judicium nunc erit Eminentiſſimorum Patrum de Dubio.

An ſuppreſſio, & unio ſuſtineatur, ſeu potius ſit locus reintegrationi Societatis in caſu &c.

Negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam, & ampliùs.

Seſſ.24.c.1. de Ref. Mat. NEAPOLITANA MATRIMONII. Poſt aliquot annorum conſuetudinem inter Franciſcum Pinellium Tocci Ducem, & Antoniam de Notariis, ægre ferente hanc conſuetudinem Cæſare Pinellio Ducis Filio, ipſoque Magiſtratu ſæculari Civitatis, decreverunt ipſi ſeſe Matrimonio ſecreto conjungere. Opem petierunt a Sacerdote, qui ad alium Sacerdotem confugit. Hic cum haberet Breve S. Pœnitentiariæ pro contrahendo ſecreto Matrimonio, illud tradidit, ut Dux, & Antonia eo uterentur. Hoc Brevi adierunt Sacerdotem Joſephum Speranza Parochum Eccleſiæ S. Mariæ *della Incoronatella*, qui neutrius erat proprius, & coram eo, quem deceperunt dicentes Antoniam ejus eſſe Parochianam, matrimonium contraxerunt *die* 13. *Decembris anno* 1756., voluitque Dux, ut Parochus ille teſtimoniales literas Matrimonii prælata die ſignaret ad vitandas Magiſtratus moleſtias: ſcripta igitur fuit *dies* 1. *Aprilis eodem anno*. Parochus deceptionem indè novit, & dicit laceraſſe Breve, quod directum erat *proprio Latorum Parocho*, neque voluit matrimonium in libro deſcribere. Re comperta a Cæſare Pinellio adiit Curiam Archiepiſcopalem, & ſeparari eos poſtulavit, nullumque declarari matrimonium, uti contractum coram Parocho neutrius proprio. Mulier in Monaſterium conjecta fuit, & ſuſcepta eſt cognitio validitatis matrimonii ſervata forma cognitiſſimæ Conſtitutionis Benedictinæ.

Formiter repetitis Teſtibus, Duce, Muliere, & Parocho, ut verificaretur, cui nam Breve Pœnitentiariæ eſſet directum, an *proprio Latorum Parocho*, an etiam *cuicumque Confeſſario ex approbatis*, & quo modo, quave forma contractum fuiſſe, nihil certi erui potuit, cum tot ſint variationes, & contradictiones, ut rem plane dubiam reddant, & ambiguam, neque aliud educi poſſit, quam

quam quod supra narravimus? Aliam viam tentandam Judex censuit, curavitque e domo Parochi illius educi probationes. Repertus est liber matrimoniorum secretò contractorum, in eoque plura inserta erant Brevia Sacræ Pœnitentiariæ data etiam tempore proximo matrimonio directa *proprio Latorum Parocho* simul & *Confessario ex approbatis*. Rem tandem ita expedivit sententia sua Judex, ut pronunciaverit *non constare de nullitate* matrimonii, & quod *ad validitatem* attinet coadjuvari voluit probationes exhibitione Brevis facienda a Parocho firma interim manente separatione Conjugum. Appellavit Antonia ad hoc Sacrum Tribunal, & Causa nunc proponitur, disputantque Dux, & Antonia respondendum esse pro validitate, quia, licet contractum fuerit coram Parocho neutrius proprio, incertum tamen sit, an proprium Parochum voluerit Magnus Pœnitentiarius, cujus facultates sunt, ut *cuicumque Confessario ex approbatis* potestatem facere possit, & fecisse hoc casu dicendus sit, alias Parochus ille sciens neutrius esse proprium, præsentiam non præstitisset.

Eoque amplius, quod literas dedit testimoniales contracti matrimonii, quodque alter Testis Sacerdos dicat ultra verba *Proprio Latorum Parocho* alia adjecta fuisse verba, quæ exciderunt ab ejus memoria, quæque alia esse non potuerint, quam *sive cuicumque Confessario ex approbatis*, præsertim, cum plura alia in libro reperta sint Brevia ita inscripta, & fortasse unum ex illis fuerit, quod a con, trahentibus exhibitum fuit Parocho S. Mariæ *della Incoronatella*. Nullam vero huic habendam esse fidem in iis, quæ dixit, cum ejus fides elevetur ab iis, quæ gessit - quæ dicta sunt ab aliis Testibus. Hinc recte pronunciatum fuisse a Curia Archiepiscopali *non constare de nullitate* matrimonii, cum in hac incertitudine pro matrimonii validitate sentiendum sit. Illud vero male, quod de matrimonii *validitate* non liquere dixerit, cum si nullum non fuit, validum esse debeat, male quoque desideraverit coadjudicari probationes validitatis exhibitione Brevis, nam si illud a Parocho, qui præsentiam præstitit, laceratum fuit, impossibilis exhibitio sit, & spes omnis perierit validitatem probandi, neque permittendum sit Ducem, & Antoniam, qui virenti sunt ætate, perpetuo esse disjunctos, licet non constet de nullitate matrimonii ab ipsis contracti. Hæc Dux, & Antonia.

A Cæ-

A Cæſare nihil habuimus. Videant Eminentiſſimi Patres, qua juris ratione res expedienda ſit, & an Praxis Sacræ Pœnitentiariæ ſit, ut pro matrimoniis *contrahendis* Brevia inſcribantur etiam *Confeſſario ex approbatis*, quidquid ſecus ſit in caſu revalidandi matrimonia *jam contracta*, vel in caſu, quo res ſit de *diuturno concubinatu* cum ſobolis procreatione, & cum *opinione communi* Civitatis, Concubinarios *veros eſſe Conjuges*. Judicium igitur ipſorum erit. Nos dubium damus.

An conſtet de nullitate, ſeu potius de validitate matrimonii in caſu &c.

Dilata, & ſcribat Defenſor Matrimonii.

S.ſſ.22.c.6. de Ref.

ARIMINEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Parochialem Eccleſiam S. Agathæ Oppidi Montis Jani Diœceſeos Ariminenſis pecunia ſua reparavit Parochus, ſive Archipresbyter Horatius Antimi, eamque picturis, marmoribus, & opere plaſtico ornavit. Perficere tamen opus non potuit morte eum occupante, atque ideo Templi facies rudis eſt, deſunt Æra tinnula, & Turris, in qua eadem collocentur. Teſtamento, quod condidit hæredem inſtituit *un Conſervatorio da eriggerſi, o già eretto in Rimino*, inde ait = *Aggiungo di più, ed ordino perchè così voglio, che con la ſeta orſogliata, che tengo in caſa, ſi fabrichino trecento, e trenta braccia di Damaſco Cremiſi, ed il rimanente dell' orſoglio, detratte da queſto ancora tutte le altre ſpeſe per compimento di una tal Fabrica, ſia venduto, ed il denaro ritratto ſia poſto ancor eſſo in capitale fruttifero come gl' altri miei mobili a vantaggio del mio univerſale erede già di ſopra nominato, ed iſtituito.*

Qui inde Archipresbyteratum illum obtinuit Paſchalis Medri videns, quæ in Eccleſia deficiebant, preces obtulit *Sacratiſſimo Principi Noſtro*, quibus poſtulabat, ut mutaret voluntatem Antimi de Serico in opus Damaſcenum coccineum convertendo, utque ejus pretium erogaretur in perficiendo opere Eccleſiæ. Data fuit poſtulationis hujus cognitio Eminentiſſimis Patribus, a quibus auditus fuit Vicarius Capitularis. Hic cenſuit poſtulationi huic annui poſſe. Diverſum tamen placuit Eminentiſſimis Patribus *die* 21. *tranſacti menſis Julii*. Sed novis ab Archipresbytero precibus oblatis *Sacratiſſimo Principi*, no-

vaque

vaque facta delegatione Sacro huic Tribunali, Causa nunc proponitur, & urget Archipresbyter, veram hanc non esse commutationem, quia erogatio fiat in melius. Opus enim voluptuosum convertitur in necessarium, quodque majus præstat animæ Testatoris suffragium, cum defectu Æris Tinnuli Populus ad Sacra, ad Officia Divina, Cathechesim, aliasque Ecclesiasticas Functiones congregari non possit, ignorantibus iis, qui longe absunt ab Ecclesia tempus, horamque, quibus eædem agantur. Justam igitur esse causam commutationis, esse & necessariam. Antimum mortis instantis aspectu turbatum de Ecclesia perficienda non cogitasse. Opus perfici posse pretio Serici; Paratum esse Archipresbyterum pecunia sua supplere quod deest. Hæc atque alia Archipresbyter. Dubium est.

An sit locus commutationi voluntatis Testatoris Horatii Antimi, itaut pretinm retrahendum ex Serico nuncupato Orsolio *sit impendendum in constructionem Turris Campanarum, & Prospectus Ecclesiæ Archipresbyteralis Terræ Montiani in casu &c.*

Dilata, & proponatur citatis Hæredibus, & Exequutoribus Testamentariis, & afferatur præ manibus copia Testamenti ex integro.

TUDEN. RESIDENTIÆ. Postquam anno 1752. de Archidiaconatu nuncupato *de Montes* in Ecclesia Cathedrali Tudensi provisus fuit a Sancta Sede Franciscus Longorius, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat dispensationem a residentia ex causa postulationis in Causa *Beatificationis Servi Dei Joannis de Avila*, obtinuitque dispensationem ad sex menses. Rediit inde anno 1754. aliis precibus, quibus narravit illi Dignitati adjunctum non esse onus residentiæ *præcisæ*, sed tantum *causativæ*, ideoque Eminentissimi Patres audire voluerunt Tudensem Episcopum, indulta Longorio alia dispensatione ad quatuor menses *veris existentibus narratis*. Rescripsit Episcopus Dignitatem illam esse præcise residentialem; Prædecessores omnes Longorii resedisse, ultimis duobus exceptis, qui absuerunt cum dispensatione ex causa infirmitatis. Nullam a Langorio absentiæ justam causam proponi, ideoque ei non esse auscultandum. Hæc Epistola Episcopi, qua de causa ignoratur Eminentissimis Patribus reddita non fuit. Longorius igitur no-

Sess.24.c.12. de Ref.

vas

vas obtulit preces prorogationem postulans ob moram Episcopi. His precibus rescriptum fuit = *Dentur novæ Literæ, & interim ad tres menses* = aliam inde prorogationem obtinuit *ad quatuor menses ammissis &c.* qua transacta, cum adversa valetudine distineretur aliam obtinuit *ad quatuor menses*. Cum vero interim Capitulo Tudensi instante injecta fuisset sequestratio redditibus Archidiaconatus, Longorius novas preces obtulit, quibus petebat, ut Capitulum compelleretur, ad proponendas hujus sequesttationis rationes. Rescriptum his fuit *die* 18. *Septembris anno* 1758. = *Episcopo pro informatione, & voto audito Capitulo, eique præfixo termino ad deducenda jura sua in S. Congregatione*.

Advenerunt novæ literæ ab Episcopo, quibus rem omnem narravit, sed Longorius questus est de attentatis, quod lite pendente sequestratio injecta fuisset, obtinuitque rescriptum = *Dentur novæ Literæ revocato sequestro, & interim Episcopus præfigat Terminum Capitulo ad deducendum Jura sua in Sacra Congregatione*. Venit igitur in ius Capitulum Tudense, & Causa omnis Tribus Capitibus collecta proponitur. Disputat Capitulum ex Tridentini dispositione Dignitates annexum habere onus residentiæ præcisæ. Id nosci ex facto prædecessorum omnium; id ex ipsa absentia duorum, qui Longorium in ipsa dignitatis possessione præcesserunt. Abfuerunt enim cum dispensatione, quam non postulassent, si Dignitas non fuisset residentialis. Hinc colligit Capitulum teneri Archidiaconum integros, quos percepit fructus restituere; nam de tertia eorum parte nulla esse potest disputatio, cum & Tridentini lege, & decreto Sacri hujus Tribunalis ita constitutum fuerit: de reliquis partibus, quia nullam habuerit Longorius justam causam, ex qua abesse posset. Hos denique fructus ab eo restituendos ex eadem Tridentini Lege Fabricæ Ecclesiæ esse applicandos. Hæc Capitulum. Ab Archidiacono Longorio nihil habuimus. Capita sunt.

I. *An Dignitas Archidiaconatus de Montes Ecclesiæ Cathedralis Tuden. sit Residentialis, itaut Archidiaconus Longorius ad eamdem residentiam teneatur?*

II. *An, & a qua die idem Archidiaconus teneatur restituere fructus perceptos?*

III. *An fructus tam percepti, quam a die sequestri applicandi sint Fabricæ Ecclesiæ in casu &c.*

Proponatur in prima post aquas etiam unica.

Die

Die Sabbathi 22. Septem. 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Propoſita fuit hæc Cauſa in *ultima Congregatione* habita *die* 1. *hujus menſis*, ſed definita non fuit reſpondentibus Eminentiſſimis Patribus = *Dilata*, & *ſcribat Defenſor Matrimonii* Paratus hic eſt ſuum dare libellum, ideoque definiri poterit Dubium. *Seſſ.24.c.1. de ref.Mat.*

An conſtet de nullitate, ſeu potius de validitate Matrimonii in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem, Negativè ad ſecundam.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS SUPER MODO COMPUTANDI SUFFRAGIA. Dedimus hanc Cauſam in *Folio Congregationis* habitæ *die* 30. tranſacti *menſis Junii*, ſed Eminentiſſimi Patres reſponderunt *Dilata*. Damus nunc eam, ut repetita lectione ejuſdem *Folii* idem Dubium expediri poſſit. *Seſſ.22.c.8. de ref.Mat.*

An, & quomodo ſit facienda electio Puellæ ad ſubſidium dotale relictum a bon. mem. Mercurio Leti in caſu &c.

Non propoſita.

DERTHONEN. VISITATIONIS. Habetur omnis hujuſce Cauſæ ſpecies in *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. ſuperioris *menſis Maii*, ſed ea die propoſita non fuit. Iterum eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 30. ſequentis *menſis Junii*, & ab Eminentiſſimis Patribus reſcriptum fuit = *Dilata cum abſolutione ab interdicto uſque ad exitum Cauſæ*, & *ad D. Secretarium pro remiſſoria ad effectum compulſandi Jura*. Omnibus impletis Cauſa nunc reproponitur, ut expediantur XXV. ejus Capita. *Seſſ.7.c.18. Seſſ.22.c.8. et 9. Seſſ.24. c. 9. & 10. & Seſſ.25. c.8. de ref. Seſſ.21.c.4. de ref.*

*Vid. Dub. XXV. pag.*46.

Dilata ad primam poſt aquas.

Seʃʃ.21.c.4. de reʃ.

LUNEN. SARZANEN. Quam Epiſcopali ſententia pronunciatum fuiſſet erigendam eſſe novam Parochiam in Pago Meridii diviſam, & ſeparatam a Parochiali Eccleſia Caſtri Corvarolæ, delata tamen a Parocho ejuſdem Caſtri Appellationis Cauſa ad hoc Sacrum Tribunal, propoſitoque *die* 22. *Mart.* 1732. Dubio = *An ſit locus diſmembrationi Parochiæ S. Michaelis Archangeli Corvarolæ, & Erectioni novæ Eccleſiæ Parochialis in Villa Meridii in caſu &c.* Primo quidem reſponſum fuit = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem*, ut videre eſt in *Theſaur. Reſol. Sac. Congregat. Vol.V. pag.*242. Inde vero repropoſito eodem Dubio *die* 27. *Septembris eodem anno* definitum fuit reſponſo *negativè, ſed eſſe erigendam Vicariam perpetuam cum aſſignatione congruæ a Communitate Villæ Meridii, & dummodo provideatur indemnitati Parochi Corvarolæ, & ad Epiſcopum pro exequutione etiam cum auctoritate Sacræ Congregationis* = ut in eodem *Vol.V. Theſaur. pag* 311. *& ſeq.* Iterum tamen propoſita fuit Cauſa *die* 24. *Januarii ſequenti anno* 1733., & Dubio, quod erat *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die* 27. *Septembris* 1732. reſpondit Sacrum Tribunal = *In deciſis juxtà modum. Modus autem eſt, quod Vicarius perpetuus eligatur per Concurſum, & quod Epiſcopus aſſignet eidem Vicario emolumenta, quæ dicuntur, ſtolæ, reſervatis reliquis redditibus Parocho Corvarolæ, & amplius* = ut in *Vol.VI. Theſaur. Reſol. Sac. Congreg. pag.* 12.

Providentia hæc Sacri Tribunalis nullum habuit effectum ægre ferente Populo, ut cum Vicario congruam præſtare deberet, jus non haberet illum eligendi. Poſt fugam viginti ſex annorum preces obtulit Eminentiſſimis Patribus, quibus poſtulavit Gratiam, ut jus ei eſſet eligendi, & præſentandi Vicarium perpetuum. Auditus Epiſcopus rem omnem plenius narravit, cenſuitque Populi illius poſtulationi annuendum. Ipſe conſenſum præſtat, neque Parochus Corvarolæ diſſentit. Inter rationes, quas proponit Epiſcopus ea eſt, quod redditus tenues ſint, ut nullum allicere poſſint ad concurrendum, ideoque, ſi placeat Eminentiſſimis Patribus Populi petitioni indulgere, in ea eſt ſententia, ut ab eo renovetur aſſignatio congruæ, quam obtulit, dum agebatur Cauſa diviſionis, & ſeparationis, atque erectionis novæ Parochiæ. Cauſa nunc proponitur, & æqui-

æquitatem Eminentissimorum Patrum Populus implorat, easdem urget rationes, quæ moverunt Episcopum, exempla edit vicinorum locorum, neque hanc electionem, & præsentationem ad jus patronatus referendam esse contendit, sed ad simplex jus, quod a Doctoribus appellatur *Honorantiæ*, ut gratum acceptumque habeat Pastorem juxta doctrinam *Archidiaconi in Can. Hortamur* 71. *num.* 2., quam sequuntur *Decius conf.* 129. *n.* 2. *Ferrett. conf.* 33. *num.* 4. & *conf.* 212. *num.* 4. *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 18. *num.* 90. *Card. de Luca de Jurepatron. disc.* 8. *num.* 10. *Piton. de controv. Patron. alleg.* 100. *num.* 84. & *discept. Eccles.* 121. *num.* 4. Hæc Populus. Dubium est.

An sit concedendum Populo Terræ Meridii, ut eligere, & præsentare possit Episcopo Vicarium perpetuum in casu &c.

Affirmativè, assignata congrua ab Episcopo determinanda.

AVENIONEN. JURIUM PAROCHIALIUM. *Sess.* 25. *c.* 13. *de ref.* Pluribus inter Capitulum Metropolitanæ Avenionensis Ecclesiæ, & Consules Civitatis, ac Capitula trium ejusdem Urbis Insignium Collegiatarum Ecclesiarum exortis controversiis delata fuit earum cognitio ad Sacram Rituum Congregationem, in qua Causa omnis decem dubiis complexa fuit. Horum sextum quod erat = *An tribus Collegiatis Majoribus habentibus curam animarum competat ius exigendi a Metropolitana quartam funeralem suorum Parochianorum, qui in Metropolitana eligunt sepulturam in casu &c.* Definitum non fuit ab eadem Sacra Congregatione *die* 15. *Februarii* 1727., qua die Causa proposita fuit, sed data fuit ejus notio Sacro huic Tribunali. Post hoc rescriptum ejusdem Sacræ Congregationis siluerunt Capitula ad annum usque 1756 quo cum in Parochia Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Agricolæ decessisset, nulla electa sepultura, mulier quædum nomine Maria Roman, & in Ecclesia Metropolitana tumulata fuisset, recruduerunt controversiæ, repetente Capitulo S. Agricolæ defunctæ mulieris cadaver coram hoc Sacro Tribunali, & simul postulante, ut vetaretur Capitulo Metropolitanæ, ne corpora Parochianorum S. Agricolæ sepulturæ traderet, nisi electa a Parochianis illis decedentibus sepultura in eadem Metropo-

tropolitana Eccleſia. Judicium Sacri hujus Tribunalis declinare voluit Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum, ſed fruſtra. Cauſa itaque omnis IV. Dubiis collecta fuit, quorum lectione facile poteſt dignoſci, quid ſit id, de quo diſputatur: Singulorum enim rationes longum eſſet excipere. A Capitulo Metropolitanæ nihil habuimus. Dubia ſunt.

I. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis Sancti Agricolæ debeatur quarta funeralium Parochianorum, qui in Eccleſia Metropolitana ſepeliuntur, in caſu &c.*

II. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Agricolæ debeatur quarta funeralium Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque addictorum ſervitio Eccleſiæ Metropolitanæ Aven. decedentium intra limites dictæ Eccleſiæ Parochialis, quatenus in eadem Eccleſia Metropolitana tumulentur, in caſu &c.*

III. *An Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ Aven. liceat ſepelire Cadavera Parochianorum S. Agricolæ in Parochia decedentium, non electa ſepultura, nec habentium ſepulturam in dicta Eccleſia Metropolitana, in caſu &c.*

IV. *An vocato ad funera Parochianorum S. Agricolæ Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, aſperſio Cadaveris, antequam e domo educatur, & intonatio antiphonæ,* Si iniquitates *ſpectent ad dictum Capitulum, ſeu potius ad Capitulum S. Agricolæ ejuſdem Civitatis, in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt aquas.

Seſſ. 22. decret. de obſervat. & evit. in celebr. Miſſ.

MEDIOLANEN., SEU LAUDEN. Teſtamento, quo deceſſit anno 1664. Eraclitus Morronius quotidianum ſacrum inſtituit in inſigni Collegiata Eccleſia S. Nazzarii Mediolani perpetuo agendum a Sacerdote Jo: Baptiſta Corbella collata eidem facultate non ſolum eligendi alium Sacerdotem, ſed etiam deputandi in futurum Cappellanum: ſtipendium vero conſtituit in ſc. 53. præſtandis a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Laudenſis hærede inſtituto. Sacerdos Corbella ſequendo mentem Teſtatoris erigi voluit Choralem Cappellaniam in eadem Eccleſia cum onere reſidentiæ, & teſtamento ſuo auxit ſtipendium in aliis annuis ſc. 24., quod factum fuit ab ejus hæredibus. Inſtituto Cappellano Clerico Jo: Baptiſta Gambaja, hic ſuſcepto Sacerdotio per annos fere 40. ſervitium præſtitit, ſed nuper apoplexia

cor-

correptus, cum ex paupertate alium Sacerdotem substituere, immo nec se alere possit, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut stipendium, quoad viveret, percipiendi facultas ei relinqueretur nullo substituto, qui onera Cappellaniæ impleret Rogatus fuit Eminentissimus Archiepiscopus, ut utroque Capitulo audito, transmissaque fundatione animi sui sententiam aperiret. Annuit utrumque Capitulum petitioni miseri Sacerdotis, & Eminentissimus Archiepiscopus in eadem fuit sententia. Causa nunc proponitur, & disputat Gambaja rem definitam fuisse rationibus, quas affert *Amostaz de Caus. Piis lib* 3. *tit. de Cappellan. cap* 6., qui a *num.* 30. *ad num* 36. late hac de re differit, & juxta vota infelicis Sacerdotis respondit. Videant igitur Eminentissimi Patres.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, vel per se, vel per alium possit pro tempore infirmitatis ultra decem dies omittere celebrationem, & nihilominus eleemosynam prætermissæ celebrationis consequi in casu &c.

Non proposita.

MACERATEN. APERITIONIS ORIS. Certior redditus defunctus Summus Pontifex Benedictus Decimusquartus Cathedralem Ecclesiam Civitatis Maceratæ, quæ in situ declivi est, dilapsam esse, seu *in stato rovinoso* motu proprio mandavit novo Episcopo, ut eam transferret in aliam Civitatis partem, & præcise in Ecclesiam Capitularem, & Parochialem Sanctissimi Salvatoris, translato Capitulo in aliam Ecclesiam Sodalitii suffragii, utque statim manus apponeret demolitioni angustæ illius Capitularis, & Parochialis Ecclesiæ, & reædificationi novæ Ecclesiæ Cathedralis, una cum adjunctis ædibus Episcopalibus. Cum autem ad arduum hoc opus vis ingens pecuniarum sit necessaria, idem Summus Pontifex commutavit duorum testatorum pias voluntates, quorum alter nempe Canonicus Antonius Ulissi voluit, ut novus Mons Pietatis Maceratæ erigeretur, alter vero nempe Borromeus Accursius Cappellanias instituerat in Oppido Montis Milonis. Hæc igitur pia relicta Fabricæ novæ Cathedralis applicari volit Summus Pontifex addita Causa *considerando esserci nella detta Città di Macerata altro Monte di Pietà, ed* *Sess. 7. c. 8. de ref.*

un

un altro molto pingue in Monte Milone Terra della Diocesi. Maceratam perventus novus Episcopus anno 1756. omnia parare incæpit, ut operi manus admoveret ipso instante Civitatis Magistratu; Sed repente Communitas impetravit a Sacratissimo Principe nostro *aperitionem oris* adversus dictum motum proprium arbitrio Sacri hujus Tribunalis.

Ubi id rescivit Episcopus autographum ipsum motus proprii Sacratissimo Principi nostro restituit, ne dum erat exequutor, fieret contradictor. Communitas autem venit ad hoc Sacrum Tribunal, a quo auditus fuit Episcopus, eique demandatum, ut Promotori Fiscali terminum præfigeret ad jura sua proponenda. Promotor autem protestationem in actis emisit nolle hujus litis partes suscipere. Causa nunc proponitur, & disputat Communitas deceptum fuisse Summum Pontificem, cum Cathedralis Ecclesia non dilabatur, neque fatiscat, sed firmos habeat parietes, firmissima fundamenta, & solum detrimenti aliquid ab aquis acceperint tectum, & porticus, ut fidelibus oculis recognoverunt duo Periti, qui reparationis impensam estimarunt in sc.300 Id si est, temperare sese potuissent Communitas, ejusque defensores ab aliis rationibus, quas proponunt, distantiæ scilicet novæ Cathedralis a veteri, & ab ipso corpore Civitatis; destruendam esse destructa Cathedrali aliam Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, quæ subtus Ecclesiam Cathedralem est, cuique servit Sodalitium, quod tamen habet aliam Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis *della Misericordia*, ut constat ex lite acta in Rota cum Gente Marefuschia. Addit Communitas Pia relicta ab Ulisse, & Accursio non esse commutanda, cum absit justa, & necessaria Commutationis hujus Causa. Nimis enim detrimenti pauperibus infertur, quibus non prospicitur alio Monte Pietatis Maceratæ, neque eo, quod est in Oppido Montis Milonis. Hic enim non potest pignora Advenarum recipere, neque mutuo dare ultra summam scut.5. Mons Maceratæ clausus est fere semper, quia non habet aliam sortem, quam sc.2. m. Hæc & alia Communitas. Dubium est.

An intret arbitrium pro aperitione oris in casu &c.

Dilata, & ad mentem, & scribatur Episcopo viciniori.

BAR-

BARCHINONEN. JUBILATIONIS. Vetustissima, immo etiam immemoriali consuetudine servatum dicitur in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Barchinonensis, ut qui ex vigintiquatuor Canonicis, quibus Capitulum illud componitur, ad Decanatus, seu Canonici antiquioris gradum pervenerit, rude donatus, seu, ut ajunt, *Jubilatus* habeatur, & lucrifaciat quotidianas distributiones licet Choro non intersit. Ad hunc gradum perventus Canonicus Joseph Ribera, cum defuncto Episcopo Vicarius Capitularis renunciatus fuisset, & hujus Officii causa Choro absfuisset, Capitulum distributiones quotidianas præstare renuit, contendens, aut servandum esse vetustissimum Ecclesiæ statutum, quod in hanc rem servitium requirit quinquaginta annorum, vel saltem æquiorem Sacri hujus Tribunalis sententiam, quæ vult quadraginta annorum servitium. Ad hanc præcidendam, controversiam Canonicus Ribera preces obtulit Sacratissimo Principi Nostro, quibus postulabat, ut custodiretur in ea possessione, in qua prædecessores sui fuerant, vel privilegium *Jubilationis* concederet. Data fuit Eminentissimis Patribus postulationis hujus cognitio. Auditus Episcopus consuetudinem comprobat, & servandam putat, aliqua tantum suggerens de modo supplendi Ecclesiæ servitium absente Canonico antiquiori. Causa nunc tribus Capitibus collecta proponitur, & consuetudinem probat Ribera pluribus Testibus, libris Capitularibus, & ipsius Capituli confessione, unde educit statuto non obstante, quod de cæteris Canonicis, non de eorum Decano accipiendum sit, jure hoc eum uti debere justum esse, itaut non solum distributiones quotidianas percipere possit, sed etiam immunis sit a servitio Altaris, & ab Officiis œconomicis Capituli, unde consequens sit compellendum esse Capitulum ad quotidianas distributiones, quas sibi retinuit, solvendas. Hæc Ribera. A Capitulo nihil habuimus. Dubia sunt. Sess.24.c.12. de ref.

I. *An Joseph Ribera uti Canonicus antiquior gaudere possit Jubilatione vigore prætensæ consuetudinis in casu &c.* & quatenus affirmativè.

II. *An Jubilatio extendatur etiam ad exemptionem ab officiis œconomicis, & a servitio Altaris in casu &c.*

III. *An Capitulum teneatur restituere distributiones hactenus retentas iu casu &c.*

Non proposita.

ARI-

Seſſ.22.c.6. de ref.

A RIMINEN. SUBSIDII DOTALIS. Preces obtulit transacto anno Sodalitium S. Joſephi Sacro huic Tribunali, quibus poſtulabat, ut cum ex teſtamento Caroli Tononi, a quo hæres ſcriptum fuerat, teneretur quotannis duo ſubſidia dotalia præſtare Puellis pauperibus Coriani (qui Pagus eſt Agri Ariminenſi) Sodalitium autem æs alienum contraxiſſet pro agenda longa, & ſumptuoſa lite in hoc eodem Tribunali, Gratiam *ſuſpenſionis* unius ex duobus illis ſubſidiis indulgere vellet ad decennium. De his precibus auditus Epiſcopus cenſuit poſtulationi auſcultandum, & in eadem ſententia fuerunt Eminentiſſimi Patres mandata eidem Epiſcopo Gratiæ hujus exequutione. Commovit Ruſticos Corianentes hæc Gratia, & oblatis Sacro huic Tribunali precibus revocationem illius poſtularunt. Cauſa nunc audito jam Epiſcopo proponitur, ac diſputat Pagi illius defenſor rem eſſe *de Commutatione voluntatis*, quæ ſine juſta, & neceſſaria Cauſa fieri non poſſit, qualis hic nulla eſt, cum Sodales, qui litem agere voluerunt, æs alienum contractum ſua non aliena pecunia diſpungere debeant. Eoque amplius, quod agatur de pauperibus virginibus, quarum Cauſa nulla potior ſit. Addit nullam fuiſſe gratiæ exequutionem, quia Epiſcopus non merus, ſed mixtus eſſet Exequutor ob clauſulam *veris exiſtentibus narratis*, ideoque citari debuiſſe puellas, aut Exequutores Teſtamentarios. Ipſam denique gratiam ſubreptitiam fuiſſe, quia non fuerit expreſſum Pauperes Corianenſes ſubſtitutos a Teſtatore fuiſſe deficientibus Puellis, quibus ſubſidia poſſent conferri: Hæc ille. A Sodalitio nihil habuimus. Dubium eſt.

An gratia ſuſpenſionis diſtributionis unius ſubſidii dotalis ad decennium conceſſa Ven. Societati S. Joſephi Arimini ſuſtineatur, ſeu potius ſit locus præſtationi duorum ſubſidiorum dotalium pro anno 1758. *aliiſque annis in futurum ad formam Teſtamenti quondam Caroli Tononi in caſu &c.*

Negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam.

Dic

Die Sabbathi 24. Nov. 1759. In Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ ſequuntur Cauſæ, deſcriptæ fuerunt in Folio Congregationis habitæ die 22. Septembris, ſed nulla tunc capta reſolutione, mandatum eſt ab Eminentiſſimis Patribus, ut iterum proponerentur in hodierna Congregatione *etiam unica*; quocirca denuo ſubijciuntur Sapientiſſimo Judicio EE. VV.

TUDEN. RESIDENTIÆ, cujus tria ſunt capita. *Seſs. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An Dignitas Archidiaconatus de Montes Eccleſiæ Cathedralis Tuden. ſit reſidentialis, itaut Archidiaconus Longorius ad eamdem reſidentiam teneatur?*

II. *An, & a qua die idem Archidiaconus teneatur reſtituere fructus perceptos?*

III. *An fructus tam percepti, quam a die ſequeſtri applicandi ſint Fabricæ Eccleſiæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. & III. Dilata, & exhibeantur indulta una cum libello.

CRACOVIEN. PIORUM OPERUM INADIMPLEMENTI, in qua quæritur. *Seſs. 21. c. 8. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata ad primam poſt Reges, & proponatur omnino etiam unica.

BAREN. CONGRUÆ, ET EXPENSARUM, in qua diſputantur duo Dubia. *Seſs. 24. c. 13. de Ref.*

I. *An Reſidente cura habituali penes Capitulum Terræ Nojæ,*

Archipresbytero, apud quem exiſtit cura actualis, debeatur congrua, in qua ſumma, & ex quibus redditibus, ſeu potius portio duplicata, in caſu &c.

II. *An expenſæ in toto decurſu Cauſæ tam factæ, quam faciendæ ſint deſumendæ a Maſſa Capitulari, ſeu potius erogandæ a Canonicis particularibus in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt Reges.

Seſſ. 7. cap. 15. Seſſ. 22. cap. 8. & 9. Seſſ. 24. cap. 9. & 10. & Seſſ. 25. cap. 8. de ref.

DERTHONEN. VISITATIONIS. Cum in poſtrema Congregatione *diei* 22. *Septembris* EE. PP. Confraternitati SSmi Nominis Dei, & Jeſu erectæ in Eccleſia S. Rocchi Oppidi Vigueriæ indulſerint dilationem reſcribendo = *Dilata ad primam poſt Aquas*, dignabuntur, reaſſumere folium diſtributum pro Congregatione *diei* 12. *Maii* 1759., ubi refertur facti ſeries, quæ cauſam præſtat præſenti Partium colluctationi ſuper propoſitis XXV. Dubiis infra tranſcribendis. Contentio vertens inter Ven. Confraternitatem, & Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Derthonen., ac Ven Conventum, & PP. S. Mariæ Pietatis Ordinis Prædicatorum dicti Oppidi Vigueriæ eidem Curiæ adhærentes, juxta deducta in allegatione, alioque ſuperaddito libello ad manus circumferendis, ad ſex principalia capita reduci poſſe videtur; in quorum primo, innixa Confraternitas prætenſæ unioni ſubjectivæ anno 1497. a Summo Pontifice Alexandro VI. factæ Hoſpitalis Pauperum S. Henrici, nunc S. Rocchi Conventui B. Mariæ Pietatis Ordinis Prædicatorum, ac ceſſioni uſus Oratorii dicti Hoſpitalis factæ ab eiſdem Patribus pro erectione memoratæ Confraternitatis anno 1577., ac demum ceſſioni quorumdam ædificiorum, ac ſituum Oratorio S. Rocchi adjacentium reportatæ anno 1621. cum pluribus oneribus, & ſignanter = *Di riedificare quelle Caſe dell' Oſpedale tutto a loro ſpeſe, far l' Oſpedale, provveder de' letti, lettiſternj, ed altri utenſili neceſſarj per albergare li Pellegrini; e queſto non ſolo per ora, ma ſucceſſivamente per ſempre* = ſe ſubtrahere conatur a juriſdictione Ordinarii jure delegato ſibi aſſerentis poteſtatem

ſtatem viſitandi non ſolum Hoſpitale S. Rocchi, Montem Frumentarium, ac ipſum Sodalitium, ſed etiam Cappellam S. Annæ, & integram Eccleſiam, in qua idem Sodalitium erectum reperitur.

In ſecundo capite proponuntur quæſtiones ſuper obligatione Sodalium exercendi Hoſpitalitatem Peregrinorum, ſuper contributione reddituum Hoſpitalis prætenſa contra dictum Ven. Conventum Prædicatorum, & ſuper caducitate Confraternitatis in caſu contraventionis, ac Patrum Prædicatorum reſpective ob aſſertum inadimplementum oneris injuncti in legato libr.9000. illis relicto a q. Canonico Antonio Maria Bonamico.

Sub tertio Capite exhibetur diſcutienda methodus ſervanda in diſtributione frumenti Montis Frumentarii,& redditio rationis facienda Priori Conventus Prædicatorum:

In quartum caput referuntur quæſtiones ſuper celebratione Miſſarum, & ſuper modo juſtificandi implementum, ae recipiendi eleemoſynas.

Ad quintum caput redigi poteſt examen ſuper eliminatione Conſororum a Sodalitio, & ſuper illarum interventu in aſſociatione cadaverum.

Sextum tandem caput complectitur quæſtiones ſuper validitate interdicti in Oratorium S. Rocchi a Reverendiſſimo Ordinario lati, quatenus infra annum non reſtoruiſſet exercitium Hoſpitalitatis Peregrinorum, ſuper illius abſolutione, ac demum ſuper incurſu Confratrum in cenſuras ob illius prætenſam violationem.

Quoad primum caput jus ſuum deſumit Epiſcopus ex diſpoſitione Sacri Trident. Concilii *ſeſs.7. cap.*15. *& ſeſſ.*22. *cap.*8. *de refo.* & ex vulgata reſolutione S.Cong.in *Nucerina Paganorum edita die* 23.*Jun.*1629 *lib.decr.*14*p.*115. Itemq; innititur pluribus viſitationibus habitis ann 1561. 1594. 1604. 1610., & 1612. approbatis etiam a S.Congregatione; inſpecto potiſſimum, quod PP. Dominicani non ſe opponunt Viſitationi.

Pro Confratribus tamen, ultra ſententiam per contradictas ab A. C. latam anno 1614. conſtabilientem Oratorii, ac Confraternitatis exemptionem, urgere videtur, quod agitur de Viſitatione Oratorii, & Hoſpitalis ſubjective uniti Conventui S. Mariæ Pietatis Ordinis Prædicato-

rum, quæ subjectiva unio deducitur ex verbis Bullæ Summi Pontificis Alexandri VI. demandantis Judicibus exequutoribus, quod curarent eidem Conventui Hospitale prædictum = *Cum omnibus juribus, & pertinentiis suis &c. perpetuo unire, adnectere, & incorporare* -- ut sentiunt *Garzias de benef. par.*12. *cap.*2. *num.*55., *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. annot.*8. §.1. *num.*3. *tom.*2., & bene distinguendo casum, in quo duo Beneficia uniuntur, ab altero, in quo unum Beneficium uniatur alteri, quod in isto secundo casu unio sit subjectiva, & Beneficium unitum subjective sortiatur privilegia alterius, cui fuit unitum, firmat *Fagnanus in cap. novit ne sede vacante. num.*3. Ex his inferendo, quod cum PP. Dominicani alia jura noluerint transferre in Confraternitatem, quam purum ministerium super Hospitale, ut patet ex pacto 3. & 8. legendo in Instrumento concessionis anni 1621., locum non habeat jus visitandi Hospitale, & Oratorium subjective unita Religiosis exemptis, ut firmat *Ciarlinus controv. forens. lib.*1. *cap.*65. *num.*8., & in terminis Ecclesiæ subjectivè unitæ regularibus fuit decisum in *Naulen. Visitationis ab hac S. Congreg. die* 2. *Decemb.* 1752. *lib.*102. *dec. pag.*430. & in terminis Cappellæ Confraternitatis erectæ in Ecclesiis Regularium refert, decisum anno 1626. *Pignattell. consult.*27. *num.*4. *tom.*9., qui tamen præservat Visitationem Cappellæ, & Altaris in his, quæ respiciunt administrationem Confraternitatis, & huic sensui annuere videtur etiam *Rota cor. Ansaldo tom.*1. *decis.*31. *n.*3 & 4.

Quoad secundum, pro gravandis Confratribus onere Hospitalitatis, urgere dicitur tam primum pactum supra relatum depromptum ex Instrumento anni 1621., quam octavum ibidem legendum, ubi convenitur = *Che osservando li Fratelli li suddetti Capitoli non gli possa da detti PP., o da altri Superiori esser levato per supposto alcuno il ministero dell' Ospedale, e beni, che gli saranno lasciati*. Eo tamen animadverso, caducitatem non fuisse conventam, nisi in casu, quo Confratres ingratos se redderent erga Religiosos, ipsis impugnando jura reservata: Caducitatem vero Religiosorum a Legato Bonamici, excludi subditur ex adimplemento onerum injunctorum.

Quoad tertium caput, contenditur requisitam fuisse attestationem

tionem Parochi ſuper paupertate, & expetitam fidejuſſionem occaſione diſtributionis frumenti Montis Frumentarii, ut Pauperum ſimul, & ejuſdem Montis indemnitati conſulatur. Reliquum eſt, ut perpendatur, num ſatis conſulte delata per Epiſcopum fuerit Priori dicti Conventus facultas recipiendi redditionem rationis quoad Montem Frumentarium, cum nullimode comprobetur, eumdem Montem ex Religioſorum conceſſione proceſſiſſe.

Quoad quartum caput. Demandatam retentionem libri, ubi adnotetur implementum onerum Miſſarum, ſatis ait Epiſcopus juſtificare Decretum *S. M. Innocentii XII. de celebratione Miſſarum edit. die* 21. *Decembris* 1697. §. *Iidem tenentur*, *&* §. *quod ſi prædicta relat. per Scarſanton. ad Ceccop. lucubr. Canonicat. in animadverſ. ad tit.* 1. *num.* 14. *lib.* 3. Onus vero celebrationis 30. Miſſarum propria auctoritate aſſumptum per Sodalitium anno 1736. vigore contractus delegationis duorum Capitalium lib. 822. 11. reportatæ a Canonico Carolo Vincentio Salvi, adſtrui contenditur virtute Inſtrumenti d. Delegationis initæ inter Canonicum Salvi, & Confraternitatem. At reponitur pro parte Sodalium, per ipſos non demandari, niſi celebrationem 12. Miſſarum, ex quo exigi nequiverint interuſuria alterius ex Capitalibus delegatis aſcendentis ad lib. 522.; ſed hanc excuſationem non videtur approbaſſe Sac. Congregat. in *Præneſtina die* 17. *Decembris* 1718 *libro decretorum* 68. *pag.* 540., in qua, reiicendo inſtantiam pro abolitione oneris Miſſarum ſatisfacien. vigore accèptationis cenſus propria authoritate per Capitulum factæ, cenſuit committendum Eminentiſſimo Epiſcopo Præneſtino = *ut reſervatis juribus Canonicis Junioribus compellendi Canonicos Seniores viventes*, *& hæredes Defunctorum ad aſſignandum capitale ſcutor. centum*, *Capitulum ad implendum enunciatum onus Miſſarum annuarum trigintaquinque pro ſuo arbitrio &c. cogat*, *atque compellat* = Obligationem rurſus Confratrum aſſervandi eleemoſynas manuales in capſula clauſa duabus clavibus, quarum altera retineatur a Priore Conventus PP. Prædicatorum, & defectum poteſtatis in eiſdem Confratribus admittendi ad celebrationem Sacerdotes extraneos ſine licentia Prioris in Eccleſia S. Rocchi, extra omnem dubitationis aleam eſſe traditur e con-

conspectu pactorum 7. & 8. legendorum in Instrumento *diei* 22. *Septembris* 1577. in quo cæteroquin non legitur imposita pœna caducitatis.

Quoad quintum caput; eliminationis Consororum asserto olim etiam nomine *di Pellegrine* nuncupatarum,& prohibitionis illarum interventus sub peculiari vexillo in associatione Cadaverum, allegatur defectus approbationis Summi Pontificis, & Episcopi in illarum aggregatione ad Sodalitatem, ac præjudicium illatum Societati Mulierum Doctrinæ Christianæ, ac contentiones exinde oriendæ.

Quo tandem ad sextum caput,conatur vindicare Episcopus validitatem interdicti lati contra Oratorium S. Rocchi allegando dispositionem *Sacræ Trident. Synodi sess* 25. *cap*.8., ac resolutionem in hac ipsa Causa alias ab hac Sac. Congregatione editam *die* 6. *Septembris* 1604, & epistolam Episcopo scriptam *die* 17. *Septembris* 1672. Spretus vero interdicti inexcusabilis contenditur, non obstante Appellatione interposita ad Curiam Metropolitanam, & reportata ab ea absolutione cum reincidentia, tum attenta pendentia litis in Sacra Congregatione, tum attento defectu potestatis in Curia Metropolitana recipiendi Appellationes in Causis, in quibus Episcopi procedunt jure delegato vigore facultatum eisdem a Tridentina Synodo indultarum, ut referendo etiam Resolutionem hujus Sacræ Congregationis firmat *Fagnan. in cap. ad Audientiam n*.47. *de Ecclesiis ædificandis*, ac præscriptum fuit in *Concilio Romano tit*.14. *cap*.1. relative ad Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum impressa in *Append*.13. §.7. *post idem Concil.*

Sed pro parte Confratrum recurrunt, quæ supra in primo Capite adnotata sunt circa exemptionem Oratorii. Et Resolutiones Sacræ Congregationis editæ annis 1604., & 1672. videntur quidem insinuare etiam processum ad censuras contra resistentes Visitationi Episcopi; sed non adprobare peculiarem censuram Interdicti, cui suppositum est Oratorium.

Dignentur itaque EE. VV. sequentibus dubiis respondere.

Vid. Dub.XXV. pag.46.

Dilata.

CÆ-

CÆSENATEN. INDULTI. Cappellaniam laicalem in suo Testamento fundari jussit q. Paulus Caroli ad Altare S. Antonii Abbatis Ecclesiæ Hospitalis, & Conservatorii Puellarum Cæsenæ, lege injuncta Cappellano = *di celebrare, o far celebrare una Messa quotidiana al detto Altare di S. Antonio Abbate* = Illam obtinens Sacerdos Joannes Casimirus Ugolini, ob superventum cæcitatis infortunium, cujus respectu dispensatus est celebrare Missam votivam B.M.V. cum assistentia alterius Sacerdotis, supplicavit SSmo DOMINO NOSTRO pro facultate quotidianum d. Cappellaniæ Sacrificium peragendi in commodiori Ecclesia, tribus in id expositis Causis: quod nempe Testator minime prædilexisset Ecclesiam S. Antonii Abbatis, in qua nec humatus est, nec reperitur Altare privilegiatum: quod illa Missarum affluenti numero abundet: quod demum accessus ad eam perdifficilis, & propemodum impossibilis redderetur Oratori, nisi vellet hyberno tempore affici gravissimo, & notabili incommodo cum valetudinis pernicie.

Sess. 22. decr. de observ. & evit. in celebrat. Missar.

Facta earumdem precum relatione a Sac. hujus Congregationis Secretario, nunc S. R. E. Cardinali Amplissimo, SANCTISSIMUS benigne commisit Episcopo Cæsenatensi, ut *veris existentibus narratis* petitam facultatem Oratori indulgeret pro mensibus hyemalibus tantum. Reclamarunt tamen Rectores Hospitalis, & Puellæ Conservatorii, quorum preces eidem Sacratissimo Principi oblatæ, ne rescriptum exequeretur, remissæ sunt ad hanc Sacram Congregationem, ideoque sub *die* 28. præteriti mensis *Aprilis*, post auditam Episcopi relationem, datum fuit in mandatis, ut præfigeretur terminus Cappellano ad deducendum jura sua in hac Sacra Congregatione.

Differt adhuc Cappellanus jura sua deducere; Ex parte vero Puellarum plura deducuntur circa insubsistentiam expositorum ab Ugolino, ut inferant, exequendam non esse commissionem pro concedendo indulto, quam conditionatam reddit expressa clausula = *veris existentibus narratis*, juxta communiter notata per DD. in *cap. ex parte §. Verum de rescript.* Contendunt namque perperam negasse Ugolinum prædilectionem Testatoris erga Ecclesiam Conservatorii, & Hospitalis Sancti Antonii Abbatis, cui universum reliquit suæ hæreditatis compen-

pendium, nec a sepultura Testatoris quærenda esse majora dilectionis argumenta, quando agitur de Cappellania instituta ad certum Altare, cum par sit efficacia utriusque casus ad denegandam translationem Missarum, ut definitum est ab hac Sacra Congregatione, quæ in *Tyburtina Celebrationis Missarum* 20. *Augusti*, *&* 24. *Septembris* 1735. ad II. Dubium ita conceptum = *An onera earumdem Missarum sint transferenda ad Ecclesiam dd. Fratruum S. Joannis de Deo* = respondit *Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo, exceptis Missis celebrandis ad certum Altare, vel in Ecclesia in qua Testatores fuerunt tumulati*, ut in *lib.* 85. *decret pag.* 356. *&* 383.

Negant pariter, affluenti numero Missarum abundare earum Ecclesiam, in qua licet plura sint legata de Missis infra annum adimplendis, attamen unum dumtaxat celebratur quotidianum Sacrificium, cui nequeunt simul interesse omnes Conservatorii Puellæ, ob domesticas necessarias occupationes, quamquam legem habeant ex instituto Sacrum quotidie audiendi: Incommoda vero, quæ Ugolinus narraverat sibi obventura ob difficilem accessum ad Ecclesiam S. Antonii Abbatis, vel omnino commentitia fore defendunt, quia ex jurata *quatuordecim* Virorum, qui Hospitali præsunt, attestatione relatum est, eumdem Ugolinum optima valetudine præditum diu, noctuque vagari, etiam recreationis causa: vel nihil prorsus relevare ad indulgendam facultatem alibi celebrandi, quemadmodum ab hac Sac. Congregatione petitio similis translationis rejecta fuit in *Casalen Commutationis Voluntatis* 24. *Septembris* 1718. quamvis plures obtenderentur Causæ, & præsertim illa his verbis exposita in Folio = *Si non impossibilis, saltem difficilis est accessus, tempore potissimum hybernio, ad Ecclesiam, sive Cappellam S. Valerii utpote sitam in alto, & præcipiti colle nivibus, & gelu obsito*, ut in *lib.* 68. *decr. pag.* 399.

Verum in hoc potissimum insistunt Puellæ, quod Ugolinus reicuit in suis precibus facultatem celebrandi per alium literaliter concessam a pio Fundatore: adeout nullam Ugolino præstet excusationem infortunium oculorum, si potest commode per alium supplere, quemadmodum hactenus observatum est, dum per quatuor fere annos eidem Missarum oneri in Ecclesia S. Antonii

Abba

Abbatis satisfecit per alios. Præsertim quia idem Ugolinus, qui est Ecclesiæ Cathedralis Canonicus cum onere forsan aliarum Missarum, alteram ibidem possidet Cappellaniam gravatam duplici Missa in singulis Hebdomadis, adeout per se ipsum non valeat adimplere omnia onera Missarum sibi incumbentia, ideoque non videtur suppetere congrua ratio, cur supplere per alium debeat Ugolinus Missis Canonicatus, & Cappellaniæ Cathedralis, & non potius celebrationi illarum addictarum Cappellæ S. Antonii, quæ commodum præstant Puellis Conservatorii Sacrum quotidie audiendi, ubi, distractæ a necessariis curis, primæ Missæ nequiverint interesse.

His tamen non obstantibus adhæret Episcopus petitioni Joannis Casimiri Ugolini, ejus calamitatis misertus, quod visu omnino careat: cum præsertim translatio non debeat esse perpetua, sed ad tempus, illius vita durante. Cæterum seposita justa Causa, hujusmodi facultatem alibi celebrandi denegavit hæc Sacra Congregatio, etiamsi petita esset ad vitam tantum Cappellani, vel Patroni, & per aliquot anni menses, ut in *Tridentina Translationis Oneris Missarum* 23. *Augusti*, *&* 13. *Septembris* 1738. *ad IV. & V. Dub. lib* 88. *decr. pag* 366. *&* 393., *& in Lauden. Cappellaniæ* 23. *Augusti ejusdem anni*, *d. lib.*88. *pag.*370.

Dignentur itaque Eminentissimi Patres respondere.

An indultum sit exequendum, in casu &c.

Negativè.

TYBURTINA ATTENTATORUM. Alienationem duorum LL.MM., prævio Apostolico beneplacito, factam a Rectore Seminarii Tyburis die 9. superioris mensis Aprilis, attentatam fuisse proclamarunt Canonici Olivieri, & Fabri tunc ejusdem Seminarii Deputati, ob citationem coram hac Sacra Congregatione eorum nomine præsentatam Rectori prædicto die 3. ejusdem mensis: Simulque conquesti sunt de improvida plantatione Vineæ, & inutili reformatione interni status Ædium Seminarii, quamobrem opus fuerat eadem LL. MM. distrahere, Alumnorumque pensionem *Sess.*25. *c.*18. *de reform.*

augere, ut qui prius rubrum unum cum dimidio frumenti singulis annis præstabant, trium rubrorum contributione postmodum gravati forent.

Eodem attentatorum vitio infectam arbitrati sunt reintegrationem ad munus Deputatorum Seminarii, quam Episcopus per decretum definitivum concessit die 4. Aprilis Canonicis Cerretti, & Pucci, utpote sequutam in spretum alterius citationis antecedenti die contra eosdem exequutæ pariter coram hac Sacra Congregatione. Eo namque munere fungebantur dicti Canonici Cerretti, & Pucci tempore antecessoris Episcopi; at Sede vacante remoti fuerunt per Capitulum, quod subrogavit in eorum locum Canonicos Rosati, & Gallucci; illis vero provocantibus ad hanc Sactam Congregationem, die 28. Martii 1758. Rm̃us tunc Secretarius nunc S. R. E. Cardinalis Amplissimus suo decreto mandavit, quod Partes instarent coram novo Episcopo, qui procederet prout de jure: quamquam Episcopus, non curantibus dictis Canonicis litis prosequutionem, deputaverit inde Canonicos ipsos Recurrentes Olivieri, & Fabri. Id autem influere asserunt Recurrentes in aliam decretæ reintegrationis nullitatem, ob non servatam juris formam, præsertim quia Episcopus videtur ad reintegrationem processisse die 4. Aprilis 1759. vigore remissionis Causæ factæ a Sac. Congregatione in ipsa instantia reintegrationis allegatæ, & repetitæ, quamquam nondum expeditum, neque in Curia Episcopali præsentatum foret Instrumentum d. Decreti.

Hæc,& similia a Recurrentibus exposita nil valuerunt apud Eminentissimum tunc Secretarium, qui eorum instantias remisit ad Curiam Episcopalem; sed vigore Decreti R.P.D. Auditoris Sanctissimi totius Causæ cognitio demandata est huic Sacræ Congregationi, cum facultate purgandi prætensa attentata, & capiendi quascumque provisiones.

Quas deducant attentatorum excusationes Curia Episcopalis, , cæterique illi adhærentes, hactenus non percepimus: Curia tamen Episcopalis expresse protestata fuit die decima Maii proxime præteriti se nolle comparere. Verum si de attentatorum viribus ad normam boni juris judicandum est in Supremis Tribunalibus, ut practice tradit *Card. de Luca in relat. Rom.Cur. disc.32. num.96.* inspiciendum erit, num facultas a Sacro

cro Concilio Tridentino *sess.23. cap.18. de reform.* Episcopis tributa circa directionem, & curam Seminarii, & circa electionem Deputatorum, *prout Spiritus Sanctus suggesserit*, irritas efficiat Recurrentium quærelas adversus Episcopi provisiones circa statum Seminarii, illiusque Deputatorum electionem. Hoc insuper ponderandum est, quod S. M. Benedictus XIV. in Constitut. *Ad militantis* edita anno 1742., in ejus *Bull. t.1. la* 48. §.34., vires adimit quibuscumqne appellationibus, reclamationibus, & inhibitionibus interpositis = *generaliter a mandatis, & provisionibus, quæ quoquomodo respiciunt curam directionem, & administrationem Seminarii*, nisi expresse decernantur, & propria manu subscribantur a Judice Superiore.

Partes itaque erunt EE. VV. definire.

I. *An constet de attentatis, & a quibus sint purganda?*

II. *An & quæ provisio capienda sit super interino æconomico statu Seminarii in casu &c.*

Non proposita.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Data est species hujus Causæ in folio Congregationis habitæ die 1. Septembris proxime præteriti, in qua Eminentissimi Patres rescripserunt = *Dilata, & scribat Defensor Matrimonii*; Hujus autem distributis Allegationibus pro sequenti Congregatione diei 22. ejusdem mensis, Dubio tunc proposito = *An constet de nullitate, seu potius de validitate Matrimonii* = responsum est = *Affirmative ad primum partem, negative ad secundum*. *Sess.24. cap.1. de reform.*

Ad formam autem notissimæ Constitutionis San Mem. Benedicti XIV. inter impressas in ejus Bullario particulari *la* 33. *tom.1.*, reproponitur Causa in hodierna Congregatione instantibus ipsis assertis Conjugibus, ut ab EE. VV. definiri valeat.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.22. c.3. de Ref.

NULLIUS FOROPOMPILII RECITATIONIS DIVINI OFFICII. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Ruffilli Civitatis Foropompilii, ut interessent publicis precibus, quæ tribus diebus Pentecostes labentis anni peragendæ erant in Ecclesia PP. Tertii Ordinis S. Francisci dicata B. M. V. de Populo, statuerant Divini Officii recitationem absolvere parumper ante horas in Tabella horaria præstitutas; Id tamen vetitum est a Vicario Abbatiali, qui ibidem præest pro Reverendissimo Capitulo Vaticanæ Basilicæ, injuncto præcepto servandi legem Horarii sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ. Paruerunt Canonici, salvo recursu habendo ad S. Sedem; at appellatio postmodum expedita coram A. C. fuit per Signaturam remissa ad Sacram Congregationem.

Urget itaque Reverendissimum Capitulum Vaticanum, sibi tamquam Abbati Commendatario Ecclesiæ Foropompilii reservatam esse temporis præfinitionem ad recitandas horas canonicas a S. C. T. *sess.*22. *cap.*3. *de refor.*: & si commutanda fuisset hora ex causa honestatis, congruentiæ, vel necessitatis, id fieri oportebat arbitrio Ordinarii, juxta resolutiones hujus Sacræ Congregationis editas in *Mutinen.* 12. *Novembris* 1644. *lib.*17. *decr. pag.*374., *in Oppiden.* 14. *Martii* 1722. *ad IV. Dub. lib.*72. *dec. pag.*94., *in Giennen. celebrationis Ordinum ad III, & VIII. Dub.* 2. *Augusti* 1727. *lib.*77. *Decret. pag.*458., & 19. *Junii* 1728. *lib.*78. *Decret. pag.*297.

Proindeque subjungit Capitulum, nequivisse Canonicos hora præpropera Officium canere, inconsulto, immo contradicente Vicario Abbatiali, qui propterea juste potuit in eos animadvertere pœna suspensionis, ut similem pœnam ab Episcopo Ticinensi indictam contra Canonicos Cathedralis validam declaravit S M. Benedictus XIII. per Breve expeditum S. Julii 1726. ut refert S. M. Benedictus XIV. *in collectione edictorum vol.*2. *notif.*107. §.4. *del luogo, e del tempo, nel quale debbonsi, secondo il gius commune, cantare, e recitare le ore Canoniche n.*22.; Præsertim quia divinorum officiorum anticipatio fieri cupiebat in solemnissima die Pentecostes (quo Ecclesiæ in populi ædificationem majus par erat præstari obsequium) ut interessent Canonici alteri functioni

ctioni celebrandæ in Ecclesia extra locum, & sita intra ambitum diversæ Diæcesis Brictinoriensis.

Cæterum in Constitutionibus d. Ecclesiæ S. Ruffilli in Sacra Visitatione compilatis hæc habentur de recitatione Divini Officii *cap. V. -- La Campanella si dovrà sonare sempre secondo la Tabella delle ore de' Divini Officii approvata in questa sagra Visita, che dovrà sempre osservarsi, riservando solo a' Canonici la facoltà di anticipare, e posticipare qualche volta, secondo l'occorrenza* -- ut colligitur ex ipso libello Reverendissimi Capituli Vaticani.

Definiendum igitur erit ab EE. VV.

I. *An Capitulo S. Ruffilli licuerit, & liceat per aliquod rationabile tempus anticipare, seu posticipare horas Canonicas, aliasque functiones in Choro, aliqua concurrente justa, & rationabili causa, & signanter ob functionem ex publica devotione in aliqua Ecclesia peragendam?* Et quatenus Affirmative.

II. *An idem liceat in solemnioribus diebus, & pro publica devotione peragenda in alia Ecclesia ejusdem loci, sed alienæ Diœcesis?*

III. *An prædicta anticipatio, seu posticipatio licuerit contradicente Vicario Abbatiali, seu potius substineatur illius præceptum editum die 3. Junii currentis Anni, in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

ALERIEN. LEGATORUM. Bina ut implerentur legata, quorum unum a Reparata Fondacci, alterum ab Andrea ejus Viro relicta sunt Cappellæ S. Jacobi Apostoli existenti in Ecclesia PP. Cappuccinorum Loci S. Reparatæ, Syndicus Conventus, earumdem piarum dispositionum Exequutor ab ipsis Testatoribus electus, tria proponi curavit Dubia in Congregatione habita die 12. Augusti superioris anni, scilicet *I. An legata Missarum tam adimpleta, quam adimplenda usque ad præsens sint ab Hæredibus solvenda. II. An Bona in Dotem Cappellaniæ assignata, & ab Hæredibus alienata, sint ab eisdem reintegranda. III. An imposterum d Bona, Cappellaniæ ut supra in dotem assignata, administranda sint per Syndicum, seu Procuratorem pro tem-* *Sess. 22. c. 8. de Ref. et sess. 25. c. 3. de Reg.*

tempore Conventus, *in casu &c.* Quibus Eminentissimi Patres responderunt, *Ad I.*, *& II. Affirmative*. *Ad III. Negative*, *& Episcopus provideat de idoneo Administratore*, *exclusis Hæredibus*.

Simon Joannes Liccia eorumdem Testatorum Hæres, qui contumax fuit, impetrata nova audientia contendit, nil solvendum pro Missis (ut quærebatur in primo Dubio) cum Syndicus non doceat de illarum celebratione jam facta, neque jus habeat sistendi in judicio pro celebratione facienda, cujus stipendium recipi quidem potest a PP. Cappuccinis per modum eleemosynæ, non autem postulari jure actionis, ut definitum est ab hac Sacrâ Congregatione in *Firmana Legatorum* 2.*Octobris* 1721. *lib.*71. *decr pag.*453.; Nihil insuper a se alienatum asserit ex bonis a Testatoribus legatis, nec proinde damnari potuisse ad reintegrationem, juxta responsum ad II. Dubium.

Affirmat namque, tria Prædia, quæ Reparata Fondacci legavit Cappellæ S. Jacobi, Syndicum Conventus jugiter possedisse post Testatricis obitum, ut etiam innuit Episcopus in binis relationibus ad Sacram Congregationem transmissis die 20. Junii 1756., & 2 Januarii 1757. At non inficiatur, illorum altero fideicommissi jure dudum evicto, cujus valor centumquinquaginta scuta circiter attingebat, aliud Prædium fuisse subrogatum valoris circiter scutorum viginti; itaut deficiant sc. 130., si ad justam quantitatem suppleri debeat evictio, quam integre præstandam esse in legatis piis onus Missarum adnexum habentibus notant *Gratian. disceptat. forens.cap.*955. *n:*34. *& Mangil. de evict. quæst.*64. *n.*3. Addit insuper, alias libras centum fuisse legatas a Reparata Fondacci, ut ex redditibus tot Missæ celebrarentur in eodem Altari S. Jacobi in suffragium animæ quondam Fiordispinæ, cujus ipsa hæres fuerat; putat autem Simon Joannes Liccia, hoc legatum hæreditati correspectivum fuisse, & proinde amplius non deberi postquam sequuta est evictio hæreditatis, seu Bonorum hæreditariorum ex titulo præexistentis fideicommissi: nam asserit, unicum prædiolum tenuis valoris scut.20. in contrada *della Sassa* ex juribus ejusdem Fiordispinæ remansisse in patrimonio Reparatæ Fondacci, illud nempe subrogatum in

locum

locum alterius ex tribus prædiis ab eadem Reparata designatis pro dote Cappellæ. S. Jacobi.

Legatum autem Andreæ Fondacci, qui eidem Cappellæ S. Jacobi reliquit libras mille in capitalibus censuum, præstari cum non potuerit in censibus hæreditariis, quos (superstitibus tantum Capitalibus libr.600.) absumpsit æs alienum Testatoris, impletum fuisse narrat per submissionem omnium Bonorum Legantis, quam decrevit Ordinarius anno 1739., ut essent obnoxia solutioni fructuum summæ legatæ, & quidem ad exorbitantem taxam decem pro centenario. Cœterum libras quingentas a se deberi fatetur pro fructibus hujus legati decursis ad totum annum præteritum *pro quorum insolutione, & mora lectæ non fuerunt Missæ designatæ*, sunt verba d. primæ relationis Episcopi diei 20. Junii 1756.

Conqueritur tandem, responsum fuisse ad tertium Dubium pro deputatione alterius Administratoris piorum Legatorum, *exclusis Hæredibus*, quos tamen ex Testatorum voluntate præferre oportuisset. Exhibet namque Instrumentum in Urbe rogatum die 26. Maii labentis anni, quo ipse recensuit verba Codicilli post Testamentum conditi a Reparata, ubi cavetur, quod si PP. Cappuccini incapaces essent assequendi legatum ab ea relictum Cappellæ S. Jacobi, eo casu *il Sig. Andrea Fondacci suo marito, ed erede, che sarà di esso disponga, ed elegga, e nomini quel Sacerdote, che gli parerà, e piacerà per la celebrazione delle Messe &c. alla d. Cappella, dandole autorità, e facoltà di poter tassare, e deliberare il numero di dette Messe da celebrarsi*. Hac usus potestate Simon Joannes Liccia Cappellaniam laicalem, & ad nutum amovibilem instituere professus est in d. Cappella S. Jacobi, illi in dotem assignando tria illa Prædia per Syndicum possessa ex legato Reparatæ, fructusque librarum mille, quos se constituit soluturum super certo designato fundo *Valle corte* loco censuum legatorum ab Andrea Fondacci, præter aliud capitale librarum 800. debitum ex pio legato Marthæ Fondacci: & sibi reservato jurepatronatus, primum Cappellanum nominavit Sacerdotem Simonem Proveduti, ut ter in hebdomada Sacrum celebret ad prædictum Altare S. Jacobi, cum facultate missas omissas supplendi in sequentibus ejusdem anni hebdoma-

domadis, aliaque adimpleat onera in Teſtatorum Elogiis Præſcripta, deque adimplemento quandocumque requiſitus rationem reddat Ordinario, Parocho, & ipſi Patrono; Huic inſuper Cappellano ſolvere promiſit infra annum fructus librarum mille hactenus decurſos, quibus erectionis, & litis expenſas ſubire valeat, omiſſaque Sacrificia celebrare, prout latius ex eodem Inſtrumento circumferendo.

Precibus Simonis Joannis Liccia adjungitur nomen quoque Simonis Proveduti Cappellani, ut ſubſtineatur erectio Cappellaniæ, attenta incapacitate PP. Cappuccinorum, ſicut alias approbatum fuiſſe aſſeritur per ſententiam A. C. in Cauſa *Marianen. Piarum diſpoſitionum*, poſtquam Sacra hæc Congregatio declaraverat *diebus* 6. *Julii* 1709., *&* 15 *Novembris* 1710., non ſuſiſtineri favore PP. Reformatorum ſimile legatum a Petro Antonio Adurno relictum ut in *lib.*59.*dec.pag.*227. *& lib.*60. *pag.*410.: Nec abſimilis eſt definitio hujus Sacræ Congregationis in cauſa *Valven. ſeu Aquilana diei* 5. *Maii* 1731., quod hæreditas relicta Altari in Eccleſia PP. de Obſervantia, ob eorum incapacitatem, convertenda eſſet in erectionem Cappellaniæ pro Sæcularibus arbitrio Epiſcopi, ut ex *lib.*81. *decr. pag.*214.

Sed non eſt ommittendum, quod Reparata, præter alia onera adimplenda ex fructibus Bonorum Legatorum, voluit etiam eoſdem fructus erogari in eleemoſynam Miſſarum -- *Da celebrarſi in d. Cappella da quei Sacerdoti, che pareranno alli dd. Sindici, e Procuratori pro tempore, anteponendo ſempre i RR. PP. di d. Convento*: ex voluntate autem Teſtatoris etiam præſumpta, hæc Sacra Congregatio mandavit præferendos eſſe PP. de Obſetvantia in celebratione Miſſarum explenda in eorum Eccleſia *in Romana Miſſarum* 12. *Januarii* 1732. *ut in lib.*82. *decr. pag.*4.

His ſtantibus decernendum erit ab EE. VV.

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis die 12. *Auguſti* 1758., *ſeu potius ſit locus approbationi Cappellaniæ interim erectæ, in caſu &c.*

Non propoſita.

Die

Die Sabbathi 15. Decembr. 1759. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit S. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRium, quæ ſequuntur, Cauſarum priores duæ definitę non fuerunt in Congregatione habita die 22. pręteriti menſis Septembris, tertia dilationem meruit in poſtrema Congregatione habita die 24. Novembris; denuo igitur proponuntur ab EE. VV. dęcidendæ.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS SUPER MODO COMPUTANDI SUFFRAGIA. *Seſſ. 22. c. 8. de Ref.*

An, & quomodo ſit facienda electio Puellæ ad ſubſidium dotale relictum a bo. me. Mercurio Leti, in caſu &c.

Electionem faciendam eſſe tribus ſuffragiis juxta ſolitum.

AVENIONEN. JURIUM PAROCHIALIUM. *Seſſ. 25. c. 13. de Ref.*

I. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis Sancti Agricolæ debeatur quarta funeralium Parochianorum, qui in Eccleſia Metropolitana ſepeliuntur, in caſu &c.*

II. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Agricolæ debeatur quarta funeralium Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque addictorum ſervitio Eccleſiæ Metropolitanæ Aven. decedentium intra limites dictæ Eccleſiæ Parochialis, quatenus in eadem Eccleſia Metropolitana tumulentur, in caſu &c.*

III. *An Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ Aven. liceat ſepelire Cadavera Parochianorum S. Agricolæ in Parochia decedentium, non electa ſepultura, nec habentium ſepulturam in dicta Eccleſia Metropolitana, in caſu &c.*

IV. *An vocato ad funera Parochianorum S. Agricolæ Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, aspersio Cadaveris, antequam e domo educatur, & intonatio antiphonæ,* Si iniquitates *spectent ad dictum Capitulum, seu potius ad Capitulum S. Agricolæ ejusdem Civitatis, in casu &c.*

Dilata, & ad Dominum Secretarium pro concessione Compulsoriæ.

Sess. 22. c. 3. de Ref.

NULLIUS FOROPOMPILII RECITATIONIS DIVINI OFFICII.

I. *An Capitulo S. Ruffilli licuerit, & liceat per aliquod rationabile tempus anticipare, seu posticipare horas Canonicas, aliasque functiones in Choro, aliqua concurrente justa, & rationabili causa, & signanter ob functionem ex publica devotione in aliqua Ecclesia peragendam?* Et quatenus Affirmative.

II. *An idem liceat in solemnioribus diebus, & pro publica devotione peragenda in alia Ecclesia ejusdem loci, sed alienæ Diœcesis?*

III. *An prædicta anticipatio, seu posticipatio licuerit contradicente Vicario Abbatiali, seu potius substineatur illius præceptum editum die 3. Junii currentis Anni, in casu &c.*

Dilata.

Sess. 21. c. 4. de Ref.

FIRMANA DISMEMBRATIONIS. In Oppido Sancti Elpidii Collegiatam erexit anno 1591 san. me. Gregorius XIV. in Ecclesia eidem S. Elpidio dicata, illique univit Ecclesiam SS. Michaelis, Andreæ, & Bartholomæi, *curamque animarum Parochianorum ejusdem*, quam exerceri mandavit per Archipresbyterum unicam dictæ Collegiatæ Dignitatem, duosque perpetuos Vicarios illius

illius Coadjutores, qui propterea totius Oppidi, & amplissimi illius Territorii Parochialia munera successive obiverunt, donec anno 1745., comperta in Sacris Visitationibus indigentia Agricolarum incolentium dissitam Regionem *della Corva*, nova ibidem perpetua Cappellania curata ab Archiepiscopo erecta est, annuente Archipresbytero, & Capitulo, ut in literis exprimitur, cum assignatione Plebis, illiusque dismembratione a Collegiata, & Parochiali Ecclesia S. Elpidii, & cum omnibus juribus Parochialibus, excepto Fonte Baptismali; & honore debito Matrici Ecclesiæ; illiusque primam collationem obtinuit Sacerdos Joseph Paschalis Fornari.

Eo permoti exemplo Sodales S. Mariæ de Misericordia, quorum exigit institutum Pauperibus opem ferre in temporalibus, & spiritualibus indigentiis, anno 1750. preces obtulerunt Sacræ huic Congregationi, quibus postulabant, ut similis Vicaria Curata erigeretur in opposita ejusdem Territorii æque dissita Regione *Arcellæ*, & Eminentissimi Patres precibus annuentes, commiserunt Archiepiscopo, cujus relationem audierant, ut *super præmissis gereret, statueret, atque decerneret quidquid pro suo arbitrio, & conscientia sibi in Domino expedire videretur*. Manus itaque admovit Archiepiscopus hujus etiam novæ Vicariæ erectioni; & cum illa fieri nequivisset in præexistenti Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ ob difficultates exortas cum Patrono ejusdem, in Sacra Visitatione anni 1753. mandavit construi novam Ecclesiam cum Domo Parochiali in designato Fundo, sumptibus Confraternitatis S. Mariæ de Misericordia, ac collatis aliquibus cæmentis ab Archipresbytero, & Canonicis S. Elpidii.

Perfecto opere, novam Ecclesiam in Cappellaniam Curatam erexit Archiepiscopus *die* 13. *Januarii* 1758. sub titulo, & invocatione SS. Angelorum Custodum, illique pro Parochianis assignavit omnes Incolas degentes in Regione S. Mariæ Magdalenæ, & Arellæ, omnesque alios existentes inter Flumen Cluentum, & Etham, eos dismembrando a Collegiata, & Parochiali Ecclesia Sancti Elpidii, cum omni jure Parochiali, excepto Fonte Baptismali, ac imposito Cappellano Curato onere inte-

 ressendi

ressendi quibusdam functionibus peragendis in Ecclesia Matrici in illius obsequium; Congruam insuper novo Cappellano constituit in Rubris quinque Frumenti annuatim per Syndicum colligendis a Parochianorum Familiis, præter alia Rubra decem juxta susceptam obligationem quotannis præstanda a dicta Societate S. Mariæ de Misericordia, cui propterea reservavit jus nominandi, & præsentandi in quibuscumque dictæ Cappellaniæ vacationibus tres idoneos Sacerdotes, ut prævio examine unus ex approbatis ab Ordinario institueretur. Cumque Sodales nominassent Sacerdotes *Fornari*, *Pennesi*, & *Capparucci*, prævio examine ab Archiepiscopo electus, & institutus fuit Sacerdos *Pennesi*, collationis literis desuper expeditis *die* 24. *Januarii* prædicti, quarum vigore possessionem ille nactus est *die* 3. *Februarii*, frequentissimo adstante Populo, nonnullisque Canonicis, & præsertim Archipresbytero, qui Concione facta novum Cappellanum Curatum Plebi commendavit, ut eum agnosceret in Pastorem; qua de re Cappellanus Pennesi ea ipsa die cepit munera Parochialia exercere, Sacratissimum Viaticum Infirmis deferendo; illiusque possessionem denuo ratam habuit Archipresbyter *die* 9. ejusdem mensis *Februarii*, scribendo in suis libris Mortuorum tumulationem Cadaveris Caroli Ciarocca Sacra Unctione roborati *per R. D. Natalem Pennesi Cappellanum Curatum S. Angeli Custodis*.

Sed mutato consilio, mox improbare ceperunt Archipresbyter, & Canonici sequutam Cappellaniæ erectionem; Monitorio namque expedito coram A.C. die 8. sequentis mensis *Martii*, illoque præsentato tam Cappellano Pennesi *die* 14. ejusdem, quam Cajetano Nobili Cappellano Curato *della Corva*, postularunt exequi Literas Apostolicas Gregorii XIV., illorumque vigore manuteneri in privativa possessione exercendi curam animarum in universo Agro Terræ S. Elpidii: indeque conquesti sunt de attentatis, quod Cappellanus continuaret in exercitio Curæ. Sed remissa controversia per decretum R. P. D. Auditoris Signaturæ ad hanc Sacram Congregationem, & ab ista super novis precibus audito Archiepiscopo, Causa nunc proponitur duobus collecta Capitibus.

Contendunt Recurrentes, nulliter processisse Archiepiscopum

ſcopum ad erectionem utriuſque Cappellaniæ Curatæ ob reſiſtentiam clauſulæ ſublatæ, & decreti irritantis, quibus munitæ ſunt Literæ Apoſtolicæ Gregorii XIV., & ob defectum citationis Archipresbyteri, & Capituli, quam omnino fuiſſe neceſſariam ajunt, licet Archiepiſcopus ad diſmembrationem proceſſiſſet uti Delegatus Sedis Apoſtolicæ, juxta ſententiam *Rotæ in deciſ.* 294. *num.* 13. *ad* 15. *part.* 10. *Recent.*, nec ſuppleri autumant citationis defectum, vel a conſenſu Capituli enunciato in literis primæ erectionis, quas nihil probare firmavit *Rota in deciſ.* 1048. *num* 7. *coram Emerix Jun.*, vel a ſubſequuta acquieſcentia, quæ proceſſit ex ignorantia earumdem literarum erectionis prædictæ Cappellaniæ Curatæ *della Corva*, dum numquam fuerunt intimatæ Capitulo, minuſque publicatæ a præcedenti Cappellano Paſchale Fornari, qui cæteroquin teſtatur per decem annos uſque ad annum 1754. exercuiſſe officium Cappellani Curati amovibilis, & munera Parochialia obiiſſe in Eccleſia *della Corva* Vicario nomine Archipresbyteri, & ſub illius dependentia, & ita ſe gerere modernum Cappellanum Curatum *della Corva* Cajetanum Nobili: dictamque dependentiam confirmant, ſignanter quoad matrimonia, communionem Paſchalem, & funera, duodecim Teſtes adjacentes Eccleſiæ *della Corva*, & quoad admiſſionem Puerorum, & Puellarum ad primam comunionem comprobant ſyngraphæ atteſtationis illorum idoneitatis a moderno Cappellano datæ ad Archipresbyterum Sancti Elpidii. Injuſtas quoque aſſerunt præfatas diſmembrationes, cum ſint odioſæ, & ſapiant alienationem jurium Eccleſiæ, nec fieri poſſint ſine juſta, & urgenti Cauſa, tum ex diſpoſitione juris per *Textum in cap. ad audientiam de Eccleſ. ædific.*, tum ex cenſura Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*: nec juſtam diſmembrationis Cauſam præbere diſtantiam loci, quando inſuper non concurrit difficultas acceſſus, multorum obitus ſine Sacramentis, & quod ſuppleri non poſſit per deputationem Œconomi Coadjutoris.

E contra Sodales, & Cappellanus *Arellæ* (nam alter Cappellanus *della Corva* non comparet) defendunt, quod Literæ Apoſtolicæ Gregorii XIV. nequaquam prohibent diſmembrationem, ubi neceſſitas occurrat ad formam juris,

juris, & Sacr. Concilii Tridentini: quodque insuper citationis defectus sperni debeat in casu, quo Capitulares nunc Recurrentes nullam adducunt validam exceptionem, præsertim cum dismembratio denuo fieri oporteret, ut tradit *Fagnanus in cap. ad audientiam n. 30. & n. 52. de Eccl. ædific.*; vel suppletus certe remansit per consensum multipliciter præstitum ab Archipresbytero, & Canonicis, uti supra relatum est. Justam quoque dismembrationis Causam non defuisse opinantur, nedum ob nimiam locorum distantiam ad sex usque millia passuum, & ob difficillimum iter, sed etiam ob ingentem numerum Incolarum, qui misere occubuerunt sine Sacramentis, & ob deplorandam ignorantiam Puerorum in rudimentis Fidei, propter defectum Catechesis, ut multis cumulatis Testibus probare nituntur. Suppleri non posse inquiunt per deputationem Cappellani cum dependentia ab Archipresbytero, de cujus, ejusque Coadjutorum negligentia in administrandis Sacramentis luculentum testimonium perhibet Processus Criminalis contra eosdem compilatus in Curia Archiepiscopali; cum præsertim deputatio Œconomi coadjutoris facienda sit solum in casu affluentiæ Populi, & ubi Parochus stipendium tribuat de proprio, ut definitum est ab hac Sacra Congregatione in *Aquen. Dismembrationis 13. Julii 1720. & 2. Augusti 1721. lib. decr. 70. pag. 207. & lib. 71. pag. 159. & 305.*, non autem ubi concurrit locorum distantia, cum asperitate itineris, & Populus, vel quivis alius congruam de proprio assignat novo Rectori, ut pariter definitum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Imolen. Dismembrationis 8. Jun. 1720. lib. 70. decret. pag. 237. & 21. Junii 1721. lib. 71. decret. pag. 201.*

Alia plura cumulantur in libellis circumferendis, quibus perpensis decernendum erit ab EE. VV.

I. An dismembratio facta a Reverendissimo Archiepiscopo Firmano sustineatur, in casu &c.

II. An constet de Attentatis, & quomodo sint purganda, in casu &c.

Ad I. affirmativè, & ampliùs. Ad II. Negativè, & ampliùs.

RO-

ROMANA LEGATI. Nobilis Matrona Catharina ab Altemps Marchionissa Soncini in Testamento Romæ condito die 5. Julii 1654. legavit Congreg. S. Hieronymi Charitatis Loca viginti Montium non Vacabilium, collata in Legatarium electione specierum, dataque facultate subrogandi, & investiendi pretium in Censibus, & Stabilibus, *con peso però, che de' frutti di essi detta Ven. Congreg., e suoi RR. PP. siano obligati pagare ogni anno scudi* 40. *mon. almeno* Sacerdoti ab Hæredibus eligendo, qui incumberet celebrationi Missæ quotidianæ pro Anima Testatricis ad Altare Præsentationis B.M.V. in Ecclesia SSmi Nominis Jesu, *e con peso ancora, che delli medesimi frutti debbano applicare altri scudi* 40. *annui ad effetto di Monacare qualche Zitella* pariter ad electionem Hæredum. *Sess. 25. c. 4. de Ref.*

In Codicillis autem Mediolani confectis die 18. Maii 1676. iterum loquuta est de celebratione quotidiani Sacrificii in Testamento præscripta, inquiens = *Ricordevole io ancora avere nel detto mio Testamento instituita una Messa quotidiana perpetua d' esser celebrata nella Cappella della Santissima Vergine di Presentazione del Gesù con la mercede di scudi* 40. *di Roma, a qual Messa aggiungo per elemosina scudi* 14. *annui per la celebrazione suddetta d' essergli pagati dagli miei Eredi in perpetuo*. Sequuntur in eisdem Codicilis alia tria legata diversis Ecclesiis relicta, indeque pergit Testatrix = *e perchè nel detto mio Testamento ho lasciato, che si dia per elemosina ogni anno in perpetuo scudi* 40. *moneta di Roma in Monacare una Figlia ogni anno perpetuamente: ora mutando da detto Testamento questo legato, per tenore de presenti Codicilli lascio, che detto Legato si accresca ad altri scudi* 40. *dico* 40. *di Roma per Monacare in tutto due Figlie povere, sichè saranno scudi* 80. *ogni anno in perpetuo, ed a questo effetto lascio venti Luoghi di Monti, & un terzo di essi venti Luoghi*: tributa iterum electione Puellarum Hæredibus.

Alia loca quindecim Montium his codicillis reliquit pia Testatrix Deputatis S. Hieronymi Charitatis, ut fructus erogarent in distributionem eleemosynæ; & post alia relicta, quæ ad rem non pertinent, potestatem fecit iisdem Deputatis propria auctoritate accipiendi Loca Mon-

Montium Legata, acsi essent hæredes proprietarii, subjungens = *a quali aggiungo legando altri Luoghi sei di Monti con le medesime condizioni, & autorità come sopra disposte* = Illos insuper constituit exequutores Legatorum scriptorum in Codicillis, novo superaddito legato, nempe = *a quali Signori Deputati concedo ogni autorità di servirsi di tre bimestri parimente de' capitali per l'esecuzione de presenti Codicilli*.

Legata post obitum Testatricis repudiarunt Deputati Sancti Hieronymi; ea tamen impleta sunt ab Hæredibus usque ad annum 1751., quo Comes de Wolckestein hodiernus hæres primùm cessavit a consueta præstatione stipendii Missarum, & subsidiorum Dotalium, precesque obtulit huic Sacr. Congregationi, ut piorum operum reductio fieret ad Mensuram fructuum locorum Montium valde imminutorum post recensita elogia. Rogatus autem Eminentissimus Protector Congregationis S. Hieronymi, ut animi sui sententiam aperiret, auditis Deputatis, perpendens quod agitur de legato a Testatrice supposito administrationi Tertii, nempe Deputatorum S. Hieronymi, ac ducto argumento a discretiua insinuato ab aliis relictis ab hæredibus cum expressa illorum, & hæreditatis obligatione præstandis, refert probabilius videri loca Montium fuisse taxative legata, eorumque idcirco fructus tantummodo præstandos esse ab Hærede, etiamsi non sufficiant pro adimplemento onerum injunctorum, ut communiter tradunt Doctores per *Textum in leg. Si quis servum* 8. §. *Si quis ita ff. de leg.* 2.; nihilominus censet servandam esse fidem Puellis quoad Dotes distributas, & promissas ab Hæredibus, consultumque fore istorum indemnitati, si ad reparandum excessum præteritarum solutionum absolvantur a nova distributione subsidiorum recadentium.

Multis insuper argumentis disputat Hæres, taxativum reputari legatum, quod incipit ab assignatione fundi in certa quantitate Locorum Montium, quibus adiicitur onus Missarum, & Dotium: solumque censeri demonstrativum, quando præscriptis oneribus inde sequatur assignatio fundi, juxta vulgatam distinctionem, de qua *Rota in decis.* 795. *n.* 7. *cor. Ansald.*, *in Romana Supplementi*, & *Applicationis* 11. *Junii* 1731. §. *Tunc enim cor. cl. mem.*

Card.

Card. Aldrovando , *& in Ravennatan. Salviani* 16. *Februarii* 1753: §.8. *cor. Reverendissimo Brixien.* Nec obesse putat Codicillos , in quibus onera Missarum , & Dotium prius designantur , quàm constituatur fundus pro illorum implemento ; nàm asserit , utriusque oneris mentionem occurrere in Codicillis relative adTestamentum, quod proinde immutatum censeri nequit circa qualitatem legatorum, ut ad rem ponderat *Rota in Romana Officiorum Vacabilium* 2. *Maii* 1749. §. *Neutiquam coram Almæ Urbis Gubernatore* .

Si Deputati Congregationis S. Hieronymi acceptatis legatis nunc agerent pro supplemento , assumenda utique foret inspectio ad tramites præcitatæ distinctionis , quam passim sequuta est hæc Sacra Congregatio juxta casus relatos per *Scarfant. adCeccop. lucubr. canon. lib.*3.*tit.*14. *n.*1. *& Lanfred respon. canon.*42. *n.*8. *&* 9. , & alibi millies: quidquid dicendum esset,si peteretur reductio onerum , quæ implenda forent non ratione legati taxativi , aut demonstrativi , sed ratione obligationis assumptæ in acceptatione legatorum , a qua propterea Debitores non essent facile absolvendi , ut sæpissime respondit hæc Sacra Congregatio in casibus relatis per *Monacell. Formular. legal. tom.*4.*pag.*83. *n.*466. , *Scarfant. d. lib.*3. *tit.*13. *num.* 24. , *Pignatell. consult. canon.*22. *num.fin. tom.*4.,*&* *Rot. in d. Ravennaten. Salviani* 16. *Febr.* 1753. §.10. *coram Reverendissimo Brixien.*

Verum , quia Deputati , repudiatis legatis , nec supplementum , nec reductionem postulant ; sed Hæres , qui possidens loca Montium præscripta onera usque adhuc adimplevit , defendit , imposterum præstanda esse legata juxta proportionem fructuum , qui singulis annis exiguntur;ad judicium EE. Patrum pertinebit decernere, an quoad hæredem post tamdiu impleta annua legata procedendum sit cum sensu, quem amplexa est Sacra Congreg. in Causa *Romana Subsidiorum Dotalium* 16. *Maii* 1733. , in qua ob diminutos redditus locorum Montium taxative legatorum rescriptum fuit = *Esse distribuenda subsidia Dotalia juxta proportionem fructuum* , *qui singulis annis exiguntur* , *ut in lib.*83. *decr: pag.*222.

Vel potius cum alia opinione,cum qua processit inCausa*Firmana Legati* , in qua non obstante , quod relicta fuissent

ſcuta centum taxativè pro Fundo Cappellaniæ duplicis Miſſæ in hebdomada, attamen quia Hæredes, loco tradendi quantitatem legatam, jugi annorum ſpatio præſtiterant in ſtipendium Miſſarum annua ſc.12., diſputatis dubiis = *An Hæredes Alcidis Galaſſi inveſtiendo ſcuta centum liberentur ab onere præſtandi ſc.*12., & quatenus affirmative: *An ſit locus reductioni Miſſarum*, die 28. Auguſti 1756. reſponſum fuit=*Negative ad utrumque*, ut in *lib.*106. *decr. p.*301. in qua cæteroquin Cauſa advertitur interceſſiſſe contractum inter hæredem, & legatarium.

Ponderandum inſuper eſt, an locis viginti Montium in Teſtamento legatis ſub duplici onere Miſſarum, & Dotis, addenda ſint alia loca viginti, cum tertia parte aliorum viginti, in Codicillis ſpecialiter aſſignata pro Fundo ſubſidiorum dotalium: itaut pro utroque legato debeantur loca 46 $\frac{2}{3}$; vel potius d. primum legatum 20. locorum Montium in teſtamento relictum ademptum cenſeri debeat quoad loca Montium reſpicienti a legatum ſubſidii dotalis, ſuper quo profeſſa eſt Teſtatrix in Codicillo mutare legatum cum contemporanea aſſignatione dd. locorum viginti cum tertia parte aliorum viginti, inſpecto tempore conditi teſtamenti ſatis ſuperque reddentium fructus neceſſarios pro ſatisfactione aucti oneris ſubſidiorum dotalium: & an inſuper d. locis 46 $\frac{2}{3}$ adjungenda ſint alia loca ſex, quæ in eiſdem Codicillis pariter legata ſunt Deputatis S. Hieronymi ſub hac expreſſione = *con le medeſime condizioni, ed autorità come ſopra diſpoſte* = Hoc enim caſu haberentur loca 52 $\frac{2}{3}$ dd. oneribus obnoxia, quæ cum reddant annuos fructus ſc.158., exuberare videntur pro adimplemento onerum requirentium annuam dumtaxat ſummam ſc. 120., præter illa ſc.14. ſolvenda ab Hæredibus, quæ aucta fuerunt in Codicillis pro eleemoſyna Miſſarum.

His poſitis dignabuntur EE. VV. definire.

I. An Hæres Fideicommiſſarius teneatur ad præſtandum ſupplementum? & quatenus negative.

II. Quomodo ſit providendum, in caſu &c.

III. Quomodo ſit conſulendum indemnitati hæredis fideicomm. quoad Dotes promiſſas, & nondum ſolutas in caſu &c.

Dilata, & proponatur citatis Deputatis S. Hieronymi aliiſque intereſſe habentibus.

ARI-

ARIMINEN. SUBSIDII DOTALIS. Unum de duobus Subsidiis Dotalibus, quæ ex Testamento Caroli Tonnoni quotannis danda sunt Puellis pauperibus Coriani, Sodalitium S. Josephi Arimini illius Hæres postulavit ab hac Sacra Congregatione, ut sui favore applicaretur per decennium in levamen æris alieni contracti pro peragenda lite, & expensarum occurrentium pro perficiendo novo Oratorio. Causam æris alieni pro lite approbarunt dumtaxat Eminentissimi Patres, qui propterea commiserunt Episcopo Ariminensi, ut *veris existentibus narratis*, unius subsidii distributionem per decennium suspenderet pro suo arbitrio, & conscientia *ad effectum erogandi ejusdem subsidii redditus in dimissionem æris alieni, ut supra contracti*. Sess. 22. c. 6. de Ref.

Decretum tulit Episcopus die 11. Augusti 1758. pro concessione gratiæ, nequaquam citatis, nec auditis Archipresbytero, & Rectoribus Communitatis Coriani, quibus cura data est in Testamento pro diligenti exequutione pii legati; quique propterea reparare cupientes damnum inde illatum pauperibus Puellis, Dubium proponi curarunt in Amplissimi hujus Ordinis Congregatione habita die 22. Septembris proxime præteriti = *An Gratia suspensionis distributionis unius subsidii Dotalis ad decennium concessa Ven. Societati S. Josephi Arimini sustineatur, seu potius sit locus præstationi duorum subsidiorum Dotalium pro anno* 1758., *aliisque in futurum, ad formam Testamenti quond. Caroli Tonnoni, in casu &c.* cui Eminentissimi Patres, rejecta dilatione per Sodalitium petita, respondere non hæsitarunt = *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam*.

Redeunt nunc Sodales, & disputant, revocandam non esse gratiam jam concessam, cum vera sint exposita in supplicatione circa æs alienum contractum pro lite, & circa expensas necessarias pro perficiendo Oratorio: gratiam non esse exorbitantem, cum suspensionem temporaneam, non commutationem voluntatis præseferat: justam non deficere causam, augumentum scilicet cultus Divini in novo Oratorio perficiendo, quod sufficeret etiam ad perpetuam voluntatis commutationem, uti pluries decisum fuisse ab hac Sacra Congregatione refert *Piton. discept. Eccles.* 69. *num.* 16.: damnum Puellarum

facile spernendum esse, cum respiciat Personas incertas, & forte extrahendas: & demum citationis defectum nihil officere, cum extrajudicialiter hac in re procedendum esset, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.24. cap.6. de ref.* Hæc atque alia Confratres.

Quæ vero in defensionem Puellarum deducantur a Rectoribus, & Archipresbytero Coriani disertissime relata sunt in Folio Congregationis habitæ die 22. Septembris, & fusius exponuntur in illorum libello ea die distributo: præsertim, quod *justum, pium, ac rationabile sit revocare, vel moderari gratias jam concessas, quæ jus tertii notabiliter lædant*, juxta monitum *Card. de Luca de pens. disc.76. num.13.*: quodque Causa Dotis uti favorabilior anteferenda est privatæ Sodalium utilitati pro dimissione æris alieni ab eis contracti, ad tradita per *Amostaz de causis piis lib.1. cap.14. n.8. & 10.*

Deliberandum nunc erit ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.22. cap.8. de Ref.

LAURETANA LEGATI. In Testamento condito anno 1752. Clemens Masucci plura scripsit legata præstanda ab Anastasia Gentili ejus uxore instituta Herede usufructuaria: potestatem fecit Antonio Rotini Nepoti suo, ut maneret in Domo, redditusque administraret cum eadem Anastasia Gentile: & tandem, post iniunctum eidem Anastasiæ onus conviven-di cum Joanna Baptista Barbini sua Consobrina, & conficiendi Inventarium, hæc addidit :: *Tutti gli avanzj poi delle sue entrate, se vi saranno, vuole, che si abbino d'applicare in tanto bene ogni anno per suffragio dell' Anima sua, e di tutti li suoi Defonti*; Post autem dictæ Anastasiæ obitum, in proprietate instituit præfatum Antonium Rotini. Defuncto Testatore omnia, quæ jussa sunt, implevit Anastasia usufructuaria: Domi recepit Antonium Rotini, ejusque cura in administrandis redditibus usa est: Vitam communem servavit cum

Joan-

Joanna Baptiſta Barbini, quoad illa vixit: & ſi quid amplius fuit in redditu, quàm in communibus alimentis impenderetur, in uſus pios erogavit.

Quid autem ea de re poſt obitum uſufructuariæ præſtandum foret, ante tempus quæſivit hæres in Curia Epiſcopali, a qua declaratum eſt, onus piorum Operum ex lege Teſtatoris *minime eſſe perpetuum*, *ſed temporale duraturum nempe ad vitam dumtaxat d. D. Anaſtasiæ*; Sed firmiorem ille reddere cupiens hujuſmodi declarationem, Pontificium Oraculum poſtulavit a *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*, qui controverſiam huic Sacræ Congregationi definiendam commiſit. Et requiſitus Epiſcopus pro *Informatione & voto*, *audito Promotore Fiſcali Legatorum piorum*, ſuam aperuit ſententiam juxta vota Oratoris pro interpretatione legati ad vitam tantum Uſufructuariæ.

Idetiam ſuaderi poſſe contenditHæres ex juris regula,quod legatum relictum ab Inſtituto repetitum non cenſeatur a Subſtituto, ut definivit *Rota in Camerinen Collegii Studiorum* 14.*Jun.*1751.*cor.RmoEpiſ.Brixien*; Sed oppoſitum de jure verius,quod legatum Inſtituto injunctum præſtari debeat etiam a Subſtituto, ex aperta cenſura *Textus in l. licet Imperator ff. de leg.*1. comprobant poſteriores ejuſdem Cauſæ Deciſiones, *diei* 22. *Junii* 1753., & 26. *Aprilis* 1554. *coram Illuſtr. Figueroa*, & 13. *Januarii*, & 20. *Junii* 1755. *coram eodem Rmo Brixien*. Epiſcopus autem quæſtionem reputat extraneam a caſu; quia licet poſt obitum ſuprad. Anaſtasiæ uſufructuariæ inſtitutus legatur in proprietate memoratus Antonius Rotini, is nihilominus Hæres ab initio, & non ſubſtitutus dici debet, juxta veriorem ſententiam, de qua late *Rota in Romana uſufructus* 9.*Aprilis* 1734. §.9 & *ſeqq. coram SANCTISSIMO*, & *in Maceraten. immiſſionis* 17. *Aprilis* 1752. §. 6. & 8. *coram Eminentiſſimo Elephantutio*.

Opportunior itaque pro præſentis Cauſæ deciſione videtur Epiſcopo altera juris regula, quod ceſſante legato uſufructus ceſſat etiam onus Uſufructuariæ impoſitum, ad præſcriptum *textus in l. Sticus* 20. §. *Titia ff. de Aliment. & Cibar. leg.*, cum aliis *per Rotam in dec.*2. *n.*10. *de Teſtam. cor. Falcon.*; Uſufructuariam vero gravatam

tam fuisse, superfluos redditus erogare in usos pios, exinde colligitur, quod redditus ipsi cadunt sub legato usufructus: legatum namque relictum super re legata censetur relictum a Legatario, adfirmata per *Rotam in decis.* 126. *n.*26. *cor. clar. mem. Card. Tenar.* Præsertim dum Legati verba sunt: *Tutti gli avanzi poi delle sue entrate, se vi saranno, vuole &c.*: neque enim de superfluo quærendum est, nisi respectu usufructuariæ, quam jusserat Testator cætera legata præstare, & *vivere in communione* cum Joanna Baptista Barbini; Si quid amplius itaque esset in redditu, quàm pro Cibariis, & alimentis communibus oporteret, de eo intelligendum est præceptum Testatoris, quod erogandum foret in usus pios: Istamque intelligentiam suaderi dicitur reflectendo, quod cum in eodem testamento Masuccius mandaverit ex certis quibusdam bonis erigi Cappellaniam cum onere missarum, expressit oneris perpetuitatem, a qua expressione proinde se abstinendo quoad controversum pium relictum, insinuari videtur istius restrictio ad vitam hæredis usufructuariæ.

Quantitas insuper determinanda proponitur, quæ debeat annis singulis erogari in usus pios, usquequo vixerit usufructuaria. Exhibet hæres ad hunc effectum rationes hæreditatis jussu Episcopi, & opera Periti dispunctas, ut ostendat annuos redditus non excedere scuta biscentum quinquaginta. Additque, quod cum dispositio ad sui favorem a Testatore facta =*debba, portandosi bene, stare in casa, ed amministrare le di lui entrate unitamente con Anastasia Gentili*=legatum includat alimentorum, ideo non minor statui possit summa pro necessariis alimentis quàm quantitas scutorum biscentum: nec exiguam videri quantitatem residualium scutorum quinquaginta pro usibus piis, quos Testator enixe non præscripsit, sed conditionate: Si fructus superessent decenti Legatariorum manutentioni.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

An pro qua rata, & quanto tempore opus pium, de quo agitur, adimpleri debeat in casu &c.

Deductis annuis scut. biscentum reliquum fore erogandum in opus pium ad formam testamenti durante vita Anastasiæ.

RA

RAVENNATEN. CESSATIONIS LEGATI : Jacobus Ambrosini in Testamento condito anno 1665. jussit celebrari singulis annis in perpetuum Missas centum, cum recitatione sex Officiorum in Ecclesia Parochiali Gambellariæ; plura insuper scripsit legata profana, vel pia, quæ unica præstatione adimplerentur; datisque certis suæ voluntatis exequutoribus, Hæredes instituit duos, quos habebat ex Fratre Nepotes. Sess.25:cap.4 de Ref.

Defuncto Testatore, confectoque inventario, reperta sunt in hæreditate duo solum prædia, quorum unum quinque jugerum cum Dominicali domo mandaverat Testator, ut *per qualsivoglia occasione benchè urgente, e grande non si possi mai ne vendere, o affittare, nè impegnare, e che sia sempre nullo quel peso, che i miei Eredi li volessero dare, volendo io, che resti sempre libero, e senza peso alcuno*: alterum vero jugerum 36. particulari jure legati relictum fuerat tribus ejusdem Testatoris Neptibus. Aderant Census in sorte sc.200., qui pariter jure legati assignati sunt aliis Neptibus ejusdem. Mobilia ad valorem sc.1489. 54. 2. ascendentia, partim distracta fuerunt ab Exequutoribus pro dimittendis legatis unicæ præstationis, partim reddita sunt Hæredibus pro valore sc.318. 29. 6. unacum aliis sc.2.89.6. in pecunia numerata, quibus dimittenda erant reliqua legata, & debita Testatoris ad summam usque sc.1020. 97. 7. ascendentia: Unum supererat nomen Debitoris sc.1581. 93., quod exigi nequivisse fertur, cum Debitoris bona addicta fuissent Creditoribus per sententiam graduatoriam Pro-Legati Romandiolæ publicatam die 10. Octobris 1664.

Stipendium nihilominus pro Missis, & Officiis solutum est ab Hæredibus in annuis sc.14. 80. usque ad annum 1727., quo Sacerdos Christopharus Guatteri illorum successor, comperta hæreditatis inopia, se abstinuit ab ulteriori solutione. Hujus hæres, & soror Catharina Guatteri, ut melius consulat conscientiæ suæ, legitima auctoritate declarari postulat ab EE. VV., legatum amplius non deberi ob deficientiam Bonorum: citato ad hunc effectum Parocho Gambellariæ, in cujus Ecclesia adimplendum foret legatum. Contendit autem, Prædium quinque jugerum, quod unice

ce possidet, redditum fuisse immune ab omni onere ex ipsius Testatoris judicio, nec ideo censendum esse obnoxium præstationi hujus legati Missarum: Reliqua Testatoris bona cessisse in dimissionem aliorum legatorum, vel æris alieni: & inventarium a primis Hæredibus confectum prodesse, ne ultra vires hæreditatis, quæ penitus consumpta ostenditur, solvenda sint legata, vel debita Defuncti, juxta vulgatam dispositionem *Textus in l. fin. §. Et si præfatam C. de jure delib.*

Eosdem etiam primos hæredes defendit, ne arguantur de improvida solutione legatorum, si ommiserunt illorum diminutionem pro constituendo fundo hujus legati Missarum, ut opus erat *Amostaz de causis piis lib.*1. *c.*12. *n.*39., *& lib.*2. *cap.*6. *num.*12., *Capon. discept.*351., *Card. de Luca de legat. disc.*26. *n.*6., *& Rota decis.*450. *num.*11. *&* 12. *tom.*2. *cor. Molin.*; nam asserit, pleraque legata soluta fuisse ab Exequutoribus: Hæredes vero, qui acceptis residualibus Mobilibus valoris sc.318. 29. 6., reliqua dimiserunt legata, & æs alienum ad summam usque sc.1020. 97. 7., nullam contraxisse obligationem, quia errore juris decepti non adverterunt ad prælationem dandam legato Missarum, ideoq; esse excusandos *da text. in l. Error ff. de jur. & fact. ignor.*, *Christin. decis. Belg. volum.*4. *dec.*213. *n.*75. *&* 76. & cum essent muniti beneficio Inventarii, potuisse primo venientibus solvere, ex quo potiores adesse ignorabant, ex collectis per *Rotam in dec.*11. *num.*9. *de Invent. coram Falcon.*

Auditus Archiepiscopus, ea respondet, quæ supra retulimus, non tamen aperit votum suum. Cæterum quoad prætensam Prædii libertatem advertendum est, præceptum Testatoris respicere obligationes imponendas ab Hæredibus, & ideo non excludere prælationem competentem legato Missarum etiam adversus legata speciei, quæ diminutionem patiuntur sicuti cætera legata in casu insufficientiæ hæreditatis, ut probant *de Franch. decis.*236. *num.*1., *ibique Carol. Anton de Luc. in addit. num.*1, cum pluribus relatis per *Ansald. in adnot. ad decis.*66. *num.*31. *tom.* 1., Et quoad beneficium Inventarii ponderandum occurrit, quod solutiones factæ primovenientibus cum ignorantia potionum

rum liberant hæredem ab actione personali ; sed non adimunt Creditoribus, vel Legatariis potioribus hypotecam super bonis defuncti possessis etiam ab hærede, qui retentionem non habet pro solutione facta posterioribus, vel minus privilegiatis, ut distinguendo firmat post alios *Rota in dicta decis.11. num.12. ad fin. de invent. coram Falconer.*

Poterunt itaque EE. VV. deliberare.

An constet de deficientia Bonorum quondam Jacobi Ambrosini, itaut per ejus Hæredes legitime cessatum fuerit ab adimplemento annui legati relicti in Ecclesia Parochiali Gambellariæ, in casu &c.

Negativè.

LEODIEN. VICARIÆ : Territorium Siunæ gallice *Chinne* Diœcesis Leodiensis alios non habet Incolas præter duas Familias, quarum una subest Ecclesiæ Parochiali de *Villers Gambos*, altera Parochiæ Loci *De Suricæ* ; Decimæ autem ejudem Territorii percipiuntur a Monasterio Broniensi, illiusque Abbate nunc Episcopo Namurcen, vigore antiquissimæ Donationis Monasterio factæ anno 1190. a Gerberga Nobili Matrona Loci *De Surice*. Proxima huic Territorio Siunæ extat Villa *De Merlemont* trigintaquatuor numerans Familias, quæ pariter Ecclesiæ Parochiali de Villers Gambos subjectæ sunt. Anno autem 1754. conquesti sunt apud Eminentissimos PP. Incolæ utriusque Villæ de aspero, & longo itinere per dimidiam leucam inter Loca prædicta, & Ecclesiam Parochialem *De Villers Gambos*, Vallibus, Rupibus, & Aquarum inundationibus obsito, præsertim hyberno tempore, itaut Pueri ad illam accedere non possint pro addiscendis rudimentis Fidei, & Adulti plerumque decedant sine Sacramentis, juxta plurimos casus enunciatos in jurata Scabinorum, aliorumque attestatione in præmissarum comprobationem exhibita ; præces itaque adjungebant, ut cogerentur Decimatores assertæ antiquæ Parochiæ de Siuna ædificare prope Castrum *De Merlemont* Ecclesiam Parochialem, eamque de Vicario perpetuo cum debita congrua providere. *Sess.21. cap.4. de Ref.*

Dum literæ datæ sunt ad nuncium Apostolicum Coloniæ, ut votum suum aperiret, & Decimatoribus, ac Parocho terminum præfigeret ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, crebro redierunt Incolæ ad Amplissimum hunc Ordinem flagitantes urgeri Nuncium pro sollicita relatione, ut evenisse constat ex regestris Secretariæ diebus 23. Augusti 1755., & 26. Junii 1756. 17 Septembris 1757., & 22. Junii 1758. Nuncius interea semel iterumque rescripsit, se pluries monuisse Incolarum Agentem, illique terminos assignasse ad eos certiorandos, sed nihil unquam ab istis responsum fuisse ut Agens ipse confirmat suo juramento. Dudum ad, venit postrema Nuncii relatio, nempe die 2. Decemaris superioris anni; attamen hucusque Recurrentes illam inspicere neglexerunt, & ignotum est, an aliquem in *Urbe* constituerint Procuratorem.

Instant itaque Decimatores Siunæ pro Causæ definitione, non obstante Incolarum contumacia; & multis rationibus defendunt, cogendos ipsos non esse ad erectionem Vicariæ in Villa *De Merlemont*, cujus Decimas, non ipsi, sed alii percipiunt; negant pariter longum, & impervium esse iter ad Ecclesiam Parochialem *De Villers Gambos*, aut deficere in eadem Villa Cathechesim, & Sacramentorum administrationem, juxta documenta, quæ circumferuntur; Asserunt denique, binas Familias, quæ in Territorio Siunæ commorantur, proximas esse respectivis Ecclesiis Parochialibus, quibus subsunt, nullamque inibi fuisse antiquam Parochiam; quæ tamen post longam annorum seriem nec etiam foret reædificanda, ut in similibus terminis definitum est ab hac Sacra Congregatione in *Sedunen*. 11. *Junii* 1718. *lib*.68. *Decr. pag*.229.

Quocirca expediendum erit ab EE. VV.

An Decimatores Territorii de Siuna, vulgo de Chinne teneantur ædificare Ecclesiam Parochialem, eamque de Vicario perpetuo, aliisque necessariis providere, in casu &c.

Non proposita.

IN-

INDEX
CONCLUSIONUM , ET RESOLUTIONUM OMNIUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

Paro-

P

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGR. CONCILII

Quæ conſentanee ad Tridentinorum PP. Decreta, aliaſque Canonici Juris Sanctiones,

MUNUS SECRETARII EJUSDEM S. CONGREGATIONIS

OBEUNTE

R. P. D. SIMONETTO

PRODIERUNT

In Cauſis ſub Annum 1760. propoſitis,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprimè utilis, & neceſsarius.

TOMUS VIGESIMUSNONUS

DUPLICI INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLX.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI

IN PLATEA AGONALI AD VICUM CUCCAGNÆ.


SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SANCTISSIMI.

INDEX ALPHABETICUS

Causarum Omnium per Diœceses dispositus.

Leo-

Die Sabbathi 12. Januarii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.



RACOVIEN. PIORUM OPERUM INADIMPLEMENTI. Species hujus Cauſæ relata eſt in Folio Congregationis habitæ die 12. Maii ſuperioris anni, ſed nulla tunc capta reſolutione, propoſita fuerunt in Congregatione habita die 21. Julii duo illius Dubia, quæ ſunt: I. *An ſententia Curiæ Epiſcopalis ſit confirmanda, vel infirmanda, in caſu &c.* II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, in caſu &c.*, quibus reſponderunt Eminentiſſimi Patres: *Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & ad mentem: & mens eſt, ut ſcribatur Epiſcopo Cracovienſi, ut auctoritate ſua Ordinaria enixe incumbat pro implemento operum piorum, & certioret S. Congregationem. Ad II. Affirmative per viam nullitatis.* Impetrata vero nova audientia, Parochus Zborovecenſis binas inde obtinuit dilationes in Congregatione habita die prima præteriti menſis Septembris, & in Congregatione habita die 24. Novembris. Denuo itaque repreponitur, ut ab EE. VV. definiri valeat. *Seſſ. 21. cap. 8. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

CÆSENATEN. INDULTI. Adverſus indultum a Canonico Joanne Caſimiro Ugolino impetratum, ut menſibus hyemalibus poſſet celebrare in alia commodiori Eccleſia Miſſam quotidianam Cappellaniæ, quam obtinet, inſtitutæ ad Altare Sancti Antonii Abbatis in Eccleſia Hoſpitalis, & Conſervatorii Puellarum Cæſenæ, reclamarunt ejuſdem Conſervatorii Puellæ apud SS. D. N., allegantes exorbitantiam Gratiæ, quæ ipſis aufert commodum audiendi quotidie Sacrum, illiuſque obreptionem ob reticitam in precibus Ugolini facultatem celebrandi per alium expreſſe conceſſam in Cappellaniæ fundatione; Remiſſiſque Puellarum precibus ad ampliſſimum hunc Ordinem, Dubium propoſitum eſt in Congregatione habita die 24. Nov. pro- *Seſs. 22. decr. de evitand. et obſerv. in Sacrif. Miſs.*

xime præteriti, quo quærebatur -- *An indultum sit exequendum, in casu &c.*, cui placuit Eminentissimis Patribus respondere: *Negative*.

Obtinuit Ugolinus novam audientiam, & nunc disputat, exequendum esse indultum, cum agatur de gratia jam facta, quæ rescindi non debet sine manifesta obreptione, vel subreptione: istamque deduci non posse a reticentia facultatis celebrandi per alium, quæ apprime innotuit ex particula Testamenti pii Fundatoris transmissa ab Episcopo, antequam fieret relatio precum SANCTISSIMO, ut perpendit *Rota in Juvenacen. Jurisdictionis* 28.*Martii* 1732. §.5. *&* 22.*coram clar.mem. Card. Millin.*: immo sufficere, non fuisse expressum contrarium, ut obreptitia dici nequeat gratia ob reticitam facultatem celebrandi per alium, quæ de jure inest in quibuscumque Cappellaniis, seposita contraria lege fundationis, ad tradita per *Rigant. ad Reg. Canc. to.2. reg.*24. §.5. *n.*67.

Exorbitantiam gratiæ minus subsistere contendit, quia in Ecclesia Conservatorii celebratur alia Missa quotidiana ex legato Luciæ Maraldi, & quatuor alia Sacrificia *ad libitum in qualibet hebdomada* offeruntur, præter Missam celebrandam in singulis diebus Festis B.Mariæ Virginis, aliasque plures ex manualibus eleemosynis infra annum adimplendas: inspecta potissimum qualitate Conservatorii sine clausura, ob cujus defectum Puellæ interesse possunt Missæ Sacrificio etiam in Ecclesiis propinquis; potiusque dicendam esse æquissimam, attenta ipsius Ugolini cæcitate, qua impeditur commode accedere ad dissitam Ecclesiam Sancti Antonii Abbatis: & attenta illius inopia, cum habeat in reditu ex bonis Ecclesiæ tantummodo annua sc.184. 32. provenientia ex fructibus Præbendæ Canonicalis, hujus Cappellaniæ controversæ, & alterius Cappellaniæ possessæ in Ecclesia Cathedrali, itaut deductis oneribus, & eleemosyna hujus Missæ quotidianæ, vix supersint scuta centum haud sufficientia pro necessariis alimentis, præsertim Viro Nobili, & Cæco, cui foret inhumanum redditus imminuere, ut per *Textum in cap. licet de censibus* tradit *Fagnan. in cap. cum percussio de cleric. ægrot. n.*11.

Subdit denique, nihil præjudicari voluntati Testatoris, qui nec sepultus est in Ecclesia S. Antonii Abbatis, nec illam prædilexisse videtur, ob deficientiam cujuscumque Altaris privilegiati; & proinde satis consultum esse per applicationem Sacrificii in illius suffragium, non curato celebrationis loco, ut censent *Amostaz de Causis Piis lib.2. cap.5. num.*18., *Barbos. de offic. & potestat. Episcopi par.2. alleg.*24. *num.*15., aliique in libello Ugolini allegati.

Hæc Ugolinus; quæ autem recurrant favore Puellarum, late exposita sunt in Folio dictæ Congregationis habitæ die 24. Novembris, quod reassumere EE. PP. non dedignabuntur, ut decernere possint.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

DER-

DERTHONEN. VISITATIONIS. Ad effectum parandi defensionem in Causa, quæ XXV. collecta Dubiis descripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 12. Maii elapsi anni, dilationem postularunt Confratres S. Rocchi Oppidi Vigueriæ, illamque benigne indulserunt EE. PP. tum ea die, tum in alia Congregatione habita die 22. Septembris, tum postremo in Congregatione habita die 24. Novembris proxime effluxi, quo præcipua referre duximus colluctationis capita excerpta ex libellis, & summariis distributis a Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Sodalium contradictore. Prodiit tandem illorum defensio, juxta libellum circumferendum; unde causam reproponimus, aliqua iterum addentes circa exceptiones deductas a Sodalibus.

Sess. 7. cap.8. Sess.22. cap.8. & 9. Sess.24. cap.9., & 10. Sess.25. cap.8. de refor.

Primum controversiæ caput, ut innuimus in Folio Congregationis diei 24. Novembris præteriti, respicit Jurisdictionem Episcopi in Ecclesis Regularium, præsertim a Claustro separatis, & in quibus erectæ sunt Confraternitates Laicorum; super quo excipiunt Sodales, quod prænotavimus in eodem Folio, Ecclesias subjectivè unitas Regularibus, uti est Ecclesia S. Rocchi, nequaquam subesse Visitationi Episcopi, etiamsi eisdem deserviatur per Seculares: & idem esse quoad Hospitalia Regularibus subjecta, juxta censuram S. Concilii Tridentini *sess.25. cap.8. de reform.*, quam exornat *Fagnan. in cap. ad hæc num.47. ad 54. de relig. domib.*; quin immo defendunt, nec ipsum Sodalitium visitari posse, quia ex conventionibus initis cum PP. Dominicanis, quibus Ecclesia S. Rocchi subjective unita est, nudum ministerium tribuitur Sodalibus, sine ulla participatione dominii, vel proprietatis -- *sopra tal Ospedale eretto, ed edificato da loro, o sopra entrate, legati, ed elemosine, che si lasciaranno*, ut de simili Confraternitate in Ecclesia Dominicanorum erecta, & nihil proprii habente, definivit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, ut refert *Lezana in sum. part.2. cap.15. sub num.27.*, & aliàs definitum fuit ab hac S. Congregatione in *Nullius, seu S. Severini Jurisdictionis* 4. *Februarii* 1719. *ad III. Dub. lib.69. decr. pag.37.*

Ad rem pariter facere videntur resolutiones hujus S. Congregationis editæ in *Salutiarum Juris Visitandi*, in qua cum ageretur de Ecclesia Regularium a Claustro separata, & in decursu centum annorum pluries visitata ab Episcopo, qui postremo illam supposuit interdicto ob resistentiam ultimæ visitationi factam a Regularibus, in Congregatione habita die 17. Julii 1756. duo proposita fuerunt Dubia: *I. An competat Episcopo jus Visitandi Ecclesiam, seu Cappellam S. Antonii de Padua Carmignolæ, in casu &c. II. An substineatur interdictum*, & in sequenti Congregatione habita die 7. Augusti ejusdem anni responsum fuit: *Negative ad utrumque -- lib.106. decr. pag.246. & 273.*

In alia autem Causa *Ariminen.*, cum quæsitum fuisset -- *An solum, in quo ædificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariæ de Paradiso, & S. Josephi, spectet quoad utile Dominium ad Societatem Sancti Jose-*

Josephi, seu potius ad PP. Minores Conventuales? Sacra Congregatio die 22. Novembris 1755. rescripsit -- *Spectare ad Societatem quoad usum tantum -- lib.*105. *decr. pag.*396. *ad VI.Dub.* Et rursus propositis aliis Dubiis in Congregatione habita die 7. Augusti 1756., quorum *I. An Episcopus possit privative, seu cumulative visitare dicta duo Oratoria, eorumque Altaria, & omnia adnexa?* & *V. An dicta Societas S. Josephi subjecta sit Episcopi jurisdictioni, itaut teneatur exequi ejus mandata, & decreta, quæ etiam extra Sacram Visitationem edi contigerit pro bono regimine?* responsum fuit -- *Ad I. Visitare posse cumulative quoad ea tantum, quæ spectant ad Societatem. Ad V. Affirmative in iis, quæ spectant ad Societatem, & amplius in omnibus*, ut in *lib.* 106. *decr. pag.*273. His præmissis, perpendendum erit, num præsupposita in Confratribus sola competentia usus Ecclesiæ, quodque erga eam, & Hospitale se gerant tamquam ministros, & famulos Patrum Prædicatorum, quorum favore stipulata est etiam acquisitio reddituum, legatorum, & eleemosynarum relinquendarum, suffragari possit Ecclesiæ exemptio a Jurisdictione Ordinarii, non obstante illius concessione facta præfatis Confratribus.

Quoad alterum controversiæ caput respiciens mutuas Sodalium, & Dominicanorum obligationes ad formam Instrumentorum, quæ stipulata sunt anno 1577., & anno 1621. pro concessione usus Oratorii, & Hospitalis favore Confratruum, excipiunt isti, nequivisse Episcopum controversias dirimere in Sacra Visitatione nullo servato juris ordine, ad tradita per *Fagnan. in cap. dilectus n.*26. *de rescript.*, & ulterius contendunt, quod eadem Instrumenta falso nituntur supposito pertinentiæ Oratorii, & Hospitalis ad PP. Dominicanos, quibus unitum fuit anno 1497. per Literas Apostolicas Alexandri VI., cum tamen apertissima sit ejusdem unionis subreptio, cujus vigore corruit titulus Dominicanorum non obstante tricentenaria observantia, itaut Oratorium cum Hospitali regredi debeat ad pristinum statum sub cura, & administratione Communitatis, quæ cessit sua jura ipsi Sodalitio. Quæ tamen si subsisterent, inutile foret differere de cæteris Capitibus regimen, & administrationem Sodalitii concernentibus: quia sublato dominio Regularium, & consequenter exemptione, omnia remanerent subjecta ordinationi, & dispositioni Episcopi, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.*25. *cap.*8. *de ref.*

Præsentientes Confratres mox relatæ animadversionis vim, ac Instrumentorum efficaciam, paratos sese esse profitentur, ad observantiam conventionum concernentium celebrationem Missarum, & receptionem eleemosynarum, aliorumque pactorum initorum cum Dominicanis, dummodo adimpleantur etiam ex parte Dominicanorum, præsertim quoad promissam manutentionem Sodalium, illorumque defensionem in quibuscumque litibus cum Ordinario; cum deceat inter paciscentes mutuam fidem servari, ut de pactis inter Religiosos, & Confratres initis monet *Lezan. in Sum. tom.*1.*part.*2. *cap.*15. *num.*69. & 70.

Sed

Sed eodem contextu, se contendunt subtrahere ab onere incumbendi exercitio hospitalitatis sumptibus propriis, eosque refundere conantur in Patres Prædicatores vigore decreti lati a Vicario Generali in Visitatione anni 1673.; super quo ceteroquin ad conciliandas pugnantes argumentationes advertendum est, aliud esse quod redditus Hospitalis nequiverint eximi ab intrinseco onere manutentionis Hospitalitatis, quo sunt affecti, in modum ut negligentibus Confratribus onus assumptum implere, teneantur ad tale implementum etiam PP. Prædicatores: & aliud quidem esse, quod Confratres non potuerint idem onus in se assumere, & ad ejusdem implementum cogi non debeant, ubi ad tale onus eorum porrigatur obligatio.

Quantum ad legatum librarum 9000. PP. Prædicatoribus relictum vigore Testamenti Antonii Mariæ Bonamici præseferentis pœnam caducitatis favore Hospitalis in casu inadimplementi onerum injunctorum, ex depositione plurium testium, & tabella Missarum insinuare curant Confratres, PP. Dominicanos injunctæ obligationi non respondisse.

Negant etiam Confratres onus injungi potuisse ab Episcopo, ne Sodales reciperentur in fidejussores Pauperum accipientium Frumentum a Monte Frumentario, neve Frumentum distribuatur, nisi Pauperibus habentibus attestationem Parochi, quam non esse necessariam definivit S. Congregatio in *Vasionen. Distributionis Eleemosynæ* 24. *Aug.* 1743. *lib.* 93. *decr. pag.* 395.: minusque præcipere potuisse, ajunt, ut Missæ adimplerentur ultra modum fructuum profluentium a legato relicto a quondam Carolo Vincentio Salvi, cum hujus acceptatio expressam habeat conditionem cessationis oneris ad ratam jacturæ, vel evictionis fundi legati: sed videndum an probetur jactura Capitalium.

Eliminandas non esse defendunt Consorores *Peregrinas* nuncupatas, aut eis vetandum associari Cadavera sub speciali vexillo; quia utriusque sexus Confraternitas legitime erecta fuit anno 1577. a PP. Dominicanis vigore facultatum ipsis tributarum in Constitutione 130. *S. Pii V.*, nihilque repugnat duplicitas nominis, quod Sorores appellentur *Peregrinæ*, Confratres autem nuncupentur Sodales *Sanctissimi Nominis Dei*, *&* *Jesu*, ut practicè notat *Ursaja discept.* 21. *num.* 42. *tom.* 1. *par.* 2.: associationem vero cadaverum permissam reputant ex universali consuetudine Regionis, qua Mulieres Sodalitiis adscriptæ sub proprio vexillo Funeribus interveniunt, prout admittitur servare etiam Mulieres, quæ nomen dederunt Societati Doctrinæ Christianæ.

Demum interdicti nullitatem allegant ex defectu jurisdictionis non minus, quam ex defectu ordinis, & causæ; indeque inferunt, nec solvendam esse Dominicanis eleemosynam Missarum celebratarum in alia Ecclesia tempore interdicti, nec ipsos Sodales incurrisse in censuras, aut cogendos esse petere absolutionem. Qua tamen in re animadvertendum est, posse Episcopum, in casu permissæ Visitationis, exequutionem suorum decretorum præcipere sub pœna censurarum, ut respondit hæc Sacra Congregatio in *Calaguritana Visitationis* 18. *Junii* 1701. *ad VII. Dub. lib.* 51. *decr. p.* 306. *&* 338., *in Nullius*, *seu Cala-*

 gurita-

guritana Visit. 24.*Jan.*, *&* 16.*Maii* 1705. *l.*55. *dec.p.*25.*&* 175. *& in Aprutina Visitationis* 18. *Junii* 1705. *lib.*55. *decr. p.*263.; quo casu nullus requiritur ordo, præter nudum præceptum adimplendi sub pœna censurarum ipso facto incurrenda, ut monet *Thesaur. de pœn. Eccles.part.*2. *verb. censura vers. declar.*2., nullaque desideratur causa, præter nudam Contraventionem præcepto, cujus respectu posse Ecclesiastico interdicto subiici Ecclesiam exemptam, quæ administratur a contraventoribus subditis Episcopo, tenent *Card. de Luca de Jurisd. discurs.*100. *n.*18. *in supplem.*, *& Monac.form.legal.tom.*3. *tit.*3.*form.*6.*n.*12.

Reliquum est quod EE. PP. perpendant, an urgeat defectus jurisdictionis, & an Confratribus quoad censuras suffragari valeat jus, quod sibi asserit Tribunal Metropoliticum Mediolanense decernendi appellationes etiam in causis per Suffraganeos jure delegato vigore Concilii expeditis, quod erui contenditur ex Codice Rituum illius Curiæ edito anno 1718. Hisque perpensis definiendum erit.

I. *An Episcopus Derthonensis possit tamquam Delegatus Apostolicus visitare Hospitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ Diœcesis Derthonensis, ac etiam Montem Frumentarium, et Sodalitium sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu in eodem Oratorio erectum, ac etiam Cappellam S. Annæ, & integram Ecclesiam, seu potius Visitatio facta anno* 1754. *sit circumscribenda in casu &c.*

II. *An Patres S. Mariæ Pietatis per consensum ab ipsis præstitum dictæ Visitationi, & præsertim Interdicto lato contra d. Ecclesiam, male se gesserint, & qua pœna sint puniendi, in casu &c.*

III. *An dicti Patres anno* 1497. *obreptitiè obtinuerint Breve a S. M. Alexandro VI. pro incorporatione dicti Hospitalis eorum Conventui, & quid sit providendum in casu &c.*

IV. *An Sodales dictæ Ecclesiæ S. Rocchi potuerint appellare ad Curiam Metropolitanam Mediolanen., & acta in ea facta sint circumscribenda, seu potius quomodo sit providendum, in casu &c.*

V. *An tam Ecclesia, & Hospitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ, quam Sodalitium in dicta Ecclesia erectum, ac Mons Frumentarius ibidem pariter existens, nec non bona, & redditus eorumdem sint sub Cura, Protectione, & dominio Conventus S. Mariæ Pietatis dicti Oppidi in casu &c.*

VI. *An Ministerium, quod Confratres habent d. Ecclesiæ, Hospitalis, Confraternitatis, ac Montis Frumentarii, eorumque bonorum, ac redditaum sit omnino dependens, subordinatum, & famulativum Patribus dicti Conventus, in casu &c.*

VII. *An Patres dicti Conventus habeant onus manutenendi Confratres in d. Ecclesia, eisque ubilibet favendi, necnon eosdem defendendi a quibuscumque, etiam ab Episcopo Derthonen., præsertim respectu ad Litem nunc vigentem super nullitate Visitationis ab eodem Episcopo peractæ anno* 1754., *& in casu renitentiæ, seu inobservantiæ dicti oneris, quomodo sit providendum in casu &c.*

An

VIII. *An Sodales prædicti ceciderint ab Administratione Hospitalis Peregrinorum, & prætensorum Bonorum respective ejusdem Hospitalitatis, in casu &c.* & quatenus negative.

IX. *An iidem Sodales teneantur Hospitalitatem Peregrinorum cum omnibus adnexis, & necessariis in viridem observantiam revocare, cæteraque contenta in Instrumento diei 29. Aprilis 1621. adimplere, sub pœna caducitatis ipso facto incurrendæ in casu inobservantiæ pactorum, in casu &c.*

X. *An dicti Patres teneantur tradere Confratribus redditus dicti Hospitalis, vel saltem aliquam eorum partem, & quatenus repugnent, quomodo sit providendum, in casu &c.*

XI. *An dicti Patres ceciderint a legato Librarum 9000. ipsis relicto a quondam Canonico Antonio Maria Bonamico, itaut factus sit locus substitutioni favore dicti Hospitalis, et dictorum Confratrum ejus Administratorum in casu &c.*

XII. *An Administratores Montis Frumentarii teneantur subministrare Triticum iis tantum Pauperibus, de quorum paupertate constat ex attestatione Parochi, in casu &c.*

XIII. *An in subministratione Frumenti recipi possint Sodales in Fidejussores in casu &c.*

XIV. *An Administratores redditum dd. Hospitalis, Oratorii, ac Montis Frumentarii teneantur reddere rationem de Administratis Priori dicti Conventus S. Mariæ Pietatis, in casu &c.*

XV. *An dicti Sodales debeant tenere librum peculiarem, in quo adnotetur adimplementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii, in casu &c.*

XVI. *An, & quam Missarum quantitatem iidem Confratres teneantur celebrari facere ratione Legati relicti a quondam Carolo Vincentio Salvi, in casu &c.*

XVII. *An ass. Peregrinæ, sive Consorores nuncupatæ sint eliminandæ a d. Confraternitate, in casu &c.*, & quatenus negativè.

XVIII. *An eædem Mulieres possint associare Cadavera, in casu &c.*

XIX. *An Eleemosynæ manuales Missarum a piis Benefactoribus datæ reponi debeant in Capsula, & una Clavis ejusdem Capsulæ retineri dèbeat a Priore Conventus ad formam Capituli 7. Instrumenti diei 2. Decembris 1577. in casu &c.*

XX. *An in Oratorio S. Rocchi admitti possint ad celebrandum tam Sæculares, quam Regulares absque licentia Prioris Conventus contra formam Cap. VIII. dicti Instrumenti, in casu &c.*

XXI. *An in casu inobservantiæ d. Capit. 8. Confratres cadere debeant, ab usu d. Oratorii, seu potius alia pœna multandi sint, in casu &c.*

XXII. *An Eleemosynæ Missarum provisionaliter celebratarum a Religiosis Conventus S. Mariæ Pietatis in eorum Ecclesia tempore Interdicti Oratorii sint satisfaciendæ a Confratribus, in casu &c.*

XXIII. *An constet de Validitate Interdicti Oratorii S. Rocchi?* & quatenus affirmative.

XXIV. *An Confratres ceciderint in Censuras ob assertum spretum d. Interdicti in casu &c.*

XXV. *An sit d. Oratorium absolvendum in casu &c.*

Reliquæ non propositæ.

Seſs.24. c.13. de Ref.

BAREN. CONGRUÆ, ET EXPENSARUM. Poſtquam declaratum fuit ab EE. PP. in Congregatione habita die 28. Augusti 1756., & rurſus in alia Congregatione habita die 3. Decembris 1757., *Curam habitualem Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Nojæ eſſe penes Capitulum, actualem vero penes Archipresbyterum*, curavit Archipresbyter duo alia ſubſcribi Dubia ſuper præſtatione congruæ, & contributione expenſarum; quæ cum fuerint propoſita in Congregatione habita die 1. Sept. ſuperioris anni, nulla prodiit reſolutio ob dilationem conceſsam Capitulo, ad cujus inſtantiam denuo reſcriptum eſt in Congreg. habita die 24. Novembris proxime præteriti -- *Dilata ad primam poſt Reges*. Obtemperantes itaque mandatis EE. VV., cauſam reproponimus, & folio die 1. Septembris mox elapſi anni diſtributo ſequentia ſuperaddere ducimus, ob ſuperventum libellum Capituli.

Contendit Archipresbyter, ſibi aſſignandam eſſe congruam ratione Curæ actualis, quam exercet, illamque deberi a Capitulo, cui habitualem curam attribuit hæc Sacra Congregatio, ad tradita per *Card. de Luc. de Paroch. diſc.*20. *n.*3. Eam taxandam eſse prætendit in ſcut.100., quantum Rectoribus præſervat in caſu imponendæ penſionis Sacrum Concilium Tridentinum in *ſeſs.*24. *cap.*13. *de Reform.*, cujus cenſuram locum habere etiam quoad Dignitatem Eccleſiæ Collegiatæ curam animarum exercentem, declaravit hæc Sacra Congregatio in *Aquilana* 19. *Junii* 1649. *lib.*18. *decret. pag.*633., *& Rota in deciſ.*165. *n.*16. *par.*17. *recent.* Et cenſet, in Congruam imputari non poſse fructus Præbendæ, quos percipit ratione aſſiſtentiæ Divinis Officiis, aut Emolumenta Stolæ, quæ ſunt incerta, juxta firmata per Rotam in *Ferrarien. Congruæ* 28. *Mart.* 1735. §. *fin. coram Eminentiſſimo Creſcentio*.

Excipit autem Capitulum, nil eveniſse, cur aſſignanda ſit nova Congrua Archipresbytero, cum non agatur de aliqua Parochiali noviter erecta, ſed de antiqua cum eodem redditu a pluribus prædeceſsoribus, & ab ipſo Archipresbytero Petroni acceptata, & diu ab anno ſcilicet 1741. retenta, in qua hypotheſi inapplicabilis conclamatur diſpoſitio Concilii Tridentini in citata *ſeſs.*24. *cap.*13. *de Reform.*, & Conſtitutionis *S. Pii V. la* 47.: Adſtipulantibus potiſſimum depoſitionibus teſtium ſuper ſufficientia reddituum perceptorum pro honeſta illius manutentione, & acquiſitionibus prædiorum ex ſuperfluo factis non obſtante onere penſionis ab eodem Archipresbytero perſolutæ. Reſolutiones vero Sacræ hujus Congregationis declarantes, curam habitualem eſſe penes Capitulum, actualem vero penes Archipresbyterum, ſubditur, novum jus Partibus non tribuiſſe, ſed juris competentiam explicaſſe, ut firmant *Barboſ. de Canon. & Dignit. cap.*23. *num.*2., *& Garzias de Beneſic. part.*3. *cap.*2. *num.*197. *&* 199.: proindeque Archipresbyterum debere eſſe contentum antiqua Congrua, quam ipſe, ſuique Anteceſſores ab immemorali perceperunt, *Rebuff. de*

Con-

Congrua quæst.12. num.92., *& Rot. coram Mantic. decis.22. num.1.*

Negat insuper quoad Congruã antiquã faciendam esse deductionem onerum, aut incertorum: vel locum esse augumento, si omnibus computatis Congrua sufficiat pro decenti Rectoris sustentatione, ut respondit hæc S. Cong. *in Monopolitana Congruæ 7. & 28. Septem.*1737. *ad III. Dub. lib.*87. *decr. p.*352.&387., *& in Policastren.* 13. *Septembris* 1738. *ad II. dubium lib.*88. *decret. pag.*397.

Et tandem concludit Capitulum, non debere Archipresbyterum Capitularibus invidere, quod admittantur ad participationem aliquorum Curæ Emolumentorum, nec duplicatam prætendere posse portionem relative ad duplex onus servitii Chori, & Curæ; siquidem novum non est, quod ubi Cura habitualis spectat ad Capitulum, emolumenta Curæ sint repartienda inter Capitulares, & exercentem Curam actualem, qui tempore, quo incumbit oneribus Parochiæ, exemptus est a servitio Chori, & lucratur beneficii redditus, pro quibus assequendis reliqui Canonici Choro, cæterisque muneribus Capitularibus inserviunt, ut advertit *Rota cor. Celso decis.*135. *num.*4. *&* 5., *& cor. Cerr. decis.*450. *n.*11. *&* 12.

De expensis autem putat Capitulum, eas subduci posse a Massa Communi, quamquam lis agatur cum Archipresbytero, & firmatis per *Scarfant. ad Ceccoper. lib* 4. *tit.*13. *n.*13., sed Archipresbyter negasse, ait, hanc Sacram Congregationem deductionem expensarum ex Massa communi pro lite agitata cum altero Capitulari *in Leodien. Indulti* 28. *Augusti* 1751. *lib.*101. *decret. pag.*415., cui addi potest alia resolutio in *Mediolanen.* 9. *Febr.*, *&* 26. *Apr.*1732. in qua in nostris terminis litis vertentis inter Capitulum habens Curam habitualem, & Præpositum obtinentem Curam actualem super pertinentia jurium, & emolumentorum Curæ, disputato Dubio XX. *An hujus litis expensæ tam factæ, quam faciendæ solvi debeant ex massa Capitulari, in casu &c.* S.Congr. respondit: *Ad XX. Negative. lib.*82. *dec. pag.*65. & 197.

His perpensis definiendum erit ab EE. VV.

I. An residente Cura habituali penes Capitulum Terræ Nojæ, Archipresbytero, apud quem existit Cura actualis, debeatur Congrua, in qua summa, & ex quibus redditibus, seu potius portio duplicata, in casu &c.

II. An expensæ in toto decursu Causæ tam factæ, quam faciendæ, sint desumendæ a Massa Capitulari, seu potius erogandæ a Canonicis particularibus, in casu &c.

Seſſ.21. cap.7. de Ref.

CIVITATIS CASTELLI TRANSLATIONIS. In Diœceſi Civitatis Caſtelli exiſtunt duæ Parochiales Eccleſiæ ſub invocatione una *S. Fauſtini*, altera *S. Blaſii de Balneolo*, per tria circiter millia paſſuum inter ſe diſtantes, quælibet habens diſtinctum Populum, & ſeparatum Territorium: utraque tamen regitur ab uno Parocho, qui cum reſideat in commodiori Domo Eccleſiæ S. Fauſtini, tenetur alternatim accedere ad aliam Eccleſiam Parochialem S. Blaſii, ibique Sacra peragere; unde colligitur fuiſſe olim Eccleſias præd. ad invicem unitas. Nuperis autem temporibus Marchio Nicolaus Galeotti Latifundium poſſidens nuncupatum *Montis S. Valentini* intra fines utriuſque Parochiæ, Eccleſiam prope ſuam domum in cacumine Montis ædificavit oblongam *ped.*23., & latam *ped.*20., apud quam idem Marchio Galeottus per aliquot anni menſes moram trahit.

Cumque præfatarum Eccleſiam Rectoris nomine preces inde oblatæ ſint huic Sacræ Congregationi, ibique pluribus expoſitis cauſis peteretur, ut fieret translatio Parochiæ *S. Blaſii* in novam Eccleſiam Montis Valentini, ſub die 23. Auguſti 1755. poſt auditam Epiſcopi relationem ſuper ſtatu ruinoſo Eccleſiæ S. Blaſii, difficili ad eam acceſſu, ac novæ Eccleſiæ vicinioritate, ac ſufficienti capacitate, remiſſa fuit Translatio *Arbitrio Epiſcopi*: & in eodem ſenſu perſtititum eſt die 15.Apr.1758., in qua rejectis precibus Parochianorum nomine porrectis, reſcriptum fuit *Epiſcopo, qui procedat ad ulteriora juxta reſcriptum an.*1755. Sed adhuc non acquieſcentibus Parochianis, cauſa nunc definienda proponitur in contradictorio Partium.

Contendit Parochus, ſubſtineri translationem, nec eſſe recedendum a deciſis; quia Eccleſia S. Blaſii pene fatiſcens indiget expenſa ferme ſcut.150. pro reſtauratione, cui cum occurrere nequeat Parochus percipiens ex illius redditibus annua dumtaxat ſc.30., nec ſupplere poſſint Parochiani ſumma egeſtate laborantes, adhibendum eſt remedium translationis, juxta cenſuram S. Conc. Trid. *ſeſſ.*21. *cap.*7. *de Ref.*; Maxime, cum longum trium milliarium iter, quo Eccleſia S. Blaſii diſtat ab illa S. Fauſtini, impervium ſit, pluribuſque Rivis interciſum, itaut ſibi, Parochianiſque S. Fauſtini difficillimus, & valde incommodus pateat acceſſus ad Eccleſiam S. Blaſii, quæ inſuper inundationibus proximi Torrentis Carpini expoſita eſt: Idque conferre ad Parochialis translationem probare nititur per *Gloſ. in can. Eccleſias* 16. *q.*7., *Murga de Benef. q.*8. *n.*22., *&* *Lap. alleg.*69. *n.*1. *& ſeq.* Denique addit, translationem eſſe factam de conſenſu Epiſcopi, Parochi, & Patroni novæ Eccleſiæ, illique conſentire *quindecim* Parochianos Eccleſiæ S. Fauſtini, & *decem* Parochianos Eccleſiæ S. Blaſii pro diebus, quibus ad iſtam accedere Parochus debuiſſet: neque curandum eſſe de aliorum prope eamdem Eccleſiam S. Blaſii habitantium Parochianorum incommodo, cum iſti adire etiam poſſint ad Sacrum audiendum conterminas Parochiales Eccleſias *delle Carpine*, & *di Nogna*: præſertim cum ad ſubſtinendam translationem jam factam proclivis

clivis

clivis esse soleat hæc Sacra Congregatio, juxta resolutiones editas in *Æsina Translationis Ecclesiæ Patochialis* 7. *Decembr.* 1709. *lib.*59. *decr. pag.*393., *& in Tudertina Beneficii* 8. *Aug.* 1741. *lib.*91. *decret. pag.* 549.

Parochiani autem S. Blasii, pluribus oppositis Testibus, negant satiscentem esse eorum Ecclesiam, idque confirmant ope relationis Peritorum a Parocho exhibitæ, quæ vix enunciat Ecclesiæ Tectnm rude compactum, Pavimentum lapideum in parte disruptum, & Parietes denigratos, non autem ruinosos esse. Negant sibi, aut Parocho præscriptam unquam fuisse Ecclesiæ reparationem, si qua opus est, nec ideo procedi potuisse ad translationem. Et multorum testimonio defendunt commodum esse iter, quod intercedit inter duas Ecclesias Parochiales S. Blasii, & S. Faustini. Potissimum vero conqueruntur de inæqualitate servata inter ipsos, & Parochianos S. Faustini, quibus ut consulatur, non debet ipsis præjudicari; asserunt, incommodum, si quod erat ex distantia itineris, reciprocum fuisse tum Parochianis S. Blasii accedendo ad Ecclesiam S. Faustini, tum istius Parochianis accedendo ad Ecclesiam S. Blasii, quando vicissim in ea Sacrum agebatur: nunc vero totum incommodum relictum esse Parochianis S. Blasii, qui nunquam assequentur spirituale pabulum,administrationemqueSacramentorū inEcclesia vicina, sed accedere debebunt ad Sacrum audiendum, & Sacramenta recipienda ad angustam Ecclesiam Montis Valentini dissitam per duo milliaria; indeque inferunt circumventos fuisse *decem* Parochianos, qui consentire affirmant prætensæ translationi ipsis semper nocituræ, cum intolerabili præjudicio aliorum Parochianorum, qui longius absunt, quique ad se redimendum a præfato gravi incommodo, juxta sententiam quoque contradictoris Parochi, adire coguntur alienas Parochiales, ut Sacrum audiant diebus Festis. Nullam denique putant habendam esse rationem de translatione jam sequuta, tum quia id de facto tantum processit, non autem ex legitimo Episcopi decreto, quod hactenus allatum non est: tum quia non præcessit legitima Parochianorum citatio omnino requisita, ad tradita per *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg.*68. *num.*4.

Quibus attentis expediendum erit ab EE. VV.

An sustineatur translatio, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess.24. c.12. vers. Præter. de ref.

SENEN. JUBILATIONIS . Alexander Bandinelli Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ post assequutam Jubilationem die 28. Novemb. 1757. ex indulto Sacræ hujus Congregationis, petiit a Capitulo, ut eximeretur ab onere consueto celebrandi per turnum Missam Conventualem, votique compos factus est die 4. Augusti 1758., sub conditione tamen, quod firma esset de cetero Capitularis resolutio diei 18. Septembris 1754., *ut ex distributionibus provenientibus ab effectibus Hæreditatis Capacci solveretur quotidie Eleemosyna dictæ Missæ Conventualis*.

Eamdem insuper exemptionem declarari postulavit Bandinellius ab hac Sacra Congregatione quoad applicationem quoque ejusdem Missæ Conventualis. Qua occasione auditus Archiepiscopus, transmisit libellum sibi a Capitulo porrectum pro ratificatione exemptionis concessæ Bandinellio, ut supra, cum declaratione *quod non intelligebat proinde eum eximere ab onere contribuendi expensis quotidianæ Eleemosynæ pro Missis Conventualibus*.

Sollicitus ergo fuit Bandinellius oraculum Sacræ Congregationis exposcere, nedum super celebratione, & applicatione Missæ, sed etiam super contributione illius eleemosynæ a Capitulo prætensa, juxta præmissam declarationem. Quocirca duo proponi curavit dubia in amplissimi hujus Ordinis Congregatione habita die 12. Maji superioris anni: *I. An Canonicus Jubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam Conventualem per turnum, eamque applicare pro Benefactoribus in casu &c.* & quatenus negative. *II. An Canonicus Jubilatus teneatur contribuere Eleemosynæ Missarum Conventualium in casu &c.*; Et utrique dubio responderunt Eminentissimi Patres -- *Negative* -- iterumque in Congregatione habita die 21. Julii rescriptum est *In decisis, & amplius*.

Redit nunc Capitulum, haudquaquam impugnas præteritas resolutiones, quarum justitiam laudat; Sed alia tria proponit dubia, quorum subscriptionem demandarunt EE. VV. in Congregatione habita die 11. præteriti Mensis Augusti, illisque disputat, eleemosynam Missarum conventualium, tamquam onus Capitulare infixum Massæ communi distributionum, esse deducendum, antequam fiat earum repartitio etiam quoad Canonicos Iubilatos: De hac deductione, inquit, disceptandum esse, non autem de contributione, quam extra propositum Bandinellius examinavit in antecedentibus propositionibus; quia licet Canonici Jubilati nihil contribuere teneantur de propria crumena, attamen pati debent, ut onera intrinseca, sive infixa minuant quantitatem distributionum, & ante illarum repartitionem deducantur, ut notant *Barbos. de Canon. cap.21. sub n.26., & in Collect. ad Conc. sess.21. cap.3. n.7., Monet. de distrib. par.3. quæst.8. n.5., Pignattell. consult.163. n.51. tom.9.* Quemadmodum de facto, ex fructibus d. Hæreditatis Capacci, qui distributionibus sunt applicati, ante illorum repartitionem deducuntur sine controversia onera præscripta a pio Testatore pro Anniversariis, & Missis in suffragium ejus Animæ celebrandis. Con-

Controverſam autem Eleemoſynam Miſſarum Conventualium autumat Capitulum eſſe onus intrinſecum, & infixum Maſſæ diſtributionum, tum ex deſtinatione ipſius Capituli, juxta relatam Capitularem deliberationem diei 18. Septembris 1754., quod eleemoſyna prædicta ſolvenda eſſet ex Maſſa Hæreditatis Capacci: tum ex Epiſtola Encyclica S. M. Benedicti XIV. *inter ejus Conſtitut. la* 103. §. 18. *t.* 1. de nandante, ut eadem eleemoſyna deſumatur *ex Maſſa diſtributionum*: tum demum ex mente Sac. hujus Congregationis, quæ in Cauſa *Ferrarien.* propoſita die 4. Martii 1719., & reſoluta die 18. d.. ad III. dubium ita conceptum -- *An pro Eleemoſyna Miſſarum Conventualium teneantur contribuere omnes conſtituentes Corpus Capituli, ſive ſint Sacerdotes, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, & ſive participent, ſive non de Maſſa diſtributionum* -- reſpondit -- *Affirmative, ſed de Maſſa diſtributionum - ut in lib.* 69. *decr. p.* 80. & 113. Attenta præſertim obſervantia introducta poſt d. Capitularem reſolutionem anni 1754., ad cujus tramites alii quatuor Canonici Jubilati ſine contradictione paſſi ſunt, & patiuntur deduci controverſam eleemoſynam ante repartitionem Maſſæ Capacci; & ne alioquin melioris conditionis ſint Canonici Jubilati, quam Canonici Servientes, qui ſuam ratam diſtributionum conſequuntur poſt deductam eamdem eleemoſynam.

Hæc proteſtatur Capitulum diſſerere non ratione Summæ, quam facile Bandinellio condonaret, ſed ratione Articuli, qui regulam ſtatuit pro futuris quibuſcumque Canonicis Jubilatis. Ut ergo maturum feratur judicium in Cauſa ſtatus, facile ducenda in exemplum etiam quoad alias Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas, opportunum videtur ea repetere, quæ a Bandinellio deducebantur in præteritis propoſitionibus: Miſſam nempe Conventualem onus eſſe non fructuum, & diſtributionum, ſed ipſius Collegii Canonicorum, qui tenentur ad illius celebrationem, juxta præſcriptum *textus in cap. cum creatura* 11. *de celebr. Miſſar.* & reſpondit hæc Sac. Cogr. *in Burgi Si Donnini* 16. *Maii* 1716. *ad* 1. *Dubium*, *li.* 66. *decr. p.* 223.; quin imo Miſſam Conventualem eſſe primo intentam, & præcipuam partem Divinorum Officiorum Canonicis incumbentium, & Horas canonicas tamquam diſpoſitiones ad eam ordinari inſinuant, ex late deductis per *Gavant. in rubr. Miſſ. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 7. *rubr.* 2., *& tit.* 15. *rubr.* 2., *Monet. de diſtr. par.* 1. *qu.* 4. *n.* 17., *Gulliel. durant. de div. Offic. lib.* 4. *cap.* 1., *Paſqualig. de ſacrif. novæ leg. tom.* 2. *q.* 882. *n.* 3., *Farg. de Jurepatr. part.* 2. *can.* 27. *cap.* 12. *n.* 7.

Diſtributiones autem gravari dicebantur ad ferendum onus eleemoſynæ Miſſæ conventualis, non taxative, ſed demonſtrative, tamquam peculium commune Canonicorum, & proinde Capitulum in deliberatione anni 1754. obligaſſe Canonicos recentioris fundationis non participantes de Maſſa Capacci, ut deponerent ſuam ratam eleemoſynæ in pecunia, unde onus reale, & intrinſecum diſtributionum dici non poſſe illud, quod non ſequitur ſolas diſtributiones, ſed ferendum eſt etiam a non participantibus de diſtributionibus.

Hinc

Hinc inferebatur, quod si Canonici Jubilati non tenentur interesse Divinis Officiis, nec celebrare, & applicare per se, vel per alium Missam Conventualem, ut sæpe definivit hæc Sacra Congregatio in *Aquipendien. Jubilationis* 2. *&* 23. *Martii* 1697. *lib.*47.*decret. pag.*85. & 111., *in Balneoregien. Missæ Conventualis* 19. *Augusti* 1713. *lib.*63.*decr. pag.*349.*ad* 8., *& in Pientina relata per Summaria Precum* 20. *Augusti* 1757. *lib.*107 *decr. pag.*349., pati nec etiam debent deductionem eleemosynæ ejusdem Missæ ante repartitionem distributionum; ne hoc pacto graventur supplere per alium ferendo onus eleemosynæ, a qua immunes eos declaravit hæc Sacra Congregatio *in Prænestina* 11. *Martii* 1662., quam refert etiam *Panimol. dec.*20. *adnot.*3. *num.*69., *&* 70.

Nec proinde, addebatur, aut allegabilem esse contrariam consuetudinem, quæ induci nequivit per lapsum solius quatriennii; aut verificari posse, deteriorem fore conditionem Canonicorum inservientium illa Jubilatorum non inservientium; quia Canonici inservientes celebrando Missas Conventuales in suis hebdomadis, integram consequuntur ratam distributionum, sine ulla deductione; potiusque, insinuabatur, e contra per præambulam deductionem eleemosynæ Missæ Conventualis a Massa distributionum præjudicium irrogari Canonicis Jubilatis, eis tribuendo minorem portionem distributionum, quam consequuti fuissent, si personaliter inserviendo Ecclesiæ, Missam pariter in suis hebdomadis celebrassent; idque fore contra literam indulti, quo tribuitur Jubilato, *ut quamvis imposterum non inserviat, nihilominus fructus omnes, & distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si Choro, & Officiis divinis personaliter interesset*.

Cum autem ea de re censuerint EE. VV. respondere in anteactis propositionibus, Canonicum Jubilatum non teneri contribuere eleemosynæ Missarum Conventualium, dignabuntur nunc expendere.

I. *An onera capitularia infixa Massæ communi distributionum deducenda sint, antequam fiat earum repartitio inter participes, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in Casu &c.*

II. *An onus Eleemosinæ Missæ conventualis sit infixum Massæ communi distributionum, in casu &c.*, & quatenus affirmativè.

III. *An idem onus Eleemosinæ sit deducendum ab eadem Massa communi distributionum, antequam fiat earum repartitio, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in casu &c.*

PA-

Sess.7.c.7. de ref. Sess.25.c.11. de Reg.

PALENTINA. Ecclesia Parochialis Beatæ Mariæ de Monte Syon Oppidi de Herrin Palentinæ Diœcesis prius ab Episcopo, indeque a S. M. Julio II. per literas Apostolicas expeditas anno 1512. unita fuit Monasterio S. Isidori Canonicorum Regularium S. Augustini Civitatis Legionensis, ea tamen in præfatis Litteris addita facultate, quod Priori, & Conventui ejusdem Monasterii liceret -- *Eidem Ecclesiæ per Presbyterum, seu Presbyteros idoneos seculares, aut cujusvis Ordinis Regulares ad eorum nutum amovibiles in Divinis deservire, & illius Parochianorum Animarum Curam exerceri facere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita.*

Sed eo non obstante, cum Episcopus suam exercuisset jurisdictionem in prædicta Parochiali Ecclesia, Lis hoc desuper excitata est, devolutaque fuit ad Sacram Rotam, & interea anno 1578. concordiam inivit Episcopus cum Procuratore Abbatis, Prioris, & Conventus prædicti Monasterii, qua conventum est, ut sine præjudicio litis pendentiæ, & usque ad illius exitum, liceret Episcopo visitare Parochiam, & Parochum in iis, quæ spectant ad curam Animarum, quodque *dictus Abbas, nullusque ex suis successoribus posset deputare* Cappellanum *aliquem in dicta Parochia de Herrin Regularem, aut secularem, nisi prius eum præsentaret Episcopo, aut Vicario Genarali, ut eorum jussu examinaretur.*

Quem finem habuerit Lis in Sacra Rota, ignoratur. Canonici Regulares defendunt, usu floruisse Litteras Julii II. eo, quod plerumque nominaverint Vicarium absque ulla Episcopi licentia: unde Consuetudine, ac possessione munitos se judicant, non solum ad Vicarium taliter constituendum, sed etiam ad visitandum cumulative prædictam Ecclesiam, Cappellanias, Confraternitates, Anniversaria, ac cætera opera pia in tali Ecclesia, ac ejus districtu fundata, ita paulatim, ac sensim usurpando Ordinariam Episcopi Jurisdictionem, ut narrat Episcopus in Relatione status Ecclesiæ exposita occasione Visitationis Sacrorum Liminum anno 1758. qui præterea subjungit, *certissime turbidam, & fraudolentam* esse jactatam Canonicorum possessionem.

Quamobrem Monitorum expeditum est a Canonicis in Tribunali A. C. super exequutione dd. Literarum Julii II., & super manutentione in possessione, vel quasi, deputandi Vicarium sine Licentia Episcopi, sed hic impetrata ex decretis R. P. D. Auditoris, & Eminentissimi Præfecti Signaturæ Justitiæ Causæ ejusdem remissione ad hanc Sacram Congregationem, suam auctoritatem pro viribus tuetur, ut explorare, & approbare valeat idoneitatem Rectoris præfigendi Curæ Animarum, quæ suo spirituali regimini subjacent.

Licet jure antiquo inspecto possent Regulares Vicarium libere deputare in Ecclesiis pleno jure unitis Monasterio, juxta firmata *per Barbos. de offic. & potest. Episcopi allegat.* 72. *n.* 188. & 189., itaut privilegium Julii II. nihil de novo dedisse videatur Canonicis S. Isidori, sed declarasse solum id, quod inerat, & facultatem expressisse, quam cæteroquin Canonici de jure habuissent; attamen

tamen ex jure novo Sacri Concilii Tridentini *Sef.7. cap.7.de ref.* quæcumque exemptiones, & privilegia Regularium abrogantur, itaut in Ecclesiis Monasterio unitis nequeant deputari Vicarii Curati, nisi prius fuerint examinati, & approbati ab Episcopo, ut prosequitur *Barbof. in citata alleg.* 172. *n.* 190.

Et Episcopi approbatione indigent nedum Vicarii perpetui a Regularibus in suis Ecclesiis constituti, sed etiam Vicarii ad nutum amovibiles, ut expresse decrevit Sacrum Concilium Tridentinum *Seff.* 25: *cap.*11. *de regular.*, & plenius Sancitum est in Constitutione *Ad exequendam la* 47. *S. Pii V.* §. 4. *&* 5. & rursus a Gregario XV. in ejus Constitutione *Inscrutubili la* 18.§.4., quas nuper ampliavit S. M. Benedictus XIV. in Constitutione *Firmandis* edita 6.Novem.1744. in ordine *la* 109. §.11. *t.*1. præscribendo, ut *hujusmodi Parochis, sine Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam liceat quamvis a suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles*. Et ante ipsam Constitutionem Benedictinam definitum est ab hac Sacra Congrega- *in Passavien. Parochialium* 28. *Julii* 1731. *ad I. II. & III. dubium*, *lib.*81. *decr. pag.*377.

In alia Causa *Eugubina* 12. *Januarii* 1732. proponebatur simile privilegium, quod pariter ante Concilium Tridentinum concesserat anno 1513. Leo X. Monasterio S. Ubaldi Congregationis Lateranensis, occasione unionis Parochialis Ecclesiæ Sancti Martini, ut nimirum *Præposito, & Conventui liceret eidem Ecclesiæ S. Martini per unum ex Canonicis dicti Monasterii Sancti Ubaldi, seu alium Presbyterum secularem ad eorum nutum ponendum, & amovendum, in divinis deservire, & Animarum curam illius Parochianorum exerceri facere, Diœcesani Loci, & cujusvis licentia super hoc minime requisita*. Cumque Episcopus prætenderet nedum approbare, & confirmare nominatum ab Abbate, sed etiam per litteras patentes illum deputare, quæsitum est -- *An Episcopus in traditione Literarum Patentium pro Vicario Curato S. Martini e Colle, a Canonicis Regularibus Lateranensibus nominando, uti possit verbis deputationem præseferentibus, vel potius simplici verbo confirmamus, & approbamus, in casu &c.* & Sacra hæc Congregatio respondit -- *Literas expeditas ab Episcopo non esse mutandas* -- *ut in lib.*82. *decr. pag.*4.

Partes itaque erunt EE. VV. decernere.

An liceat Priori, & Canonicis Regularibus S. Isidori Legionensis exerceri facere Curam Animarum Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ de Monte Syon in Villa de Herrin per Presbyterum Secularem, aut alicujus Ordinis Regularem ad eorum nutum amovibilem sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in casu &c.

VICEN.

Sess.21 c.4. de ref.

VICEN. PAROCHIÆ DE LLUSSANO. Rector Parochialis Ecclesiæ de Lluſſano Vicen. Diœceſis, dudum Prior nuncupatus, anno 1674. Vicarium Curatum in ea conſtituit cum aſſignatione quorumdam emolumentorum pro congrua, ſibique reſervavit Decimas, & Primitias omnes ampliſſimi illius Territorii, quas inde una cum Prioratu S. M. Clemens VIII. anno 1597. univit Capitulo Eccleſiæ Barchinonenſis. Curam Animarum exercuit Vicarius percommode uſque quo numerus Parochianorum exiguus fuit: non excedebat enim uſque ad annum 1625. Animas 220., trigintaquatuor domos inhabitantes. At poſtmodum creſcente Populo, qui nunc attingit numerum 700. Animarum in octoginta quatuor Familias ſparſim per Territorium diſtributarum, omnibus occurrere nequivit amplius unus Vicarius, qui proinde Coadjutorem Presbyterum aſſumpſit. Sed experientia compertum eſt, nec id etiam ſufficere; quia Vicarius cum teneatur Sacra peragere alternatim in Eccleſia Parochiali Beatæ Mariæ dicata, & in quatuor illius Filiabus Eccleſiis *S. Chriſtophori* de Borraces, *S. Eulaliæ* de Poygoriol, *S. Clementis*, & *S. Petri* de Grau, quæ unius horæ, vel unius cum dimidia itinere a Parochiali diſtant, dum in altera illarum manet, præſto eſſe nequit Parochianis aliarum Regionum: iique ob nimiam locorum diſtantiam, & aſperitatem Viarum, hyemali tempore nive, geluque obrutarum, plerumque carent Verbo Dei, & Miſſæ Sacrificio.

Exhibitis ergo precibus nomine hodierni Vicarii, & omnium Parochianorum, poſtulatum eſt ab hac Sacra Congregatione, ut conſtituerentur in prædictis Filialibus Eccleſiis Sacerdotes Coadjutores, tributo illis ſtipendio a Capitulo Barchinonenſi Decimatore; cum præſertim Parochiani, qui omnes Agricolæ, vel Paſtores ſunt, ſumma inopia præmantur: & Vicarius vix percipiat annuos redditus librarum biſcentum Barchinonentium, quæ conflant ſcuta centum viginti circiter monetæ Romanæ, quæque obnoxia ſunt manutentioni Coadjutoris in ipſa Eccleſia Parochiali, aliorumque onerum adimplemento. Auditus Epiſcopus, neceſſitatem conſtituendi Coadjutores confirmat, illorumque ſtipendii obligationem attribuit Capitulo, ex quo percipit ex Decimis, & Primitiis illius Parochiæ annuas libras Barchinonenſes mille biſcentum, licet cæteroquin eaſdem Decimas, & Primitias non ſine incohærentiæ nota ſecularizatas contendat Capitulum, & ideo non teneri ad augendam congruam, vel præſtanda alimenta iis, qui incumbunt adminiſtrationi curæ animarum, quando contextualiter adſtruere conatur, ad ipſum Curã habitualem pertinere, & excipit in caſu neceſſitatis ratione diſtantiæ, poſſe in una ex præfatis ſuffraganeis d. Eccleſiæ Vicariã perpetuam filialem ejuſdẽ Parochiæ erigi, ſubdendo hoc faciliime expleri poſſe mediante unione omnium beneficiorum in Eccleſis ſuffraganeis cum onere celebrationis Miſſarum diebus feſtis fundatorum, & ſubjectorum patronatui ejuſdem Capituli. Placuit tamen EE. VV. reſcribere ſub die 28. Aprilis ſuperioris

anni

anni, ut scriberetur Episcopo Barchinonensi, qui præfigeret terminum Capitulo ad decucendum jura sua in Sacra Congregatione; unde nunc Causa ad juris tramites definienda proponitur.

Pro impetranda deputatione Coadjutorum ob oculos ponitur distantia Locorum cum asperitate viæ, quodque Parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad Majorem Ecclesiam, inde inferendo, quod si in his terminis legitima aperiretur via dismembrationi, & novæ erectioni Parochialis, ad præscriptum *Textus in cap. ad audientiam de Eccl. ædific.*, cui adhæret Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.21. cap.4. de refor.*, multo magis suboriatur jus expetendi in Oratoriis, vel Ecclesiis Filialibus deputationem Cappellani Coadjutoris, qui munera Parochialia exerceat, cum ad hunc effectum sufficeret etiam sola Populi affluentia, ut præscribit Sacrum Concilium Tridentinum in *d. Sess.21. cap.4. de ref.*

Cappellanis autem Coadjutoribus, ubi deputari debeant, stipendium tribuendum esse subditur a Parocho Matricis Ecclesiæ, ut rescripsit hæc Sacra Congregatio in *Aquen dismembrationis 13. Junii 1720., & 2. Augusti 1721. lib.70. decr. pag.297., & lib.71. pag.305.*, & definivit *Rota in dec.34. n.12. de Miscell. coram Falc.*, & sub ejusdem Parochi nomine non eum accipi, qui munus exercet Vicarii Perpetui, quique tantum habet curam actualem, sed ad hunc effectum loco Parochi eum habendum esse, qui habet curam habitualem, ut cavetur in *Sacr. Conc. Trident. Sess.7. cap.7. de ref.*, & præscribitur in *constit.47. S. Pii V.* renovata a S. M. Benedicto XIV. in *Epistola Encyclica inter suas Constitutiones la 103. §.10. Bull. tom.1.*

Quamobrem expendendum erit ab EE. VV.

An sint deputandi Sacerdotes pro servitio Parochiæ, & cujus expensis, in casu &c.

Sess.7. c.8. de Ref.

UGENTINA. Comperiit in Sacra Visitatione Episcopus Ugentinus, Franciscum Vernaleone Baronem Terræ Muggiani duas habere fenestras in muris lateralibus Ecclesiæ, sive Cappellæ S. Antonii Patavini suo Palatio conterminæ, & Januam cum schala pro descensu ad Ecclesiam a Superioribus d. Palatii Mansionibus; quocirca Interdicto supposuit Ecclesiam usquequo clauderentur Ianua, & altera ex fenestris, quæ constructa ad usum Odæi in Ecclesiam protendebat; idque rursus confirmavit publico Edicto, unica tantum permissa fenestra, postquam a Barone præsentatum fuit Monitorium A. C. expeditum die 28. Maii 1726. super exequutione decreti hujus Sacræ Congregationis pro facultate retinendi unam fenestram in Ecclesia prædicta. Sed novo expedito Monitorio pro parte Baronis in eodem

eodem Tribunali A. C., causaque per Signaturam remissa ad hanc Sacram Congregationem, disputat nunc Episcopus claudendas esse ambas fenestras, & januam, cum eas retinere in Parietibus Ecclesiæ vetitum sit de jure, ut firmant *Fuschus de Visit. lib.*1. *cap.*11. *n.*10., *Ricciardell. Lyceo Ecclesiast. tom.*2. *cap.*14. §.1. *n.*21., *Nicolius in Floscul. verb. Fenestræ n.*1., & pluribus Sacrarum Congregationum relatis resolutionibus *Pignattell. consult. Cannon.*129. *n.*2. *ad* 4. *tom.*4.; nihilque suffragari putat temporis lapsum, quia non attingit imemorabilem.

Miniusque censet prodesse qualitate Baranis, juxta decretum generale Sacræ Congregazione piscoporum, & Regularium, relatum per *Pignatell. d. Consult.*129. *n.*6. *&* 7. *tom.*4., præsertim cum Franciscus Vernaleone solum habeat in terra Muggiani Jurisdictionem Criminalem, residente civili jurisdictione penes Episcopum Castrensem, qui propterea, & non Vernaleonus dicendus est Loci Baro, ad tradita per *Grammatic. consil. civil.*68., *& Capiblanch. de Baron. pragm.*12. *n.*38. *&* 39. creium vero Sacræ hujus Congregationis eiditum die prima Decembris 1725. favore Antecessoris Baronis pro facultate retinendi fenestram protensam in Ecclesiam, contendit extendi non posse ad aliam fenestram, & januam, de quibus decretum non loquitur, & nequaquam egredi valuisse Personam antecessoris Baronis, cui fuerat indulta facultas, ad tradita per *Zoesium comment. Jur. Canon. lib.*5. *tit.*33. *n.*29., *ibique* A*naclet. n.* 166. In dubio enim hujusmodi privilegia reputantur personalia e conspectu potissimum styli ea denegandi, vel concedendi ad vitam tantum Insignium Benefactorum Ecclesiæ *ut refert Vrzaya disc. Eccl.*14. *n.* 66. *&* 67. *tom.*4. *p.*2. & practicatum fuit ab hac Sacra Congregatio in *Reatina Indulti* 24. Maii 1732. *lib.*82. *decr. pag.*227. *&* 251.: maxime quia fenestræ in Ecclesiam protensæ præseferunt absurdum immunitatis contiguæ Domus, quod non est tolerandum, per ea quæ notat *Vrsaya d. disc.* 14. *n.*76. *&* 77. *tom.*3. *p.*2. Verum adverto, præfatum decretum diei primæ Decembris 1725., ut comperii ex Regestris Secretariæ, non præsefert concessionem novi indulti, sed potius declarationem competentiæ juris retinendi fenestram apertam in Ecclesia. quia Sac. Congreg. præsupposita ædificatione Ecclesiæ dudum facta a quon. Joanne Vincentio Lubelli Barone Casalis Muggiani cum fenestra vulgo *Choretto* ad effectum audiendi Missam e contiguo Palatio Baronali, post continuatam centum annorum possessionem rescripsit ad preces Baronis successoris -- *licuisse, & licere supradicto Baroni Oratori præfatam fenestram retinere* -- ut in *lib.*75. *decr. pag.*671.

Placeat itaque EE. VV. definire.

An, & quomodo sit exequendum Edictum, ac decretum editum ab Episcopo in Sacra Visitatione, in casu &c.

Dic

Die Sabbathi 26. Januarii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 12. cadentis menſis, cum defuerit tempus ob plura alia negocia diſcuſſa, proponi nequiverunt ſex, quæ ſequuntur, Cauſæ; Reaſſumpto itaque Folio tunc diſtributo, dignabuntur EE. VV. ad illarum definitionem procedere.

DERTHONEN. VISITATIONIS.

Seſſ. 7. c. 8. Seſſ. 22. c. 8, & 9. Seſſ. 24. c. 9. & 10. Seſſ. 25. c. 8. de Ref.

I. *An Epiſcopus Derthonenſis poſſit tamquam Delegatus Apoſtolicus viſitare Hoſpitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ Diœceſis Derthonenſis, ac etiam Montem Frumentarium, et Sodalitium ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu in eodem Oratorio erectum, ac etiam Cappellam S. Annæ, & integram Eccleſiam, ſeu potius Viſitatio facta anno* 1754. *ſit circumſcribenda in caſu &c.*

II. *An Patres S. Mariæ Pietatis per conſenſum ab ipſis præſtitum dictæ Viſitationi, & præſertim Interdicto lato contra d. Eccleſiam, male ſe geſſerint, & qua pœna ſint puniendi, in caſu &c.*

III. *An dicti Patres anno* 1497. *obreptitiè obtinuerint Breve a S. M. Alexandro VI. pro incorporatione dicti Hoſpitalis eorum Conventui, & quid ſit providendum in caſu &c.*

IV. *An Sodales dictæ Eccleſiæ S. Rocchi potuerint appellare ad Curiam Metropolitanam Mediolanen., & acta in ea facta ſint circumſcribenda, ſeu potius quomodo ſit providendum, in caſu &c.*

V. *An tam Eccleſia, & Hoſpitale S. Rocchi Oppidi Viqueriæ, quam Sodalitium in dicta Eccleſia erectum, ac Mons Frumentarius ibidem pariter exiſtens, nec non bona, & redditus eorumdem ſint ſub Cura, Protectione, & dominio Conventus S. Mariæ Pietatis dicti Oppidi in caſu &c.*

VI. *An Miniſterium, quod Confratres habent dd. Eccleſiæ, Hoſpitalis, Confraternitatis, ac Montis Frumentarii, eorumque bonorum, ac redditnum ſit omnino dependens, ſubordinatum, & famulativum Patribus dicti Conventus, in caſu &c.*

VII. *An Patres dicti Conventus habeant onus manutenendi Confratres in d. Eccleſia, eiſque ubilibet favendi, necnon eoſdem defendendi a quibuſcumque, etiam ab Epiſcopo Derthonen.,*

nen., præsertim respectu ad litem nunc vigentem super nullitate Visitationis ab eodem Episcopo peractæ anno 1754., & in casu renitentiæ, seu inobservantiæ dicti oneris, quomodo sit providendum, in casu &c.

VIII. *An Sodales prædicti ceciderint ab Administratione Hospitalis Peregrinorum, & prætensorum Bonorum respective ejusdem Hospitalitatis, in casu &c.* & quatenus negative.

IX. *An iidem Sodales teneantur Hospitalitatem Peregrinorum cum omnibus adnexis, & necessariis in viridem observantiam revocare, cæteraque contenta in Instrumento diei 29. Aprilis 1621. adimplere, sub pœna caducitatis ipso facto incurrendæ in casu inobservantiæ pactorum, in casu &c.*

X. *An dicti Patres teneantur tradere Confratribus redditus dicti Hospitalis, vel saltem aliquam eorum partem, & quatenus repugnent, quomodo sit providendum, in casu &c.*

XI. *An dicti Patres ceciderint a legato Librarum 9000. ipsis relicto a quondam Canonico Antonio Maria Bonamico, itaut factus sit locus substitutioni favore dicti Hospitalis, et dictorum Confratrum ejus Administratorum in casu &c.*

XII. *An Administratores Montis Frumentarii teneantur subministrare Triticum iis tantum Pauperibus, de quorum paupertate constat ex attestatione Parochi, in casu &c.*

XIII. *An in subministratione Frumenti recipi possint Sodales in Fidejussores in casu &c.*

XIV. *An Administratores reddituum dd. Hospitalis, Oratorii, ac Montis Frumentarii teneantur reddere rationem de Administratis Priori dicti Conventus S. Mariæ Pietatis, in casu &c.*

XV. *An dicti Sodales debeant tenere librum peculiarem, in quo adnotetur adimplementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii, in casu &c.*

XVI. *An, & quam Missarum quantitatem iidem Confratres teneantur celebrari facere ratione Legati relicti a quondam Carolo Vincentio Salvi, in casu &c.*

XVII. *An ass. Peregrinæ, sive Consorores nuncupatæ sint eliminandæ a d. Confraternitate, in casu &c.*, & quatenus negativè.

XVIII. *An eædem Mulieres possint associare Cadavera, in casu &c.*

XIX. *An Eleemosynæ manuales Missarum a piis Benefactoribus datæ reponi debeant in Capsula, & una Clavis ejusdem Capsulæ retineri debeat a Priore Conventus ad formam Capituli 7. Instrumenti diei 2. Decembris 1577. in casu &c.*

XX. *An in Oratorio S. Rocchi admitti possint ad celebrandum tam Sæculares, quam Regulares absque licentia Prioris Conventus contra formam Cap. VIII. dicti Instrumenti, in casu &c.*

XXI. *An in casu inobservantiæ d. Capit. 8. Confratres cadere debeant, ab usu d. Oratorii, seu potius alia pœna multandi sint, in casu &c.*

XXII. *An Eleemosynæ Missarum provisionaliter celebratarum a Religiosis Conventus S. Mariæ Pietatis in eorum Ecclesia tempore Interdicti Oratorii, sint satisfaciendæ a Confratribus, in casu &c.*

XXIII. *An constet de Validitate Interdicti Oratorii S. Rocchi? & quatenus affirmative.*

XXIV. *An Confratres ceciderint in Censuras ob assertum spretum d. Interdicti in casu &c.*

XXV. *An sit d. Oratorium absolvendum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. Utantur jure suo. Ad IV. Dilata. Ad V. Affirmativè ad formam Conventionum, salvo jure Episcopi visitandi, & revidendi computa. Ad VI. Provisum in quinto. Ad VII. Negativè in casu, de quo agitur. Ad VIII. Negativè. Ad IX. Affirmativè ad formam Conventionis, & Sodales cogendos esse juris remediis tantum. Ad X. Negativè, donec vires Sodalitii sufficiant. Ad XI. Dilata, & coadjuventur probationes. Ad XII. Affirmativè ad formam Decreti Visitationis. Ad XIII. Affirmativè dummodo sint idonei, nec sint actuales Administratores. Ad XIV. Affirmativè ad formam Conventionis salvo jure Episcopi. Ad XV. Affirmativè. Ad XVI. Teneri ad ratam fructuum coram Episcopo liquidan. Ad XVII. Negativè. Ad XVIII. Negativè ad formam Decreti. Ad XIX. Affirmativè. Ad XX. Negativè, & ad mentem. Ad XXI. Negativè ad primam partem, & Sodales cogendos esse aliis juris remediis. Ad XXII. Affirmativè, & amplius. Ad XXIII. Negativè. Ad XXIV. Negativè. Ad XXV. Provisum in XXIII.

Sess. 24. c. 13. de ref.

BAREN. CONGRUÆ, ET EXPENSARUM.

I. *An residente Cura habituali penes Capitulum Terræ Nojæ, Archipresbytero, apud quem existit Cura actualis, debeatur congrua, in qua summa, & ex quibus redditibus, seu potius portio duplicata, in casu &c.*

II. *An expensæ in toto decursu Causæ tam factæ, quàm faciendæ, sint desumendæ a Massa Capitulari, seu potius erogandæ a Canonicis particularibus, in casu &c.*

Non proposita cum reliquis.

Sess. 21. c. 7. de ref.

CIVITATIS CASTELLI TRANSLATIONIS.

An substineatur translatio, itaut sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

SENEN. JUBILATIONIS. *Sess.24.c.12. vers.Preterea de ref.*

I. *An onera Capitularia infixa Massæ communi distributionum deducenda sint, antequam fiat earum repartitio inter participes, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in casu &c.*

II. *An onus eleemosynæ Missæ Conventualis sit infixum Massæ communi distributionum, in casu &c.*, & quatenus affirmativè.

III. *An idem onus eleemosynæ sit deducendum ab eadem Massa communi distributionum ante, quàm fiat earum repartitio, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in casu &c.*

PALENTINA. *Sess.7. cap.7. de reform. & Sess.25. c.11. de regul.*

An liceat Priori, & Canonicis Regularibus S. Isidori Legionensis exerceri facere Curam Animarum Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Monte Syon in Villa de Herrin per Presbyterum secularem, aut alicujus Ordinis Regularem ad eorum nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in casu &c.

UGENTINA. *Sess.7.c.7. de Ref.*

An, & quodomodo sit exequendum Edictum, & Decretum editum ab Episcopo in Sacra Visitatione, in casu &c.

GERUNDEN. CHARITATIVIS SUBSIDII. Joseph Gener Rector Parochialis Ecclesiæ Loci *de Vilabur*, ut evitaret solutionem *lib.*18.*sol.*17. *& den.*6. pro sua rata Subsidii Charitativi, quod prima Synodus Diœcesana concesserat hodierno Episcopo Gerundensi, Monitorium expedivit coram A. C. super exequtione quorundam decretorum Sacræ hujus Congregationis editorum die 27. Februarii 1663., pro cujus exequutionis effectu postulabat, sibi restitui d. summam depositam metu mandati Curiæ Episcopalis. Tres alii Beneficiati sese adjunxerunt Josepho; sed totus Clerus in tertia Diœcesana Synodo legitime congregatus speciale dedit mandatum Procuræ ad prosequendam suo nomine litem favore Episcopi. Causa ex rescripto Signaturæ Justitiæ remissa est ad hanc S. Congregationem; Et Rector *de Vilabur*, non de suo tantum interesse, ut in Monitorio postulabatur, disceptandum esse præsumens, sed magis de competentia subsidii in genere, instantiam proposuit pro reformatione Dubii, & pro Remissoria, quam censui reservandam Sapientissimo Judicio EE. VV. *Sess.24.c.3. de Ref.*

Rescripta, quorum exequutio petebatur in Monitorio, edita sunt ad instantiam Prioris Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Ullà Dioecesis *Gerunden.*, qui citato Agente sui Episcopi, quinque proposuit Dubia.

I. *An Episcopi pingues redditus habentes, quia videlicet nedum congruam ipsis juxta formam Sacri Concilii Tridentini assignatam, verum etiam duplicatam, & longe majorem habent, possint exigere charitativum subsidium a suis Clericis Diœcesanis?* II. *An Episcopi, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia redditum, possint illa exigere nulla urgente causa, & inconsultis eorum Capitulis?* III. *An possint illud exigere a Clericis Beneficiatis, qui licet aliquos redditus habeant, non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum, immo tales redditus vix sunt sufficientes ad prædictum eorum victum?* IV. *An supposito, quod consultis eorum Capitulis d. charitativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis Clericis non habentibus alios redditus, quam distributiones quotidianas?* V., *In casibus, in quibus est permissum exigere charitativum subsidium, quanta debeat esse illius quantitas?* His autem dubiis responsum est ab hac Sacra Congregatione d.e 27.Februarii 1663. *Ad I. II.& III. Negative. Ad IV. Explicandam naturam harum distributionum. Ad V. Esse arbritrariam pro qualitates indigentiæ, dummodo moderatam, & non onerosam*, ut in *lib.* 23. *Decr. pag.* 435.

Aliàs etiam hæc S. Congr. in *Gerunden.* 15. *Aug.* 1588., cum exposita fuisset in VIII. Dubio consuetudo d. Ecclesiæ, quod Episcopi in eorum ingressu solerent exigere a personis Ecclesiasticis quoddam donativum, quam Episcopus illius temporis ampliare tentabat etiam ad Beneficiatos post ejus ingressum provisos, *ad VIII. de donativo in ingressu*, respondit, *istam consuetudinem esse sublatam per* Conc.c. 14.*sess.*24.ut *in lib.*5.*Decret.pag.*174.,& apud *Garz. de Benefic. par.* 8. *cap.* 1. *sub. n.* 77.

Cæterum cum non agatur de voluntario donativo, sed de subsidio charitativo petito in ingressu Episcopatus ob extraordinarium æs alienum contractum pro expensis promotionis, fundatam habere contendit Episcopus intentionem in *cap. Quum Apostolus* 6.§. *Probibemus de censibus*, & *in cap. conquerente* 16. §. *Tu autem de offic. ordin.*, ubique *Fagnan. num.* 38. & 39., *Barbos. de offic. & potest Episcopi part.*3. *allegation.* 87. *num.* 3., *Card. Petra in Comment. ad Const.* 2. *Urbani VI. num* 10. & *seq. tom.*4. *pag.*342., & *san.mem.Benedict.XIV. in tract. de Synod. Diœces. lib.* 5. *cap.* 7. *sub num.* 6.

Adducit insuper Episcopus inveteratam suæ, finitimarumque Dioecesum consuetudinem concedendi Episcopo in prima Synodo Dioecesana Charitativum Subsidium in levamen expensarum factarum occasione promotionis: qua consuetudine attenta Sacra Congregratio respondit -- *Subsidium deberi* -- in Causa finitimæ Dioecesi, *Urgellen. Charitativi Subsidii* 26. *Januarii* 1692. *lib.* 42. *Decr. pag.*, 48. de qua meminit *Card. Petra in di-*

d. Const.2. Urb. VI. n. 18. *tom.*4. *pag.* 344. Extat etiam *Taxa Innocentina* jussu Innocentii XI. edita ab hac S. Congr. sub annum 1678., qua permittitur Episcopi exactio charitativi subsidii in illis Dioecesibus, ubi similis viget consuetudo, ut in *lib.* 30. *Decr. pag.* 129., & penes *Pignat.. consult* 11. *tom* 8.; & licet communiter receptum sit, illam afficere solum Curie Ecclesiasticas Italiæ, ex late firmatis per *Card. Petram ad Const.*2. *Urb. VI. n.* 17., attamen ex hoc non sequitur, quod rationabilis non ostendatur consuetudo, ubicumque illa vigeat.

De insufficentia redditum, subdit Episcopus, rationem habendam esse non relative ad solam taxam Conciliarem, sed magis relative ad circumstantias loci, & temporis petit subsidii, ut advertit *Card. Petra ad d. Const.* 2. *Urb. VI. n.* 12. *pag.*343.: idque comprobare nititur ex rescripto hujus S. Congr. edito pro competentia subsidii charitativi in d. *Urgellen.*, cujus Mensæ redditus longe excedunt illos Episcopatus Gerundensis. Capituli autem consensum, plenius suppletum fuisse putat ex consensu universæ Synodi Dioecesane, *Pignatell. consult.* 142. *n.* 8. *tom.* 3., *& Petra ad d. Const.* 2. *Urb. VI. n.* 14. Ac demum, moderatam fuisse defendit summam a Synodo oblatam, quæ non adæquat summam æris alieni contracti occasione promotionis, quæque parumper excedit quinque pro centenario redituum cujuslibet Beneficii.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire.

An Rector Parochialis Ecclesiæ de Vilabur, aliique litis consortes, teneantur solvere Episcopo charitativum subsidium, seu potius obstent resolutiones Sacræ Congregationis Concilii anni 1663., *in casu &c.*

CIVITATIS PLEBIS. Confraternitas Mortis, quæ erecta est ad Altare S: Joannis Evangelistæ in Ecclesia Parochiali Castri Montis Joveni, restaurare deliberaverat annis elapsis Ecclesiam extra Castri Moenia dicatam *B. Mariæ Virgini de Quercu*, quam pridem acquisiverat ex donatione Simonis Ferri Patroni, ut sese in eam transferret ad exercendum consueta pietatis opera. Vetuit restaurationem Episcopus suo Edicto *sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ*: illoque præcepit, ne Sodales congregari, aut Officiales eligere præsumerent sine interventu Parochi tamquam a se Delegati, ad formam Constitutionum Synodalium, & Decretorum Sacræ Visitationis; irritamque declaravit novorum Officialium electionem sine interventu Parochi sequutam die 6. Jan. 1758.

Sess.22.c8. de Ref.

De viribus Edicti certant nunc Sodolales, affirmantes, non deficere in Ecclesia Parochiali Montis Joveni Confraternitatem *Sanctissimi Sacramenti*, illamque unam esse necessariam in Ecclesiis Parochialibus, juxta Literas S. Congr. Indulgentiarum ad Ar-

Archiepiſcopum Bononienſem approbatas a Paulo V.,de quibus *Monacell. Formul. leg. lib.*1. *tit.* 6. *annot.*12. *n.* 1., Et eam propterea diſcedere non poſſe ab Eccleſia Parochiali, in qua erecta eſt, definivit Sacra hæc Congregatio in *Terræ Lauri*, *ſeu Firmana Diſceſſus Confraternitatis ad* I. *Dub.* 27. *April.* 1720., *lib.* 70. *Decr. pag.* 166., licet in *Piſana* 23. *Aug.* 1792. *ad I. dub.* reſpondiſſet, poſſe a Parocho expelli, ut in *lib.*42. *Decr.p.*487.

Cæteras autem Confraternitates; ſubjungunt, utpote non neceſſarias, poſſe ad libitum diſcedere, & ad aliàs Eccleſias ſe transferre, niſi appareat de contraria lege appoſita in prima erectione, ex deductis per *Baſſ. de Sodalit. quæſt.*9. *per tot.*, *Monacell. d. lib.*1. *annot.*11. *n.*9., *& Nicol. in Floſcul. verbo Confraternitas numer.*15. Unde inferunt, ipſos non eſſe prohibendos diſcedere; potiſſimum quia in eadem Eccleſia Parochiali etiam altera Confraternitas S. Ambroſii remanet, quare ſuſpicare non licet, ſatis ſuperque conſultum fore neceſſario ejuſdem obſequio.

Nec indirecte impediendos eſſe ab Epiſcopo, contendunt, per inhibitionem reſtaurationis Eccleſiæ S. Mariæ de Quercu; arbitrantur enim, ſolam novæ Eccleſiæ ædificationem vetitam eſſe ſine conſenſu Ordinarii, non autem reſtaurationem Eccleſiæ jam exiſtentis, cujus reparatio haud vetanda, ſed præcipienda fuiſſet ab Epiſcopo, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *Seſſ.*7. *cap.*8., *& Seſſ.*21. *cap.*7. *de refor.*, & late *Vanespen. in Jus Eccleſ. univ. part.*2. *tit.*16. *cap.*5. *n.*6. *& ſeq.*, *& Reiffeſtuel. in jus Canon. lib.*3. *tit.*48. §.1. *n.*21. *ad* 28.

Ad jus autem Congregationes habendi, & Officiales deputandi, admittunt Sodales, fas eſſe Epiſcopo in illis intervenire per ſe, vel per ſuum Deputatum, ut innuunt reſponſa Sacræ hujus Congregationis indicata ab Epiſcopo in ſua relatione, & collecta per S.M. Benedictum XIV. in ſuis Inſtitutionibus Canonicis *notif.*105. §.5. *n.*9.; At negant, poſſe illum prohibere, quin habeantur Congregationes, vel Officiales eligantur ſine ſuo, ſuique Deputati interventu, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Aſculana* 3. *&* 24. *Martii* 1725. *ad I. Dubium lib.*75. *Decr. p.*85. *&* 135., & reprobando *Pignat. conſult.*128. *tom.*9. de veriori teſtantur *Ricciul. Lucubrat. Eccleſiaſtic. lib.*1. *cap.*3. *num.*1., *& cap.*5. *n.*5., *Monacell. d. tom.*1. *tit.*6. *annot.*11. *n.*17. *ad* 22., *& Baſſ. de Sodalit. quæſt.*14. *n.*7., *& S.M. Bened.XIV. in d. notif.*105. §.4. *ad Dub.* 30. *&* 32.; Ideoque ſpernendas autumant Conſtitutiones Synodales, & Decreta Viſitationis, quæ non poſſunt juri communi derogare, *Fagnan. in cap. quod ſuper his n.*26. *de majorit. & obedient.*, *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.*93. *n.*29. *part.*3.

Minuſque prohiberi potuiſſe, defendunt, a dd. Conſtitutionibus Synodalibus, vel Decretis Viſitationis, confirmationem Officialium poſt annum; cum jus hoc libere ſpectare debeat ad Confratres, uti profluens a connaturali facultate, quæ reſidet penes Collegium, eligendi ſuos Miniſtros, & per ſuos Officiales admi-

administrandi : reservata solum potestate Episcopo, illos eligendi jure devoluto, si in tertio scrutinio Confratres non convenerint, vel electionem fecerint de indigno, ut tradunt *Monacell. d.tom.*1. *tit.*6. *adnot.*11. *n.*24. *& seq.*, *Nicol. in Flosful. verbo Confraternitas n.*6. *&* 7., quodque hoc jus electionis Confratribus competat, firmavit S.Congr. in *Sancti Marci* 30.*Mart.*, *&* 13.*Aprilis* 1726. *lib.*76. *Decr. pag.*153. *&* 179.

Hinc inferunt prædicti Confratres nequaquam potuisse in discrimen revocari validitatem extractionis Officialium expletæ die 6.Januarii 1758. absque interventu Plebani; præsertim cum hæc extractio ex urna non sit propriæ electio, sed illam præcedenter factam supponat. Et in omnem casum, subditur, numquam per Episcopum posse deputari pro interessendo Congregationibus Confraternitatis Plebanum Bartholomeum Volpini, cum hic sit suspectus Confratribus, & in præsenti judicio infensissimus contradictor.

Auditus Episcopus censet, non esset facile permittendam Sodalitii translationem, ne minuatur frequentia Populi in Ecclesia Parochiali, neve præjudicetur juribus Parochi, juxta decreta generalia S. Congr. Rituum edita anno 1703., & relata in *dicta notif.*105. *S.M. Bened.XIV.* § 4.; & quoad jus prohibendi Congregationes sine interventu ejusdem Parochi, ultra *Pignatell. d. consult.*128. *tom.*9., *& Ursaya discept. eccles. part.*1. *tom.*8. *discept.*13. *n.*67. allegat resolutionem hujus S. Congr. in *Bononien.* 15. *Maii* 1728. *ad* 2. *&* 4. *dub. lib.*78. *Decr. pag.*235.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

I. *An liceat Ven. Confraternitati Mortis Castri Montis Joveni sese transferre ab Ecclesia Parochiali ad aliam* B. *Mariæ de Quercu ad effectum in ea exercendi assueta pietatis opera, juxta illius institutum, in casu &c.*

II. *An liceat eidem Ven. Confraternitati libere prosequi restaurationem Ecclesiæ B. Mariæ de Quercu, & juxta illam construere Mansiones pro ejus, & Cappellani decenti commodo necessarias, etiam ex cæmentis aliarum Mansionum ruinosarum, itaut sit locus in hac parte moderationi edicti, seu præcepti a Reverendissimo Ordinario editi sub die* 16. *Januar.* 1758., *in casu &c.*

III. *An valide coadunari possint Confrat. d. Societatis absque interventu Parochi deputati ab Episcopo, & respective eligere Officiales itaut sit locus etiam in hac parte moderationi edicti, seu præcepti, in casu &c.*, & quatenus negative ad primam partem.

IV. *An deputatio ab Ordinario facta in personam R. D. Bartholomæi Volpini moderni Plebani Montis Joveni substineatur, sive potius sit locus deputationi alterius personæ Confraternitati non suspectæ in casu &c.*

V. *An libere possint Confratres prædicti juxta eorum Statutum confirmare*

mare veteres Officiales, seu de novo eos eligere, qui recenter fuerunt in officio, absque licentia Ordinarii, itaut sit locus moderationi edicti etiam in hac parte, in casu &c.

VI. *An extractio Officialium facta die 6. Januarii 1758. absque interventu dicti Plebani substineatur, itaut in hac parte etiam moderari debeat edictum præfatum Reverendissimi Ordinarii, in casu &c.*

Sess.21.c.1.& Sess.24.c.14. de ref.

CALAGURITANA ABSOLUTIONIS, ET DISPENSATIONIS. Sequuta vacatione Beneficii integræ portionis nuncupati in Ecclesia Parochiali Villæ *de la Puebla de Argauzon* Calaguritanæ Diœcesis, indictoque, ut moris est, concursu super illius provisione, ex quatuor concurrentibus tres tantum approbari meruerunt, excluso *Raphaele de Tobalina*; Beneficiati autem dictæ Ecclesiæ, ad quos pertinet jus præsentandi unum ex approbatis, duos paribus suffragiis nominarunt, nempe Clericum *Vincentium de Susso*, & Formerium Ortiz; sed Ordinarius præferre censuit Vincentium de Susso majoribus meritis ornatum, illique collatum est Beneficium, cum subsequuta possessionis apprehensione.

Provocavit a suæ reprobationis sententia Raphael de Tobalina ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ Hispaniarum, ubi fuit idoneus declaratus; unde oportuit per Beneficiatos Vocales iterum procedi ad electionem, qui denuo æquis suffragiis nominarunt Vincentium de Susso, & præfatum Raphaelem de Tobalina; & rursus Ordinarius praelegit Clericum de Susso, qui nova obtenta collatione, iterum immissus fuit in possessionem enunciati Beneficii.

Rumor tamen invaluit in eadem Villa *de la Puebla*, ac in circumvicinis Oppidis, nominationem Clerici de Susso in secundo præsentationis actu sequutam fuisse cum labe simoniæ; quamobrem Episcopus opportunas ea de re capi voluit informationes; & ex confessione ipsius Vincentii de Susso constitit, ejus Patrem Marcum de Susso, arctissima amicitia ex antiqua consuetudine devinctum cum Ferdinando de Zumarraga, huic mutuam dedisse summam regal.500. in pluribus vicibus, dum pendebat appellatio ad instantiam Raphaelis de Tobalina in Tribunali Nunciaturæ, indeque famam simoniæ ortam esse, quod scilicet Beneficiatus Emanuel Zumarraga Ferdinandi filius votum suum dedisset Vincentio Susso in secunda præsentatione contemplatione hujus mutui, quodque mutuum fecerit Marcus Susso animo captandi suffragium dicti Beneficiati Zumarraga.

In-

Ingenue quoque fatetur Vincentius, se fuisse intercessorem mutui requisitum a Ferdinando de Zumarraga, eaque occasione audivisse, hæc a Patre proferri verba - *il conto è, che per avere un mezzo rispetto al Beneficio, non gli si può negare, perchè siccome egli è di quel genio, ci può lasciare in bianco* -- & rursus de auditu a Patre refert, quod cum conquestus esset cum Ferdinando de Zumarraga Patre Emanuelis alterius ex Vocalibus jus habentibus ad præsentationem occasione provisionis memorati beneficii de publica voce -- *che il figlio aveva dato parola a D. Pietro* (nempe Montoja) Ferdinandus respondit -- *che esso gli aveva delle obligazioni, e che attualmente era debitore a D. Lorenzo* (nempe Montoja) *di* 200. *Reali* -- quodque ejusdem Vincentii oratoris Pater replicavit -- *ciò non vol dir niente, mentre io li darò a V. S. acciocchè lo sodisfaccia*; Putat autem Vincentius, mutuum processisse magis ex antiqua amicitia, & ex propensione Patris, quàm ratione captandi votum, de quo absolute negat ullam intercessisse conventionem; quinimo ante sequutum mutuum, & ante etiam Beneficii vacationem, narrat pluries pollicitum fuisse Beneficiatum Zumarraga suum votum favore ejusdem Oratoris: ejusque propensionem erga Oratorem satis clare ostendere primam præsentationem, quæ præcessit oppositas pecuniarum, & frumenti subministrationes: subdit denique Patrem misisse ad Beneficiatum Zumarraga, ut illum rogaret de voto in futura dicti Beneficii præsentatione, & hac occasione eidem Beneficiato fuisse a Patre munusculum quatuor pipionum allatū.

Testes examinati insuper fuerunt, quorum alter deposuit, se audivisse a Marco Susso pendente appellatione supradicta in Tribunali Nunciaturæ -- *che non dubitava fosse per mancargli nel voto Zumarraga, perchè gli aveva imprestati cinquecento Reali per pagarli a uno delli Montoya una quantità, di cui gli era debitore, acciochè Zumarraga non gli restasse obligato, e che non sapeva quando tornarebbe a ricuperare li denari* -- & de hujus auditu idem confirmat alter Testis. Sed quinque alii potius inclinant in exclusionem simoniæ: & unus asseverat de publica voce, & fama, *che quando fu dato il Beneficio a D. Emanuele de Zumarraga, disse questo, che nella prima vacanza averebbe dato il suo voto per D. Vincenzo de Susso.*

His attentis, de consilio etiam sui Ordinarii Clericus Vincentius de Susso supplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut benigne dignaretur ad cautelam cum Oratore dispensare ab irregularitate contracta, eumque absolvere a censuris propter præmissa, & aliàs quomodolibet incursis, titulumque obtenti beneficii revalidare. Et remissis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Episcopus, qui expositorum veritatem confirmat, plurimumque commendat Clericum Vincentium Susso, quem existimat venia dignum, & in informatione prædicat eum esse -- *longe excellentem, & utiliorem Ecclesiæ cæteris in gratia constitutis.*

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sit locus absolutioni, & dispensationi, in casu &c.

Die Sabbathi 9. Februar. 1760. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEptem, quæ sequuntur Causæ, propositæ non fuerunt in præterita Congregatione habita die 26. elapsi mensis Januarii; Denuo itaque in hoc Folio describuntur, ut ab EE. VV. definiri valeant.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

BAREN. CONGRUÆ, ET EXPENSARUM.

I. *An residente Cura habituali penes Capitulum Terræ Nojæ, Archipresbytero, apud quem existit Cura actualis, debeatur Congrua, in qua summa, & ex quibus redditibus, seu potius portio duplicata, in casu &c.*

II. *An expensæ in toto decursu Causæ tam factæ, quàm faciendæ, sint desumendæ a Massa Capitulari, seu potius erogandæ a Canonicis particularibus, in casu &c.*

Ad I. Negative, & servetur solitum. Ad II. Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam.

Sess. 24. c. 12. vers. Præterea de Ref.

SENEN. JUBILATIONIS.

I. *An onera Capitularia infixa Massæ communi distributionum deducenda sint, antequam fiat earum repartitio inter participes, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in casu &c.*

II. *An onus eleemosynæ Missæ Conventualis sit infixum Massæ communi distributionum, in casu &c.*, & quatenus affirmativè.

III. *An idem onus eleemosynæ sit deducendum ab eadem Massa Communi distributionum, antequam fiat earum repartitio, etiam quoad Canonicos Jubilatos, in casu &c.*

Ad I. & II. Providebitur in tertio. Ad III. Negative.

Sess. 21. cap. 7. de Ref.

CIVITATIS CASTELLI TRANSLATIONIS.

An sustineatur translatio, itaut sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

PA-

PALENTINA.

An liceat Priori, & Canonicis Regularibus S. Isidori Legionensis, exerceri facere curam animarum Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Monte Syon in Villa de Herrin per Presbyterum secularem, vel alicujus Ordinis Regularem ad eorum nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in casu &c. *Sess.7. cap.7. de reform. & Sess.25. cap.11. de reg.*

Negative.

UGENTINA.

An, & quomodo sit exequendum Edictum, & Decretum editum ab Episcopo in Sacra Visitatione, in casu &c. *Sess.7. cap.8. de ref.*

Affirmative salvo jure retinendi fenestram tantum.

GERUNDEN. CHARITAVI SUBSIDII.

An Rector Parochialis Ecclesiæ de Vilabur, aliique litis Consortes teneantur solvere Episcopo Charitativum Subsidium, seu potius obstent Resolutiones Sacræ Congregationis Concilii Anni 1663., in casu &c. *Sess.24.cap.3. de ref.*

Nihil de reformatione dubii, & remissoria, in reliquis: Dilata.

CALAGURITANA ABSOLUTIONIS, ET DISPENSATIONIS. *Sess.21. cap.1. & Sessio. 24. c.14. de ref.*

An sit locus absolutioni, & dispensationi, in casu &c.

FOROSEMPRONIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Cathedralis Ecclesia Forosempronii, quæ a Bonifacio Octavo Idibus Januarii 1296. translata est in Ecclesiam derelicti Monasterii S.Maurentii in Burgo, pridem extabat in eo Civitatis loco, ubi Officiales S.R.E. dudum ædificarunt Arcem postremo eversam temporibus Ducis Valentini. Superfuit tamen ex antiquis ruinis in Cassaro Arcis Oratorium, quod ex traditione contenditur fuisse antiquæ Cathedralis Cappellam, cum Cellula, seu Crypta, in qua, fama est, vel orasse Sanctum Aldebrandum Episcopum, indeque Patronum Civitatis Forosempronii, vel diu reconditum fuisse ejus corpus. *Sess.24.cap.4. de ref.*

Hujus Oratorii curam suscepit superioribus annis Sacerdos Franciscus Diamantini, cui adjunctus est alter Sacerdos Petrus Bian-

Bianchi; illorumque diligentia restaurato cultu, pluribusque collectis eleemosynis, ampliata fuit Ecclesia, nonnullæque extructæ mansiones, ad quas Clerici, & Presbyteri, ipseque Eustachius Antonius Palma antecessor Forosemproniensis Antistes aliquando secedere consueverunt amore solitudinis, vel ad peragenda spiritualia exercitia.

Ne autem pietatis opera minuerentur externis perturbationibus, vigili cura sategit idem Episcopus Palma, ut Communitas, quæ situm Arcis ad usum pascui locabat, illum concederet Deputatis Oratorii, similemque concessionem impetravit a Rev. Camera vigore Chirographi signati a san.mem. Benedicto XIV. die 9. Febr. 1746.: & ære proprio censum emit in sorte sc. 1000., quem assignare meditabatur pro manutentione Fabricæ, & pro stipendio assidui Confessarii cum titulo Custodis in Oratorio constituendi. Precibus quoque oblatis eidem Summo Pontifici, & ab eo ad hanc S.Congr. remissis, postulavit declarari d. Oratorium, quod enunciavit positum intra limites Parochiæ S.Rochi, subesse immediatæ Jurisdictioni Episcopi, absque ulla dependentia a Parocho, & Parochiali Ecclesia S. Rocchi; sed re infecta decedens, Testamento legavit censum antedictum pro dote Oratorii, cum substitutione PP. Carmelitarum Excalceatorum Civitatis Urbini, si in eodem Oratorio *vi acquistasse giurisdizione il Paroco, o si trasferisse in quello la Parocchia*.

Eandem renovarunt petitionem apud SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM Devoti ipsius Oratorii, supplicantes, vel exemptionem ab Episcopo Palma optatam declarari, vel caducitatem legati suprema auctoritate aboleri. Et iterum remissis precibus ad hanc S. Congr., etiam Parochus supplicavit pro conservatione suorum jurium Parochialium. Auditus autem hodiernus Episcopus retulit, querimonias Parochi super prætensa jurisdictione in Ecclesia S.Aldebrandi rejectas fuisse a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium in ultima Episcopatus vacatione.

Certant itaque nunc Partes, contendente Parocho, d. Oratorium situm esse intra limites suæ Parochiæ, ipsique licere in eo functiones, & jura Parochialia exercere, ac præsertim Missam decantare, & Populo cum Venerabili benedicere in die festo Sancti Aldebrandi, & Processionem ad illud ducere in diebus Rogationum; Id contra negant Custos, & Fautores Oratorii, petentes insuper derogandum esse substitutioni PP. Carmelitarum Excalceatorum in legato Episcopi Palma.

Testes hinc inde allati sunt ad probandos possessionis actus, qui inferant ad subjectionem, vel exemptionem Oratorii. Sed hoc unum exploratum est, solam Ecclesiam Cathedralem fuisse totius Civitatis Parochiam, usquequo anno 1653. reservatis Ecclesiæ Cathedrali in recognitionem matricitatis tam Fonte Baptismali, quam præstatione librarum 40. ceræ albæ, tres aliæ erectæ fuerunt Parochiæ nullis designatis earum finibus, quarum una constituta est in Ecclesia Sancti Rocchi *in Cittadella*. Eodem anno

anno, & pluribus sequentibus, in pastoralibus controversi Oratorii visitationibus ejus administratio enunciatur residere penes alterum Canonicum Ecclesiæ Cathedralis; nec deest, qui affirmet, illud pertinuisse ad Præbendam Canonicalem Sancti Georgei, cujus immago in eo veneratur, itaut Canonicus Titularis Sacrum ibi celebraret in die festo ejusdem Sancti, & cereum acciperet de more oblatum a Communitate. Ex Testibus a Parocho allatis, nemo est, qui referat antiquiorem possessionem Parochi ante *Julium Brescini*, de quo memorant quatuor Testes; plures sunt, qui actus possessionis recensent tempore *Philippi Romagnoli*, qui Julio Brescini successit; & nonnulli referunt, Sacramentum Extremæ Unctionis in Mansionibus Oratorii fuisse administratum ab hodierno Parocho ejusdem Romagnoli immediato successore. Omnes tamen conveniunt, cultum Oratorii auctum fuisse a Sacerdote Francisco Diamantini, & prosequutum a Sacerdote Petro Bianchi, qui uti Custos in illius mansionibus sua industria ædificatis commoratur.

Addunt autem Testes adducti a Fautoribus Oratorii, illud pene derelictum, ejusque claves retentas a variis Particularibus fuisse ante adventum Francisci Diamantini, qui tugurio constructo vitam eremiticam inibi suscepit anno 1732.: Unum Philippum Romagnoli aliquando functiones peregisse in Oratorio, non jure Parochi, sed tamquam invitatum a præfato Diamantini, & inde a Petro Bianchi Custodibus ejusdem; & hodiernum Parochum nullam ingerentiam super illo unquam habuisse.

Cæterum, ubi constaret de existentia Oratorii intra limites Parochiæ, fundatam esse suam intentionem contendit Parochus in dispositione juris pro exercitio omnium jurium Parochialium, ad præscriptum *Text. in cap. cum dilectus de statu Monach.*, & tradunt *Pignatell. Consult.*68. *num.*1. *tom.*6., , *Nicoll. in prax. Canon. tom.*2. *lib.*3. §.3. *n.*82., eaque propter ad se pertinere asserit Missas canere, & Populo cum Venerabili benedicere, quia licet hæ non sint functiones Parochiales, attamen peragi debent a digniore, ex adductis per *Monacell. form. leg. tom.*2. *tit.*13. *form.*1. *n.*59. *& seq. & Pignat. consult.* 103. *n.*16. *tom.*10. & innuit hæc Sac. Congr. *in Maceraten. Jurium Parochialium* 17. *Junii* 1719. *dub.*7. *lib.*69. *decr. pag.*290., & fortius sibi licitum esse Processiones in Oratorium ducere tempore Rogationum, cum id liceat etiam in Ecclesiis Regularium jure servitutis post consuetudinem legitime præscriptam, *Novar. in Lucern. Regular. verb. Episcopus n.*40., *Scarfant. ad Ceccoper. Lucubrat. Canon. tom.*2. *tit.*5. *n.*27., *& Barufald. ad Ritual. Roman. tit.*79. *n.*64.

Sed mox allegata non procedere autumant Fautores Oratorii quoad Ecclesias, quæ peculiari alicujus Custodiæ commendatæ sunt; quemadmodum in Ecclesiis Confraternitatum nullam ingerentiam usurpare valet Parochus, juxta generalia decreta *Urbis*, *& Orbis* edita a S. Congr. Rituum 10. *Dec.* 1703. relata *a S. M. Bend. XIV. instit. canon.* 105. §.4., minusque Jus alio-

aliquod tribuendum esse Parocho; ubi constaret Oratorium, vel non esse intra limites illius Parochiæ, vel spectare ad Præbendam Canonicalem S. Georgei, quia tunc ad Canonicum titularem uti Ecclesiæ Rectorem pertinere deberet libera illius administratio cum dependentia a solo Episcopo, ut definivit hæc S. Cong. *Thelesina Anniversarii, & Missæ Solemnis* 9. *Febr.*1732. *lib.*82. *dec. p.*66., & in *Asculana Jurium, & Functionum Parochialium* 29. *Augusti* 1733. *lib.*83. *decret. pag.*400., & late tradit *Card. Petra in const.*1. *Anastasii IV. sect.*2. *n.*20. *tom.*2. ubi tamen limitat, si ageretur de simplici Cappellano amovibili.

Poterunt itaque EE.VV. decernere.

I. *An constet de situatione Oratorii intra limites Parochiæ S.Rocchi, & valeat Parochus in eo functiones & jura Parochialia exercere?* & quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An possit idem Parochus in præfato Oratorio decantare Missam, & Populum cum Venerabili benedicere in festo S. Aldebrandi, atque in diebus Rogationum Processiones ad illud ducere; seu potius facultas hæc peragendi privative ad Parochum competat Custodi, seu Cappellano, qui in præfato Oratorio retinetur?* & quatenus affirmative ad primam partem.

III. *An sit locus caducitati Legati relicti a bo. me. R. P. D. Palma?* & quatenus affirmative.

IV. *An sit consulendum Sanctissimo pro derogatione, seu remissione dictæ caducitatis, seu alias indemnitati Oratorii quomodo sit providendum, in casu &c.*

*Sess.*24. *c.*18. *de ref.*

SALERNITANA, SEU CAPUTAQUEN. PAROCHIALIS. Collationem Parochialis Ecclesiæ Castri S.Jacobi, prævio concursu, factam ab Episcopo Caputaquensi die 20. Aprilis 1758. favore Matthiæ Calabrese, irritam proclamavit in Curia Metropolitana Salerni Carminus Gorrese ob nullitatem Concursus, ob malam Examinatorum relationem, & ob irrationabile Judicium Episcopi; Sed contrariam expertus sententiam, iterum provocavit ad hanc S. Congr., atque interea Parochialem eandem impetravit a Dataria Apostolica tum præmissis de Causis, tum propter incompatibilitatem alterius Beneficii ab illo possessi sub eodem tecto. Et remissa supplicatione Sapientissimo EE. VV. Judicio, nunc instat pro illius relaxatione.

Ideo enim prætendit Carminus Gorrese nullitate infectum esse Concursum, quia Edictum illius indictionis affixum die 7. Aprilis 1758. præcipiebat exhiberi Concurrentium requisita *infra spatium dierum decem ab affixione*, & nihilominus probationes meritorum Matthiæ Calabrese non prius allatæ fuerunt, quam die 17. ejusdem mensis. Deficiente autem legitimo impedimento, de quo non constat, admitti nequivisse contendit serotinas probationes, quamquam res esset integra, juxta regulam præscriptam a S. M. Benedicto XIV. in Constitutione *Cum illud §. Publico* in ejus Bullario *la* 68. *tom.* 1., & prius de jure docuerant *Argir. discept. Eccles. lib.*7. *disput.*25. *num.*24.,

Bar-

Barbof. de Paroch. cap.2.n.45. , & cohærent refolutiones S.hujus Congr. in *Cremonen. 17. Februarii 1624. lib.13. decret.pag.83.*, *& in Abellinen. concurfus 28. Februarii 1711. lib.61. decr.p.81.* fed videndum num extra præfinitum terminum præfata documenta dicenda fint producta, cum juxta folitam regulam, de qua *Antonell. de temp. legal. lib.4. cap.2. n.1. & feq.* , dies termini non computetur in termino.

Examinatores quoque male retuliffe cenfet, tum ob defectum epitomes requifitorum a fingulis Concurrentibus exhibitorum, cujus confectio ad inftructionem Examinatorum præcipitur in relata Benedictina Conftitutione §.*Eveniente*: tum quia examinatores de omnibus fententiam non aperuerunt, fed approbarunt dumtaxat, & idoneum declararunt primo loco Carminum Gorrefe *quoad fcientiam*, *ætatem*, *& mores*, & fecundo loco Matthiam Calabrefe fimpliciter *quoad fcientiam*, *& mores*; idque putat efse contra formam traditam a S. Conc. Trid. *Sef.24. cap.18. de ref.*, ut *peracto examine renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate*, *moribus*, *doctrina*, *prudentia*, *& aliis rebus ad Ecclefiam gubernandam opportunis* : cum attenta Conciliari Sanctione Examinatores efse non debeant Judices folius doctrinæ, fed inquirere teneantur de omnibus etiam aliis qualitatibus a Concilio recenfitis, ut cavetur in præcitata Conftitutione Benedictina §. *Merentes*, & late explicant *Fagnan. in cap. cum eam n.15. de ætat. & qualit.*, *Ventrigl. in prax. part.2. annot.5. §.1. n.46.*, *& S. M. Benedictus XIV. de Synod. Diœcef. lib.4. cap.8. n.3.* Perpendendum tamen eft num præfata objecta urgere valeant e confpectu voti Examinatorum, qui referunt, judicium protulifse vifis refponfionibus Concurrentium -- *necnon vifis*, *& mature ponderatis requifitis*, *& documentis refpective præfentatis fuper vita*, *fama*, *moribus*, *ætate*, *& meritorum qualitatibus eorundem*.

Et demum conqueritur de irrationabili Judicio Epifcopi, qui præferendum cenfuit Matthiam Calabrefe in fecundo loco approbatum *quoad fcientiam*, *& mores* tantum, pofthabito ipfo Gorrefe approbato in primo loco *quoad fcientiam*, *ætatem*, *& mores*, pluribufque perfonalibus meritis ornato, itaut tamquam dignior præferri omnino debuiffet, uti fancitum eft a S. Concilio Trid. *d.feff.24. cap.18. de ref.* Nec obefse putat, vel diffamationem contra ipfum oppofitam in actis concurfus, de qua rationem habendam non efse docent *Fagnan. in cap. omnipotens num.35. de accuf.*, & *Fargna de jurepatr. part.2. can.12. & 13. caf.6. n.12.* : vel fententiam Curiæ Epifcopalis latam die 8. Martii 1755., qua rejecta fuit præfentatio ad quoddam Beneficium facta in perfonam ipfius Correfe, *utpote fimoniaca labe fœdata*; Nam afserit pro inferenda infamia juris in perfonam provifi, eique impingenda nota irregularitatis, & inhabilitatis, non fat efse fententiam declaratoriam fimoniacæ præfentationis, cum hæc procedere poffit ex culpa aliorum, quàm provifi, fed requiri fententiam declarantem reum fimoniæ ipfum provi-

fum

sum, juxta theoricam *Abbat. in cap. ex diligenti de Simon.*, *&* *Garz. de Benef. part.8. cap.1. n.58.*; atque insuper adducit sententiam Curiæ Metropolitanæ latam die 29. Maii 1758., pendente scilicet appellatione super controversæ Parochialis collatione jam exequuta, qua declaratur *fore*, *&* *esse delendum titulum Processus super allegata simonia*, *nec constare d. Gorrese in ipsam labem simoniæ incurrisse*: itaut per absolutoriam sublata infamia, restitutus Gorrese fuerit ad pristinam habilitatem *Gratus cons.57. n.23. in princ. lib.2. &* Rota *cor. Pen. dec.1035. n.4.*: addito præsertim, quod a die prædictæ sententiæ affluxerat triennium, & hoc intermedio tempore Gorrese fuerat ab ipso Episcopo Caputaquensi deputatus Œconomus hujus controversæ Parochiæ, pluriumque testimonio commendatur illius honestas, & morum integritas, itaut abolita reputari debuisset, si non infamia juris, saltem infamia facti ex diffamatione procedens, ad quem effectum sufficere lapsum unius anni tenet *Fagnan. in d. cap. omnipotens de accus. n.5. & 6.*. vel lapsum biennii juxta *Gonzal. in d. Cap. omnipotens n.10. de accus.*, vel ad summum sat esse triennium, per *Text. in §. Si vero intra triennium Auth. de Monach.*, docet *Massobr. in prax. habend. concurs. requisit.5. dub.2. n.40.*

Alteram collationis nullitatem ex eo repetit Carminus Gorrese, quod Matthias Calabrese aliud possideat Beneficium, sive perpetuam Cappellaniam in eadem Parochiali Ecclesia Castri S. Jacobi; neque in collatione Parochialis cum eo dispensatum fuerit ab Episcopo super retentione duorum; quinimmo pro retensione duorũ Beneficiorũ etiã difformiũ sub eodẽ tecto autumat nec valuisse Episcopum dispensare, nisi concurrisset insuper insufficientia ad honestã vitæ sustentationem reddituum primi beneficii, & justa causa evidentis utilitatis, aut necessitatis Ecclesiæ, vel maximæ prerogativæ meritorum dispensandi, ut sequendo censuram Sacri Concilii Tridentini *Sess.24. cap.17. de refor.* tradunt *Fagnan. in cap. literas n.40. & seq. & n.67. de concess. præbend. Tondut. quest. benef. part.2. cap.5. §.6. n.16. Genuen. in prax. Cur. Arch. Neap. cap.65. n.5. Piton. disecpt. Eccles.42. n.3. & 4.*, *Rigant. in comment. ad regul. Cancell. regul.1. §.8. n.106.*

Verum advertendum, quod incompatibitas Parochialis inducere posset solum vacationem primi Beneficii a Calabrese possessi, juxta censuram *Text. in Clementin. si plures 3.*, *& in Clement. fin. de præbend.*, & ad hunc effectum requiritur insuper, quod possessio secundi Beneficii incompatibilis pacifica sit, nec provisus patiatur molestias de jure vel de facto, ex late relatis per *Rigant. ad regul. Cancell. reg.1. §.8. n.154.* solumque ubi per duos menses utrumque retinuerit Calabrese post cessatas molestias a Correse illatas, tunc verificari poterit utriusque vacatio, ut prosequitur *Rigant d. regul.1. §.8. n.155.*, *& §.9. n.8.* & non in præsentia, dum ex ipsa hujusce litis prosecutione excluditur requisitum pacificæ possessionis.

Pertinet autem ad EE. VV. definire.

An sit relaxanda supplicatio, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. Martii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN præterita Congregatione habita die 9. ſuperioris menſis Februarii propoſitæ non fuerunt tres, quæ ſequuntur Cauſæ; Unde reaſſumpto Folio tunc diſtributo, dignabuntur EE. VV. illas definire.

CALAGURITANA ABSOLUTIONIS, ET DISPENSATIONIS. *Seſs. 21. cap. 1. & ſeſs. 24. c. 14. de refor.*

An ſit locus abſolutioni, & diſpenſationi, in caſu &c.

Affirmative ad cauthelam.

FOROSEMPRONIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. *Seſs. 24. cap. 4. de ref.*

I. *An conſtet de ſituatione Oratorii intra limites Parochiæ S. Rocchi, & valeat Parochus in eo functiones & jura Parochialia exercere?* & quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An poſſit idem Parochus in præfato Oratorio decantare Miſſam, & Populum cum Venerabili benedicere in feſto S. Aldebrandi, atque in diebus Rogationum Proceſſiones ad illud ducere; ſeu potius facultas hæc peragendi privative ad Parochum competat Cuſtodi, ſeu Cappellano, qui in præfato Oratorio retinetur?* & quatenus affirmative ad primam partem.

III. *An ſit locus caducitati Legati relicti a bo. me. R. P. D. Palma?* & quatenus affirmative.

IV. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro derogatione, ſeu remiſſione dictæ caducitatis, ſeu alias indemnitati Oratorii quomodo ſit providendum, in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Dubium ſuper precibus Epiſcopi, & omnia ſimul proponantur citato etiam Capitulo.

SALERNITANA, SEU CAPUTAQUEN. PAROCHIALIS. *Seſſ. 24. c. 18. de Ref.*

An ſit relaxanda ſupplicatio, in caſu &c.

Negative.

Sess.25. cap.6. de Ref.

BRIXIEN. VOCIS IN CAPITULO. In Oppido Castillionis a Stiveriis S. M. Paulus V. erexit in Collegiatam anno 1607. Ecclesiam Parochialem SS. Nazzarii, & Celsi, ac in ea instituit binas Dignitates Abbatialem, & Archipresbyteralem, necnon sex Canonicatus, & quatuor Mansionarias; atque insuper decrevit, ut Abbas foret prima Dignitas, ipsiusque Ecclesiæ Caput, *& tam ipse, quam Archichipresbyter, Canonici, & Mansionarii, Capitulum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ insimul constituerent*.

Mansionarias autem, quarum provisio suspensa fuerat usque ad vacationem quarumdam Cappellaniarum Mensæ Capitulari unitarum, collatas fuisse constat jam ab anno 1629., quo trium Mansionariorum mentio occurrit in veteribus monumentis; prætenditur vero, quaternarium eorumdem numerum completum fuisse dumtaxat anno 1662. Et tunc usque inceperunt illorum conquestiones pro voce habenda in Capitulo, quæ continuarunt usque ad annum 1705.; & a formali lite assumenda se distractos fuisse supponunt hodierni Mansionarii, ob alteram litem in Sacra Congregatione Rituum agitatam anno 1744. super delatione Almutiarum, qua composita, judicium tandem instaurarunt in Sacra Congregatione, & postulant nunc Sapientissimo EE. VV. oraculo declarari, sibi licere suffragium ferre in Capitulo ad formam Bullæ Pauli V.

Quia licet post *Glos. in cap. penult. verb. Assisios de cler. non resid.*, omnes communiter doceant, Mansionarios, & Beneficiatos non esse de gremio Capituli, neque in eo suffragii jure potiri; Attamen vulgatam esse contendunt limitationem, ut ex privilegio, vel consuetudine possit utraque prærogativa adipisci, ut notant *Vanespen. in Jus Eccles. univers. part.*1. *tit.*7. *cap.*5. *n.*4., *& Card. Petra ad Const.I. Leonis Magni sect.*2. *num.*11. *& seq. tom.*1. Idque sibi tributum fuisse autumant ex recensita Bulla erectionis Collegiatæ, qua jussum est, Capitulum constitui a Dignitatibus, Canonicis, & Mansionariis simul, ut in terminis similis Bullæ ejusdem Pauli Quinti definivit hæc Sacra Congregatio in *Fanen.* 16. *Junii* 1731. *lib.*81. *decr. pag.*306., & concordat decretum in *Firmana Vocis in Capitulo* 21. *Augusti*, *&* 11. *Septembris* 1734. *lib.*84. *decr. pag.*353.; atque in idem coincidere putant statutum Ecclesiæ conditum anno 1614., atque ab eodem Pontifice confirmatum, necnon subsequutam uniformem observantiam, quia Mansionarii nunquam exercuerunt servitorium Officium Sacristæ, sed parem semper honorem cum Canonicis habuerunt quoad simultaneum interventum in Congregationibus Capitularibus, quoad Stallum in Choro, quoad thurificationem, traditionem Pacis, turnum Missarum, & hujusmodi; quamobrem si quando opus fuit inferiora munera obire in absentia Clericorum, id expleverunt nedum Mansionarii, sed etiam Canonici: neque Cancellarii Capitularis officio funguntur qua Mansionarii, sed qua electi a Capitulo.

Ca-

Canonici contra excipiunt, Literas Pauli V. de Capitulo efformando per Dignitates, Canonicos, & Mansionarios intelligendas esse in sensu lato, videlicet de corpore Cleri addicti servitio Ecclesiæ Collegiatæ, & simultanee participantis de massa communi: quod quidem manifeste colligi putant ex Statuto per eumdem Pontificem confirmato, ubi *sub tit*, 1. *cap*. 2. legitur -- *constare debet dicta Ecclesia Collegiata, loquendo de participantibus tantum, duabus Dignitatibus Abbatia scilicet, & Archipresbyteratu, necnon sex, aut pluribus Canonicatibus, & quatuor Mansionariis* - quin immo subditur evinci ex ipsa Bulla erectionis Collegiatæ, in qua discretive confunduntur Mansionarii cum Capitulo in œconomicis, sejunguntur autem in præeminentialibus, & jurisdictionalibus, cum caveatur de clericis pro servitio Ecclesiæ ponendis, & amovendis *ad nutum Capituli, & Canonicorum prædictorum*, & de statuto per Abbatem, & Capitulum compilando pro Ecclesiæ felici statu, *eorumque, necnon Mansionariorum, Cappellanorum, & Beneficiatorum habitu a Canonicis, & Dignitates hujusmodi obtinentibus distincto, ibidem gestando*: ut legitur in eadem Bulla.

Et præ cæteri obiiciunt longævam centum, & ultra annorum observantiam, cujus in decursu Mansionarii, contenti suffragio consultivo circa ea dumtaxat, quæ respiciunt œconomicum gubernium, atque administrationem reddituum Ecclesiæ, in reliquis nullo prorsus casu, nulloque tempore votum in Capitulo cum Canonicis ediderunt; itaut immutari nunc primum non debeat centenaria consuetudo prætextu ambigui sensus Erectionis, quæ a diuturna observantia contra Mansionarios interpretata, intelligi debet de illorum simultaneo concursu in Capitulo quoad sola œconomica, & quoad respicientia eorum interesse, non autem quoad præeminentialia, & jurisdictionalia, ut explicant *Vanespen. in jus Eccles. univ. part*. 1. *tit*. 7. *cap*. 5. *n*. 15., *Card. de Luca de canon. disc*. 20. *num*. 12., & *Card. Petra ad Const. I Leonis Magni sect*. 2. *n*. 15. & 16. *tom*. 1. *p*. 33.

Neque obesse putant conquestiones Mansionariorum sepe renovatas ab anno 1663. ad annum 1705. ad summovendam centenariæ vim inculcatas, quia dum illis non obstantibus postmodum acquieverunt per quadraginta, & amplius annos, observantia interpretativa inde validius confirmata est, ad tradita per *Rotam in Leodien.. seu Colonien. Jurisdictionis super jure delegandi ad recipiendas Professiones* 5. *Maii* 1752. *coram Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Bussio*; Minusque adversari decreta hujus S. Congregationis in *Fanen*. 16. *Junii* 1731., ubi concurrebat observantia favore Mansionariorum non diu ante motam litem intermissa: aut in *Firmana Vocis in Capitulo* 21. *Augusti*, & 11. *Septembris* 1734., ubi cum observantia, conurrebat expressa litera erectionis.

His autem attentis definiendum erit ab EE. VV.

An, & in quibus Actibus Capitularibus Mansionariis Ecclesiæ Collegiatæ SS. Nazarii, & Celsi competat jus ferendi suffragium in Capitulo cum Canonicis, in casu &c.

Negative preterquam in actibus respicientibus interesse Massæ communis.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

URGELLEN. STATUTI. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Urgellensis ob inclementiam, & insalubritatem aeris illius Civitatis, quæ inamena, horrida, & inculta jacet inter Pireneos Montes, necesse habuit pro tuenda, reparandaque valetudine, statutum condere anno 1549., inde confirmatum auctoritate Apostolica, quo indulgetur Canonicis *per quatuor menses abesse a prædicta Ecclesia, & Civitate continuis, vel interpolatis vicibus, & nihilominus Præbendarum fructus, atque distributiones quotidianas lucrari perinde, ac si essent præsentes, & divinis officiis interessent, dummodo eodem tempore hujusmodi absentiæ beneficio non gaudeant simul, nec gaudere possint, nisi tres Canonici ut plurimum, ne forte contingat eodem tempore plures dictam Ecclesiam, & divinum cultum deserere*: ut sunt verba statuti, quod usque nunc est in viridi observantia.

Sed omnium licet par sit conditio, non omnes tamen frui valent beneficio statuti; & ex *viginti* Canonicis, quibus constat Capitulum, novem dumtaxat abesse possunt quolibet anno; Unde rixæ, & discordiæ oriuntur, & valetudinis detrimentum in aliis, qui forsan magis indigent salubrioris aeris afflatu, vacationem præripientibus minus indigentibus. Huic malo occurrere voluit Capitulum novo edito statuto, quo licitum foret simul abesse *sex* Canonicos servata in reliquis forma antiqui Indulti: ejusdemque novi Statuti confirmationem postulavit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, cum vires nullas alioquin habere cognosceret. Et remissis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Episcopus, qui censuit, utilem fore extensionem indulti ad sex Canonicos, ut consulatur omnium valetudini, utque exorientes discordiæ dirimantur: neque putat Ecclesiæ Majestati præjudicium irrogari, aut debitis obsequiis eam fraudari, si absint ex indulto sex Canonici, præter Syndicum de stylo commorantem in Civitate Barchinonensi, quia tresdecim supererunt Canonici continuo residentes, qui possunt debito cum honore divina persolvere. Alia tamen fuit sententia EE. VV., quæ in Congregatione habita die 31. Martii superioris anni, audita relatione instantiæ inter summaria precum, rescripserunt *Lectum*.

Causa rursus proponitur, & ostendit Capitulum quod licet sibi datum non sit statuta condere, & licentiam concedere, ut Canonici abesse possint ultra tempus a Sacro Concilio permissum, attamen hujusmodi statuta vires assumant a confirmatione Sedis Apostolicæ, quæ denegari non solet, ubi concurrat justa, & ratio-

rationabilis causa, & Ecclesia debito non fraudetur obsequio, juxta notata per *Fagnan. in cap. licet n.*48. *& seq. de Prabend.*, *& Garziam de benefic. part.*3. *cap.*2. *n.*412. *&* 413.; Et quemadmodum ex copioso numero Canonicorum, qui remansuri sunt in Ecclesia, vereri non potest deficientia divini cultus, ut etiam testatur Episcopus, ita pariter arbitratur Capitulum non deficere justam Causam ob inclementiam aeris, quam pro relaxando continuo servitio approbasse videtur hæc Sacra Congregatio in *Tranen. Indulti* 22. *Novembris* 1728. *lib.*88. *decret. pag.*468. *in Aprutina Servitii Chori* 10. *Januarii* 1739. *lib.*89. *decret. pag.*1., *ac in Capuana* Indulti 5. *Decembris* 1739. *lib.*89. *decr. pag.*373., *&* 3. *Septembris* 1740. *lib.*90. *decr. pag.*111. Id quoque expedire subdit ad extinguendas discordias sæpe orientes, juxta relationem Episcopi, quibus æquum est opportuno remedio provideri.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

An sit confirmandum Statutum, itaut sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Negative, & amplius.

SABINEN. ONERIS MISSARUM. Altare S. Nicolao Episcopo dicatum, quod erectum est in Ecclesia Parochiali Oppidi Tarani in Sabinis, in Visitatione Pastorali expleta *die prima Maii* 1660. enunciatur de antiquo jurepatronatus Gentis de Rodulphis, idque resultare ex Insignibus Familiæ, & Sepulcro, atque ex Instrumentis anni 1569. & 1570., & ex altera enunciativa Cardinalis Gradulæ in illius visitatione anni 1582. In eodem Altari, ut verbis utar dictæ Visitationis anni 1660., *nullum adest onus celebrandi, sed celebrat R. Aucenius de Familia de Rodulphis, qui vult relinquere sc.*4. *huic Altari pro viginti Missis dicendis a Cappellano eligendo ad nutum post ejus mortem*. Sed ignoratur, an testatus decesserit Aucenius, vel promissum legatum reliquerit. Et in altera Visitatione expleta die 29. Novembris 1677. rursus compertum est, quod in prædicto Altari *celebratur singula Missa in Hebdomada ex devotione*. *Sess.*25. *cap.*4. *de Ref.*

Antonius autem ejusdem Gentis de Rodulphis, in Testamento Bononiæ condito anno 1682., dum ibi Vicarii Generalis munus obibat, erectam a se fuisse narrans præfatam Cappellam Sancti Nicolai, quia forsan illam restaurasset, aut ornasset, *senza averla sin ora dotata*, legavit Prædium emptum pro scut.775. *per dote della Cappella suddetta*, illiusque possessionem retinuit Hæres, qui duas Missas qualibet Hebdomada celebrari curavit in sæpedicta Cappella; Ut eruitur ex posteriori Visitatione expleta *die* 26. *Martii* 1695. in qua nulla Prædii facta mentione, habetur, quod -- *in ea extat onus celebrationis Missarum bis in Hebdomada ex devotione*.

Quod

Quod ex devotione hic exprimitur, tamquam onus absolutum postea recensetur in Tabella Missarum celebrandarum in dicta Ecclesiæ Parochiali jussu Ordinarii confecta anno 1703., in qua inter cætera describitur -- *Onus duarum Missarum qualibet Hebdomada in Altari S. Nicolai Baren. de Jurepatronatus Familiæ DD. de Rodulphis*. At fama tituli hujus oneris, quod procederet ex Legato, non prius occurrit, quam in Visitatione expleta *die* 11. *Junii* 1726., ubi legitur -- *extat Legatum duarum Missarum Hebdomadalium, quæ celebrantur per Sacerdotem ad nutum Patroni eligendum*: quamquam ejusdem legati mentio amplius non habeatur in posterioribus Visitationibus anni 1742. & 1751., & in Tabella Missarum renovata anno 1751., in quibus exprimitur quidem onus duarum Missarum hebdomadalium, sed nulla indicatur origo, vel titulus. Nihilominus ab Antonio Juniore de Rodulphis *die* 7. *Januarii* 1747. impetrata est compositio a Tribunali Rev. Fabricæ, sub narrativa *d'aver mancato nella celebrazione di Messe* 500. *per oblighi di una Cappellania, o sia Legato esistente nella Cappella di S. Nicola di detto Luogo, qual' è di due Messe la settimana*.

Sed onus hujusmodi erronee fuisse suppositum prætendit Joannes Bernardinus de Rodulphis, sive illud referatur ad Testamentum Antonii Senioris, sive ad alias præsumptas dispositiones suorum Majorum: postulans idcirco, ut Supremo Oraculo EE.VV. deleatur.

Afferit enim, quod in Testamento Antonii Senioris nulla præscribitur Missarum celebratio, sed certum Prædium relinquitur *per dote della Cappella suddetta*; & ideo observantiam Hæredum, qui binas Missas in Hebdomada celebrari curarunt, non posse referri ad Legatum dicti Prædii, cujus redditus juxta sensum Peritorum non excedunt scut. 7. 90. Et quatenus ob retentiones ejusdem Prædii dicendi esset hæredes moti ad præfatam Missarum celebrationem, ita intelligendo memoratum Prædii Legatum, & interpretando mentem Testatoris; id afficere quidem posset Prædium ipsum Legatum, non autem Hæredes, qui onus subierunt contemplatione ejusdem Prædii Legati; Cum onus Missarum superadditum ex interpretatione Hæredum, immutare non possit qualitatem taxativam Legati ab initio consistentis in solo fundo, illiusque proinde fructus tantummodo præstandi essent ab Hærede, etiamsi non sufficerent pro adimplemento onerum superinductorum, ut in terminis legati taxativi communiter tradunt Doctores per *Textum in leg. si quis servum* 8. §. *Si quis ita ff. de leg.* 2., & sæpe respondisse hanc Sacram Congregationem referunt *Scarfant. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 1., *& Lanfred. respons. canon.* 42. *n.* 8. *&* 9., & definitum est in *Romana Subsidiorum Dotalium* 16. *Maii* 1733. *lib.* 83. *decr. p.* 222. Animadvertendum tamen hic non inutiliter est, num liceat Hæredibus Patronis retinere Prædium Legatum ab Antonio Seniore pro dote Cappellæ, sive potius adigendi sint ad illius dimissionem.

Sin

Sin vero onus referatur ad alias præſumptas diſpoſitiones Majorum, tempus deficere contendit pro adſtruenda efficaci obligatione, quæ non oritur ſine immemorabili, vel quadragenaria cum fama tituli. Immemorabilis enim, ſive centenaria, procul dubio excluditur, ut Orator aſſerit, ex enunciativa Viſitationis anni 1660., quod in controverſa Cappella *nullum adeſt onus celebrandi*,& ex enunciativa alterius Viſitationis anni 1677. quod in ea *celebratur ſingula Miſſa in hebdomada ex devotione*: enervatur etiam ex aſſertiva Antonii Senioris, qui in Teſtamento condito anno 1682. recenſuit erectionem Cappellæ *ſenza averla ſin ora dotata*: & ex altera Viſitatione anni 1695., quæ pariter ſupponit *onus celebrationis Miſſarum bis in Hebdomada ex devotione*.

Pariterque excludi autumat efficaciam quadragenariæ ob defectum famæ tituli, quia ſolum in Viſitatione anni 1726. occurrit mentio Legati harum Miſſarum. Compoſitio vero anni 1747. præſeferens confeſſionem oneris Miſſarum referenda dicitur ad iſtius erroneam deſcriptionem factam in Tabella anni 1703.

De his autem rogatus Eminentiſſimus Epiſcopus, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, & ſententiam animi ſui aperiret, cenſet ea magis interpretari contra Oratorem, nec eſſe annuendum ejus precibus, quia ſpes legati ab Aucenio relinquendi, quæ enunciatur in antiqua Viſitatione anni 1660., & deſcriptio hujus oneris in Tabellis, & Viſitationibus, illiuſque ſeria agnitio per Hæredes pandita tum adimplendo onera Miſsarum,tum pro non impletis reportando a Rev. Fabrica compoſitionem,legitimam inducunt præſumptionem alicujus relicti, de quo forſan memoria non extat.

Videant ergo EE. VV.

An conſtet de onere duplicis Miſſæ Hebdomadalis in Sacello S. Nicolai, & quomodo ſit illud adimplendum, vel potius ſit locus abſolutioni, in caju &c.

Affirmative ad primam partem, Negative ad ſecundam.

ALERIEN. LEGATORUM. Quæ pertinent ad hanc Cauſam, expoſita fuerunt in Folio Congregationis habitæ die 24. Novembris ſuperioris anni, in qua prodiit reſcriptum -- *Dilata, & interim ſcribatur Epiſcopo juxta mentem*, ut nimirum certiorem redderet Sacram Congregationem, an exequutioni demandaſſet reſcriptum editum die 12. Auguſti 1758. ſuper proviſione Bonorum de alio idoneo Admiuiſtratore, excluſis Hæredibus: & an aliquid opponendum cenſeret contra erectionem Cappellaniæ. *Seſs. 22. c.8. de reform. & Seſſ.25. cap.3. de Regul.*

Literis S.Congregationis reſpondet Epiſcopus,aſſerens ab illis tantummodo ſe notitiam accepiſſe de reſcripto edito die 12. Auguſti 1758., quapropter nequiviſſe procedere ad illius exequutionem. Cappellaniam a Simone Joanne Liccia erectam, non oppoſi-

positione, sed laude dignam existimat, *dummodo adimpleatur, quod spondetur*; plurimumque commendat electionem Sacerdotis Simonis Proveduti in Cappellanum cum bonorum administratione. Hoc unum addit, inopportunum videri onus Cappellano injunctum in Instrumento erectionis, ut volens celebrare per alium, teneatur præferre PP. Cappuccinos; & minus obnoxium jurgiis fore, si libera cujuscumque Sacerdotis electio eo casu relinquatur in facultate Cappellani, *cum pluries requisiti Cappuccini ad docendum in Curia Episcopali de Missis per fere decem lustra celebrandis juxta Testamenta Patronorum, numquam fuerit tale documentum exhibitum*.

Hæc Episcopus. Definiendum nunc erit ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a Decisis die 12. *Augusti* 1758., *vel potius sit locus approbationi Cappellaniæ interim erectæ, in casu &c.*

Quoad I. & II. in decisis quo vero ad III. Episcopus omnino curet, quod per hæredes adimpleantur onera omnino ad formam Testamentorum.

Sess.22 cap.8. de Ref.

FANEN. JURISDICTIONIS. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 30. Junii 1759., sed nulla capta resolutione, prodiit rescriptum -- *Iterum proponatur* -- Denuo itaque proposita est in Congregatione habita die 11. Augusti ejusdem anni, & Dubio, quod erat -- *An sustineatur decretum Episcopi, quo statuitur, retinendam esse in Monasterio Sancti Caroli Capsam depositi sub tribus clavibus; seu potius custodia, & administratio ejusdem capsæ libere spectet ad Legationem, in casu &c.*, responderunt Emi PP. -- *Affirmative juxta modum: & modus est, quod capsa custodiatur sive in Sacro Monte Pietatis, sive apud personam fide, & facultatibus idoneam arbitrio Episcopi* --

Novam audientiam impetravit Promotor Fiscalis Curiæ Legationis, sed pluries monitus ad prosequendam litem, nihil novi hactenus deduxit. Urget itaque Promotor Fiscalis Curiæ Episcapalis, ut ab EE. VV. definiatur.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Non proposita.

Sess.25.cap.4. de Ref.

BONONIEN. REDUCTIONIS LEGATI. In Testamento condito anno 1614. Antonius Maria de Aventiis, scripto sibi hærede Filio Primogenito Joannis Griffoni sui ex Sorore Nepotis, cum substitione illius descendentium juxta ordinem Primogenituræ, annuum perpetuum legatum librarum centum reliquit duabus pauperibus Puellis habitantibus in Communi S. Laurentii

rentii in Collina ſingulo anno eligendis per ejus Hæredes, & ſubſtitutos, & per Rectorem, & Maſsarium Soc. SSmi Sacramenti, ac Maſſarium Communis pro tempore d. S. Laurentii in Collina: jubendo libras quinquaginta dari, & ſolvi unicuique earum tempore nuptus in Domino, vel in ſeculo; *quod quidem legatum voluit, & mandavit ſervari, & adimpleri in forma ſpecifica, & nulli alii loco Pio, vel Cauſæ Piæ dari, & applicari juſſit.* (ſunt verba Teſtamenti) *& in eventum, in quem d. diſpoſitio dici poſſet incerta, & non ſortiretur effectum præciſum, & formalem, juxta per d. Teſtatorem ordinata, tunc & eo caſu voluit, & mandavit, dd. libras centum dari, & ſolvi d. R. pro tempore Rectori, ſeu Curato d. Eccleſiæ S. Laurentii in Collina, qui debeat illas convertere, & erogare in tot Pane, & illum diſtribuere Pauperibus dicti Communis, & Parochiæ ſingulo anno*: ac ſub eadem conditione impoſſibilis de jure exequutionis ex capite incertitudinis, tandem ſubſtituit in eodem legato librarum centum Hoſpitale pauperum Infantium expoſitorum Bononiæ.

Diſtributum eſt legatum pauperibus Puellis ad formam Teſtamenti, tum ab Hæredibus Primogenitis, tum a clar. mem. Cardinali Pompejo Aldrovandi, qui ſucceſſit in univerſa jura Joannis Raynerii Griffoni ultimi Primogenituræ poſſeſſoris. Cumque in opulenta Teſtatoris Hæreditate duo adeſſent Prædia nimium deteriorata, illa prælaudatus Cardinalis vendidit anno 1727. Fratribus Joanni Baptiſtæ, & Carolo Hieronymo Tadolini pretio libr. 4800., quanti fuerant a Perito æſtimata habito reſpectu ad peſſimum ſtatum eorumdem; & ſolutis libris 1050. pro reſidualibus libris 3750. Emptores ſuſceperunt onus duplicis canonis, quo Prædia gravabantur, & hujus legati annui librarum centum, quod perſolverunt uſque ad annum 1753. Tunc autem oblatis precibus Summo Pontifici, a quo remiſſæ ſunt ad hanc Sacram Congregationem, poſtulavit alter ex dd. Fratribus Tadolini reductionem legati ad annua ſcut. 10. diſtribuenda Pauperibus, attenta imminutione redditaum, & deterioratione Prædiorum, quæ particulariter ſuppoſita fuiſſe legato enunciavit; & audita Vicarii Generalis Bononienſis relatione, Sacra Congregatio reſcripſit die 9. Februarii 1754. -- *Sacra &c. ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupplicem hunc Libellum remiſit, attenta relatione Vicarii Generalis Bononiæ, benigne commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoris precibus per decennium proximum tantum, ſi tandiu expoſita cauſa perduraverit, gratis indulgeat juxta petita* =; & juxta commiſſum arbitrium Vicarius Generalis petitam indulſit reductionem, citato dumtaxat Promotore Fiſcali, qui minime contradixit.

Reclamarunt Parochus, & Maſſarii, quibus jus eſt eligendi Puellas, remiſſiſque per ſummum Pontificem illorum querelis ad hanc Sacram Congreg., ſub die 7. Februarii 1756. rogatus fuit Eminentiſſimus Archiepiſcopus Bononienſis animi ſui ſententiam aperire, qui plurimum extollit exorbitantiam gratiæ, illiuſque

subreptionem, quia Fratres Tadolini falso exposuerunt insufficientiam reddituum Prædiorum, illorumque particularem subjectionem legato generice relicto super omnibus Bonis Testatoris, & injuste flagitarunt reductionem legati ob insufficentiam fundi, de quo solum conqueri potuissent cum venditoribus in Judicio læsionis, salva manente actione Legatariis super universa hereditate obnoxia oneri injuncto, juxta vulgatam censuram textus *in lib.1. C. communia de legat.* unde censet, gratiam saltem quoad futurum non esse exequendam.

Addunt Parochus, & Massarii, neque ab initio suffragari potuisse gratiam, quæ cum fuisset delegata Vicario Generali in forma commissaria sub clausula -- *veris existentibus narratis* -- nequiverat exequi sine citatione interresse habentium: vel saltem suspensa remansit per appellationem, seu recursum habitum ad summum Pontificem, ut definivit Sac. Congr. in *Ariminen. Subsidii Dotalis 22. Sept., & 15. Dec. superioris anni*, & simul postulant, ut consulatur indemnitati Puellarum mediante deposito summæ legatæ quolibet anno faciendo pro expedita illius assequutione, verificato casu nuptiarum, utque Puellis decedentibus innuptis, subsidia illis assignata distribuantur in Pauperes substitutos in casu, quo legatum subsidiorum dotalium non sortiretur effectum præcisum, & formalem, juxta tenorem Testamenti præscribentis cæteroquin converti favore eorumdem pauperum in eleemosynam panis.

Quocirca definiendum erit ab EE. VV.

I. *An reductio legati ad scuta decem sustineatur?* & quatenus negative.

II. *An a quo tempore debeatur d. Legatum in integra summa scutorum viginti?*

III. *An d. Annuum legatum deponi debeat quotannis in Sacro Monte Pietatis, ad effectum consignandi Puellis nominatis in casu Matrimonii, seu Monacationis?*

IV. *An idem Legatum quatenus Puellæ nominatæ in seculo, seu in Domino non nubant sit inter pauperes distribuendum, in casu &c.*

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 22. Martii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

INdeciſæ remanſerunt ſequentes tres Cauſæ; Duæ priores in poſtrema Congregatione diei 8. currentis menſis, Tertia vero in Congregatione diei 26. Januarii mox præteriti. Reaſſumere itaque dignabuntur EE. VV. folia tunc diſtributa, & ad illarum deciſionem devenire.

FANEN. JURISDICTIONIS. *Seſſ.22. cap.8. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

In deciſis juxta mentem, & mens eſt quod pecuniȩ aſſerventur in capſa collocata in manſione deſtinata à Communitate Orceani retentis clavibus per Deputatos ejuſdem Communitatis.

BONONIEN. REDUCTIONIS LEGATI. *Seſſ.25. cap.4. de Reform.*

I. *An reductio legati ad ſcuta decem ſubſtineatur?* & quatenus negative.

II. *An a quo tempore debeatur d. Legatum in integra ſumma ſcutorum viginti?*

III. *An d. Annuum legatum deponi debeat quotannis in Sacro Monte Pietatis, ad effectum conſignandi Puellis nominatis in caſu Matrimonii, ſeu Monacationis?*

IV. *An idem Legatum quatenus Puellæ nominatæ in ſeculo, ſeu in Domino non nubant ſit inter pauperes diſtribuendum, in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Deberi a die ceſſationis, & amplius. Ad III. Affirmativè poſtquam dies ſolutionis ceſſerit. Ad IV. Affirmativè ad formam Teſtamenti, & amplius.

CIVITATIS PLEBIS. *Seſſ.22. cap.8. de Ref.*

I. *An liceat Venerab. Confraternitati Mortis Montis Joveni ſeſe transferre ab Eccleſia Parochiali ad aliam B. Mariæ de Quercu ad effectum in ea exercendi aſſueta pietatis opera, juxta illius inſtitutum, in caſu &c.*

II. *An liceat eidem Ven. Confraternitati libere proſequi reſtaurationem Eccleſiæ B. Mariæ de Quercu, & juxta illam conſtrue-*

re Mansiones pro ejus, & Cappellani decenti commodo necessarias, etiam ex cæmentis aliarum Mansionum ruinosarum, itaut sit locus in hac parte moderationi edicti, seu præcepti a Rmo Ordinario editi sub die 16. *Januar.* 1758., *in casu &c.*

III. *An valide coadunari possint Confrat. d. Societatis absque interventu Parochi deputati ab Episcopo, & respective eligere Officiales itaut sit locus etiam in hac parte moderationi edicti, seu præcepti, in casu &c.*, & quatenus negative ad primam partem.

IV. *An deputatio ab Ordinario facta in personam R. D. Bartholomæi Volpini moderni Plebani Montis Joveni substineatur, sive potius sit locus deputationi alterius personæ Confraternitati non suspectæ, in casu &c.*

V. *An libere possint Confratres prædicti juxta eorum Statutum confirmare veteres Officiales, seu de novo eos eligere, qui recenter fuerunt in officio, absque licentia Ordinarii, itaut sit locus moderationi edicti etiam in hac parte, in casu &c.*

VI. *An extractio Officialium facta die* 6. *Januarii* 1758. *absque interventu dicti Plebani substineatur, itaut in hac parte etiam moderari debeat edictum præfatum Rmi Ordinarii, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Affirmativè ex fructibus superextantibus, & non necessariis pro implemento operum piorum, ac prævia approbatione Donationis Ecclesiæ, & salvis juribus Parochialibus. Ad III. Affirmativè juxta modum idest prævia certioratione Episcopi, vel ejus Deputati. Ad IV. In casu de quo agitur esse locum Deputationi alterius. Ad V. Negative, & amplius. Ad VI. Affirmative petita venia ab Episcopo per Confratres.

Seff. 14. cap. 9. & 10. de Ref.

CASERTANA CAPPELLÆ, SEU BENEFICII. Proposita fuit hæc Causa in Congreg. habita die 11. Augusti superioris anni; sed nulla capta resolutione rescriptum fuit -- *Dilata, & audiantur Ministri Datariæ*. Contendebat enim Monasterium S. Laurentii de Aversa Ordinis Cassinensis, adeo spectare ad liberam collationem, seu provisionem Abbatis simplex Beneficium S. Mariæ de *Vallefredda*, ut minime subjaceret reservationibus Apostolicis, nec forent exequendæ Literæ Apostolicæ ratione illius vacationis in mense reservato expeditæ favore Januarii Comminelli.

Et præcipua illius intentionis fundamenta collocabantur in donatione Riccardi II. Capuæ Principis expleta anno 1121.: in Privilegio Innocentii Papæ III. edito anno 1202.: in antiqua re judicata Rotali emanata anno 1601. pro exequutione collationis factæ ab Abbate in exclusionem provisi ab Ordinario: & in vetustissima quasi possessione conferendi tum enunciata in *dec.* 638. & 678. *tom.* 1. *coram Penia*, tum probata novis documentis, quæ præseferunt continuam non interruptam seriem Collationum Abbatis ab anno 1541. usque ad annum 1729., sub reservatione annui census *carolenorum quinque*, & sub juramento obedientiæ singulis annis renovando ad vitam Provisi. Inde inferendo, quod cum Beneficium uti membrum Monasterii, & spe-

ſpectans pleno jure ad menſam Abbatis, non poſſet in titulum conferri, ut ſancitum eſt in *Clement.* 1. *de ſupplend. neglig. Prælatorum*; illius proviſiones per Abbatem factæ ſub reſervatione annui cenſus potius viderentur conceſſiones fructuum *ad firmam*, in quibus vacatio revera non datur per obitum Firmarii, ad terminos *Textus in Clementina frequens* §. *Quidam etiam de exceſſ. Prælatorum*; & ideo ſepoſita vacatione, locum non habeat regula reſervatoria menſium, ut firmat *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſs.* 5. §. 6. *n.* 64.

Hæc atque alia Monaſterium prout diſertè in folio diſtributo d. die 11. Aug. Dataria autem, in ſua relat. ad manus circumferenda defendit, Bullam Innoc. III., a qua vires acquirit Donatio Riccardi, nil aliud innuere, niſi ſolam qualitatem inferioris Collatoris Abbati tributam, cum exemptione ab omni jure Epiſcopali, juxta illius tenorem impreſſum in *Bullar. nov. tom.* 3. *Conſt.* 37.: & id ipſum erui ex Deciſionibus coram Penia, quæ exequi mandarunt collationem Abbatis ad excluſionem collationis factæ ab Epiſcopo Caſertano; proviſiones autem de dicto Beneficio per Abbatem expletæ ſpatio biſcentum, & ultra annorum, ſicuti reſonant in veras collationes, veluti factæ Sacerdotibus ſecularibus in titulum perpetuum, ita putat omnino per eaſdem excludi prætenſam manualitatem, & pertinentiam Beneficii ad menſam, potiuſque firmari perpetuum illius ſtatum collativum; unde concludit, illius diſpoſitionem in menſibus reſervatis indubitanter ſpectare ad Summum Pontificem vigore Regulæ IX. Cancellariæ, quæ afficit omnia Beneficia, ſive juriſpatronatus Eccleſiaſtici, ſive liberæ collationis Ordinarii, aut inferiorum Collatorum.

Suum quoque libellum exhibet Comminellius, & diſputat, quod non omnia Beneficia, quæ ſunt membra Monaſterii, vel Monaſterio ſubjecta, prorſus carent titulo collativo, ſed ea ſolum, quæ pleno jure ſubjective unita ſunt Menſæ, cætera autem, & nomen Beneficii retinent, & in titulum conferuntur, itaut negligente Abbate, collatio devolvatur ad Epiſcopum, juxta literam *Textus in Clem.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælatorum*, & late *Murga de Benef. quæſt.* 4. *ſect.* 1. *de unione acceſſoria*, *& ſubjectiva ſimplici*; quodque cenſus in collationibus reſervatus non indicet conceſſionem *ad firmam*, de fructibus dumtaxat verificabilem, non autem quoad titulum Beneficii, & Eccleſiæ per *Textus in cap.* 3. *&* 4. *ne Prælat. vices ſuas*, *vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant*, ſed refertur ad ſubjectionem Beneficii erga Monaſterium, quæ non excludit, potiuſque confirmat illius perpetuitatem, & titulum collativum, ut docent *Vitalin. in Clement.* 1. *verbo ad menſam n.* 101. *de exceſſ. Prælat.*, *& Rota in recent. deciſ.* 71. *& deciſ.* 101. *per tot. part.* 2. *& dec.* 343. *n.* 4. *&* 9. *part.* 4. *tom.* 2. Non attento, quod in collationibus ulterius exprimatur, Beneficium ſpectare ad collationem, proviſionem, & omnimodam aliam diſpoſitionem Abbatis, quia hæc verba innuunt potius qualitatem inferioris Collatoris, itaut du-

dubitari non possit de subjectione Beneficii reservationibus Apostolicis, ad firmata per *Rot. in decis.*241.*num.*20. *&* 21. *coram Bichio.*

Hinc obstare non putat negativam observantiam, cum accipi nequeat in linea interpretativa manualitatis Beneficii, ex quo jugiter collatum fuit in titulum perpetuum, tum per Abbatem, tum in ultimo statu per Sanctam Sedem anno 1736., qui licet fuerit contradictus, habuit postea plenam exequutionem, itaut Abbas ipse non alias successive anno 1742.contulerit beneficium, quam uti vacatum per obitum Provisi Apostolici, istumque ultimum statum licet unicum,contendit in hoc privilegiato judicio exequutionis Literarum Apostolicarum omnino attendendum esse ad probandam qualitatem Beneficii perpetui reservationibus obnoxii, quidquid sit in Judicio petitorio plenario inter Collatorem Ordinarium, & Abbatem, ut distinguendo firmat *Rota in decis.*410.*n.*26. *& seq. coram Ansald.*, *& in Leodien. Beneficii* 7.*Decembris* 1733. §. 5. *coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*, *& in Leodien. Beneficii* 23. *Junii* 1752. §.5. *coram Eminentissimo D. Card. Elephantutio*; Multo minus allegari posse Cominellus subdit præfatam observantiam in linea præscriptiva, quia Regulæ Cancellariæ, uti renovatæ in crastinum assumptionis cujuslibet Summi Pontificis, cum derogatione quibuscumque contrariis usibus, vel privilegiis, non subjacent præscriptioni, ut notant *Rigant. ad Regul. Cancell. regul.*15. *n.*8. *tom.*2., *& Rot. coram Caprar. decis.*673. *n.*9. *&* 10., *& in Monasterien. Decanatus* 11.*Jan.*1723. §.*Imo cor. clar.mem. Card. Calcagnin.*

Hæc summa est rationum, quæ a Partibus in suis Libellis discutiuntur; Unde omnibus perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere.

An simplex Beneficium S. Mariæ de Valle Fredda pertineat ad collationem, seu provisionem Abbatis Monasterii de Aversa Congregationis Cassinensis, seu potius sit subjectum reservationibus Apostolicis, itaut Literæ Apostolicæ sint exequendæ, in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam.

SETINA DISPENSATIONIS A SERVITIO CHORI. Ex tribus Dignitatibus Archipresbytero, Archidiacono, & Præposito, ac duodecim Canonicis constituitur Capitulum Cathedralis Setinæ, & inter hos Canonicus Stephanus Jucci Decanus, ac Canonicus Joseph Cerroni Pœnitentiarius.

Supplicavit Canonicus Cerroni pro dispensatione a Servitio Chori sese offerens diebus festivis, aliisque, quibus adesset Pœnitentium concursus excipere Confessiones.

Ast invenit contradictorem Canonicum Stephanum Decanum, qui numerans annos 43. Servitii Ecclesiæ, contendebat sibi de jure deberi Indultum jubilationis ad exclusionem dispensationis peti-

tæ

tæ a Canonico Pœnitentiario, cum servitium ejusdem Ecclesiæ non patiatur utriusque absentiam, ut refert Episcopus, & ad hoc assequendum Indultum allegabat sibi non solum servitium quadragenarium assistere, sed etiam consensum Capituli ejus precibus adhærentis cum septem suffragiis, sex contrariis non obstantibus: quando ex opposito nonnisi quinque Canonico Cerroni favorabilia suffragia datum est numerare: haud relevante, quod idem Cerronus prius ab undecim Canonicis consensum reportasset, cum attendi debeat consensus per suffragia secreta capitulariter præstitus, & non assensus mediante folii subscriptione ostiatim expiscatus. His tamen non obstantibus cum ex libris Punctaturarum constiterit deesse in Canonico Decano continuum laudabile servitium copulativè cum lapsu quadraginta annorum requisitum pro obtinendo indulto Jubilationis juxta constantem sensum S. Congr. panditum in *Constantien. Jubilationis* 4. *Maii* 1737. *lib.*87. *decr. pag.*146. passus fuit idem Canonicus Decanus die 1. Sept. 1759. postulati indulti denegationem.

Feliciorem sibi auspicans sortem ex adversarii repulsa Canonicus Cerronus contendit sibi haud negari posse dispensationem, tum ex causa infirmitatis ob frequentes morbi podagræ aggressiones per ea, quæ firmat *Antonell. de jur. cleric. lib.*2. *par.*6. *cap.ult. n.*125.; tum ex ipsius laudabili servitio annorum 38., & mensium sex, non solum comprobato ex confessione fere omnium Canonicorum in mox memorato folio; sed etiam ex libris punctaturarum; reponit nihilominus Canonicus Decanus reiciendam esse petitam dispensationem, tum ex defectu verificationis assidui laudabilis servitii, qui depromi nequit ex attestatione Canonicorum, & ex libris punctaturarum non complectentibus integrum tempus servitii Canonici Cerroni, tum ex indole morbi podagræ non inferente perpetuum impedimentum servitio Ecclesiæ.

His stantibus decernendum erit ab EE.VV.

An sit concedenda dispensatio, in casu &c.

Negativè, & amplius.

GERUNDEN. CHARITATIVI SUBSIDII. Data est species hujus causæ in folio Congregationis habitæ die 9. Februarii proximè præteriti, in qua Eminentissimi Patres rescripserunt: *Nihil de reformatione dubii, & remissoria, in reliquis Dilata*; cumque hodie reproponatur, ab EE. VV. definiendum erit. *Sess.*24. *cap.*3. *de Ref.*

An Rector Parochialis Ecclesiæ de Vilabur, aliique litis consortes teneantur solvere Episcopo charitativum subsidium, seu potius obstent Resolutiones S. Congregationis Concilii anni 1663., *in casu &c.*

Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam, & amplius.

TER-

Sess. 24. c. 16. de Re

TERRACINEN. VICARII CAPITULARIS. In ultima Episcopatus Terracinensis Vacatione cum obiisset de mense Augusti 1758. Vicarius Capitularis, quem Canonici elegerant, de novo Vicario eligendo intra præstitutum tempus cogitatum est; Quamobrem convocato Capitulo, prævia illius legitima intimatione, die 26. dicti mensis Augusti octo interfuerunt Capitulares, quos inter adfuit Archipresbyter, qui ex antiquo more, & inveterata consuetudine duplex ferre valet suffragium in actibus capitularibus. Propositi autem fuerunt in Capitulo, qui reputarentur idonei ad Vicarii munus obeundum, & in primis actum est scrutinium de Archipresbytero, collectisque suffragiis, quæ secreto data fuerant, reperta fuerunt tria favorabilia, quatuor vero contraria; secundo loco scrutinium actum est de Canonico Pagani, qui longa oratione suas prærogativas extollere sategit, quo non obstante quatuor detulit suffragia favorabilia, totidemque contraria; eademque suffragiorum paritas inventa est in scrutinio Canonici Gorti, at postremo in scrutinio Canonici Januarii Fatigati, qui Romæ tunc morabatur pro expediendis quibusdam Capituli sui negociis, reperta fuerunt quinque suffragia favorabilia, & quatuor contraria; unde istius favore tamquam majori suffragiorum numero electi expeditæ fuerunt consuetæ literæ patentales suæ deputationis.

At invidia perciti cæteri concurrentes, qui exclusi fuerant, usurpato nomine Capituli recursum habuerunt ad hanc S. Congr. allegantes nullitatem sequuti scrutinii, & sub die 2. Sept. 1758. rescriptum impetrarunt, quo illorum preces remissæ fuerunt Episcopo viciniori pro informatione, & voto, cum facultate interea deputandi per modum provisionis alium Vicarium Capitularem. Episcopus Fundanus, cui tamquam viciniori redditæ sunt Literæ S.Congr., sollicitè processit ad deputationem alterius Vicarii in personam Archipresbyteri Terracinensis, at plus æquo distulit relationem edere, & votum suum aperire huic S. Congr.; itaut interea electo novo Episcopo Terracinensi, effectum propositarum reclamationum consequuti sunt recurrentes.

Urget nihilominus Canonicus Fatigati, ut judicium feratur super validitate suæ electionis, tum ad vindicandum proprium honorem, tum ne prævaleat calumnia Oppositorum: Et validam fuisse contendit suam electionem, ne dum quia majori suffragiorum numero superavit alios concurrentes; ad tradita per *Piton. disc. Eccles.* 140. *n.* 57., verum etiam quia præsumptio militat sui favore pro validitate electionis, quousque a contradictoribus nullitates non ostendantur, ut prosequitur idem *Piton. discept.* 156. *num. prim.*

Nec subsistere inquit defectum Laureæ Doctoralis, quem sibi in Archigimnasio Urbis collatam fuisse demonstrat ante sequutam electionem; nihilque obesse putat jactantiam meritorum Canonici Pagani, quem præ nimia ambitione invisum esse Capitulo, & Civitati comprobat unanimi Canonicorum testimonio. Manifestam

nifestam autem calumniam esse defendit, quod in sua electione repertum fuerit unum suffragium supra numerum Vocalium qui octo cum essent, novem nihilominus suffragia inventa sunt in electione Canonici Fatigati; Id enim processisse authumat, quia Archipresbyter duplicis suffragii jure potitur; itaut in scrutiniis etiam contradictorum, cum septem essent vocales (nam suffragium quisque non tulit in propria electione] octo nihilominus reperta sunt suffragia.

Novus Terracinensis Episcopus annuendum censet Oratoris precibus pluribus apud Capitulum, & Populum meritis commendati; Unde definiri poterit ab EE. VV.

An electio Vicarii Capitularis facta in personam Canonici Januarii Fatigati valida fuerit, in casu &c.

Affirmativè.

MILETEN. ERECTIONIS CAPPELLANIARUM. In publicis Comitiis Oppidi Majerati habitis die 1. Augusti 1758. deliberatum est, ut peteretur apud legitimos Superiores erectio duodecim Cappellaniarum facienda ex bonis tunc vacantis Archipresbyteratus, cum unione reddituum suppressi Conventus Dominicanorum, & utilium, quæ Clero afferre solent geminæ Confraternitates Laicorum utriusque sexus, & opus pium nuncupatum Mons Animarum Purgantium, ad hoc ut prædictæ Cappellaniæ conferri deberent duodecim Presbyteris naturalibus ejusdem loci, qui onus haberent Ecclesiæ in divinis officiis quotidie inserviendi, & simul coadjuvandi in exercitio curæ animarum Archipresbyterum, cui reservanda tantum esset congrua Conciliaris præter alia emolumenta stolæ. *Sess.21. cap.4. de Ref.*

Dum cunctabatur super precibus ad hunc effectum Diœcesano Episcopo porrectis, obtinuit in mense Decembris 1758. de eodem Archipresbyteratu provideri a Dataria Apostolica Sacerdos Philippus Apabrizj, quem propterea Majeratenses in jus vocarunt coram hac S. Congr. vigore citationis specialis expeditæ die 22. Sept. 1759., & eidem Archipresbytero præsentatæ die 9. sequentis mensis Octobris. Cumque ille non curaverit adhuc legitimè comparere, & Procuratorem suum in Urbe constituere; Idcirco Majeratenses instant procedi ad resolutionem Causæ illius contumacia non obstante.

Contendunt porrò adeo numeroso Populo trium millium Habitantium, quot numerantur in Oppido Majerati, haud sufficere unum Archipresbyterum, a quo hactenus cura animarum exercita est, cum tribus Œconomis, qui ab eo conducuntur, præsertim cum plures sint agrorum cultores, qui in dissitis amplissimi illius Territorii Regionibus commorantur, quorum spiritualibus indigentiis non semper occurrere valuerunt Archipresbyter, & Œconomi, itaut quandoque obierint sine Sacramentis, & per-

& per sæpe illorum Pueri in deploranda ignorantia Mysteriorum Fidei adolescant. Quapropter inferunt opus esse augere Ministrorum numerum in adjuvamen Parochi, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum juxta praescriptum *S. Conc. Trid. Sess.*21. *cap.*4. *de Ref.*, cum aliis juribus collectis per *Fagnan. in cap. ad audientiam n.*24. *de Ecclesiis ædificandis*, *Pignat. consult. Can. tom.*4. *consult.*230. *n.*13., *& Rota cor. Duvozet. jun. dec.*472. *n.*1. Animadvertendum tamen hic num magis congruat menti Tridentinæ Synodi cogere Archipresbyterum ad supplendum indigentiæ numerosi Populi mediantibus Coadjutoribus per ipsum cum redditibus Ecclesiæ assumendis, prout Episcopus insinuat animarum curæ consuluisse, vel potius Conciliaris sanctio exposcat reddituum Parochiæ dismembrationem ad effectum erigendi Cappellanias cum onere coadjuvandi curæ animarum.

Et facilius, arbitrantur, locum esse erectioni Cappellaniarum, ex quo non desunt pingues redditus Archipresbyteratus, qui, deductis oneribus, ascendunt annis singulis ad ducatos Regni 523. & junctis emolumentis dictarum Confraternitatum, & Pii Montis Animarum Purgantium cum fructibus suppressi Conventus, conflari posset annua quantitas reddituum ducat. 707. sufficientium pro manutentione Archipresbyteri, & dd. Cappellanorum. Et opportunam quoque affirmant eamdem erectionem, ut augeatur divinus cultus in quotidiano cantu divinorum officiorum, utque consulatur indigentiæ Presbyterorum Localium, qui plures sunt, nec tamen habent unde congruam sumant sustentationem, quam commodè percipere possent, si fieret erectio Cappellaniarum ad modum Collegii, ut advertit *Card. de Luc. in adnotatione ad Conc. Trid. disc.*16. *n.*4.

Auditus autem Episcopus censet non esse deveniendum ad petitam erectionem, ne diminutis redditibus Archipresbyteratus difficilius reperiantur, qui ad eam curam aspirare velint ob insalubritatem aeris, & ob extremam Habitantium paupertatem, cui Parochus occurrere debet frequentissimis eleemosynis, quod tamen negant Majeratenses, plurium testimonio defendentes salubritatem aeris, & propugnantes divitias incolarum, Parochorumque avaritiam, nedum in denegandis eleemosynis, sed etiam in omittendis necessariis expensis pro Ecclesiæ cultu, quæ eorum muneri incumbunt. Erit itaque ab EE.VV. definiendum.

An sit procedendum ad erectionem Cappellaniarum, de quibus agitur, juxta resolutionem captam a Concilio Terræ Majerati, in casu &c.

Negativè.

FANEN. ERECTIONIS CANONICATUUM. Prole carens Sirius Jo: Masini de Carticeto Fanen. Diœcesis, in supremo cum quo decessit elogio, præter mille Missas, quas in suæ animæ suffragium intra sex menses celebrari jussit, legati titulo reliquit sc.300. monetæ Urbini S.Monti Pietatis ejusdem Terræ Carticeti intra triennium ab hærede suo persolvenda, ad rationem nempe sc.100. pro quolibet anno; & insuper eodem Legati jure reliquit Joanni Baptistæ, aliisque Fratribus de Palatiis scuta 500. d. monetæ, solvenda pariter ad rationem sc.100. anno quolibet, ac postquam satisfactum esset præcedens legatum Sac. Monti Pietatis relictum; Rursus præstari voluit Famulæ suæ Angelæ Orpheæ, donec viveret annuas mensuras quatuor frumenti præter sc.100. unica vice eidem exsolvenda; ac tandem pro omni, & toto eo, quod prætendere posset legavit Aloysio Augustini Pronepoti sc.50.

In omnibus vero suis Bonis hæredem nuncupavit Jacobum Tonelli cum onere assumendi cognomen suum, cui sine Filiis decedenti substituit geminos erigendos Canonicatus addendos aliis jam existentibus in Ecclesia Collegiata S. Mariæ de Misericordia dictæ Terræ Carticeti: Jus autem præsentandi novos Canonicos, *unum* contulit favore Familiæ de Palatiis, & *alterum* addixit Familiæ de Tonellis, mandans quod novi Canonici eligendi ortum ducerent ab eodem loco, vel ibi habitarent, ac bonis moribus præditi essent, quodque Sacramentales Confessiones exciperent, & annuas Missas sexaginta pro unoquoque in ejus animæ expiationem, ac Festum quoque S. Vincentii Ferrerii, prout ipse met Testator consueverat, quotannis celebrarent, cæteraque cuncta obirent, prout alii ejusdem Ecclesiæ Canonici. Demumque inventarium omnium Bonorum confici præcepit cum interventu, vel Archidiaconi Collegiatæ, vel Vicarii Foranei.

Per obitum Sirii Testatoris sequut.die 17.Apr.præteriti anni 1759. hæreditatem adeptus est Jacobus Tonelli illius hæres, & die immediate sequenti 18. cum assistentia in prima sessione non unius tantum, ut Testator præceperat, sed tam Archidiaconi, quam Vicarii Foranei Canonici Josephi de Palatiis, in testamento præelectorum, Inventarium incæpit Bonorum hæreditariorum, quod tandem in aliis sessionibus cum interventu solius Archidiaconi completum fuit.

Dum hæc agebantur die 18. Maii ejusdem anni 1759. immatura morte in florida ætate annorum 26. præreptus est Jacobus Tonelli hæres, nullis post se relictis Filiis, & idcirco cum factus fuisset locus substitutioni favore duorum Canonicatuum, die 30. dicti mensis Maii Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Carticeti consensum solemniter præstitit pro receptione novorum Canonicorum, ac insuper quamplurimæ ad hunc effectum dictum Capitulum inter, & illos de Palatiis, ac de Tonellis Patronos subscriptæ fuerunt conventiones, & leges a novis Canonicis servandæ; quibus peractis die 13. Junii comparuit in actis

Curiæ Episcopalis Fani Promotor Fiscalis, & procuratorio etiam nomine Petri Tonelli Patris defuncti Jacobi petiit erectionem dd. duorum Canonicatuum, cui instantiæ adhæsit Episcopus, mandans præ cæteris Inventarium omnium Bonorum penes acta produci, & rursus illorum administrationem Œconomo per eum deputato commisit.

Die 15. d. mensis Junii iterum comparuit coram Episcopo Procurator Petri Tonelli, & dimisit favore Canonicatuum erigendorum omnia Bona, cum protestatione tamen, quod non teneretur ad restitutionem fructuum consumptorum pro tempore, quo Jacobus Filius Testatori supervixit, quodque uti hæres dicti ejus Filii suas facere intendebat pecunias, cambia, & credita exigenda, & hasce protestationes Episcopus admisit si,& in quantum,sine tamen præjudicio jurium Canonicatibus erigendis quomodolibet competentibus, ac sub eadem die decretum edidit pro erectione Canonicatuum, quibus pro dote assignavit bona omnia hæreditaria q. Sirii Testatoris in Inventario descr ipta.

Vix interposito erectionis decreto sub eadem die 15. Junii Petrus. Tonelli præsentavit ad alterum ex Canonicatibus Sacerdotem Franciscum de Monte, cui Episcopus se promptum exhibuit institutionem concedere, & pro hujusmodi effectu literas institutionis ad illius favorem expediri mandavit, prout de facto sequenti die 16. non curato obice *nihil transeat pro S.Sede Apostolica* per Canonicum Josephum Bartoli apposito, fuerunt expeditæ, & illarum vigore illico hora 14. ejusdem diei d. Franciscus de Monte possessionem Canonicatus adeptus fuit.

Adversus hujusmodi actus uti inconsultò, ac præproperè gestos per Curiã Episcopalem Fani quamplurimas proponunt quærelas Jo: Baptista, aliique Fratres de Palatiis. *Primo* enim ajunt Sirium Testatorem plura reliquisse legata, quæ prius erant satisfacienda, ad hoc ut facilius dignosci posset, an id quod supererat, sufficiens esset pro commoda substentatione Canonicorum, ne vitam ipsi cogerentur ducere inter angustias contra monitum *Text. in can. nemo il primo de consecrat. dist.* 1. Tantumque abfuit Episcopum ad hæc respexisse, ut neque Inventarium Bonorum de tempore erectionis in actis Curiæ Episcopalis productum esset, cum ex data Notarii sub die 21. Junii anni 1759. appareat publicatum.

Secundo opponunt Hæreditatem pluribus litibus detineri, ac obnoxiam esse ob prætensiones excitatas a Petro Tonelli in suis protestationibus supra relatis.

Tertio præter hasce prætensiones a Petro Tonelli propositas, alteram affirmant coram A. C. pendere graviorem litem nuperrimè instructam, tum contra Franciscum de Monte præsentatum, tum contra Patronos per Jacobum Augustini, qui contendit plurima ex bonis stabilibus per Sirium Marini Testatorem relictis ad ipsum pertinere.

Ex his inferendo nimis incertam, & involutam esse substantiam Testatoris, & ideo non potuisse deveniri ad Canonicatuum erectio-

ctionem, cum suspicari liceat parùm, aut nihil pro Canonicis remansurum, quando ex opposito Beneficiorum dotes debent esse certæ, ac perpetuæ, nullique periculo obnoxiæ, ut per *Text. in can. placuit de consec. distint.* 1. *quæst.* 2. firmant *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 31. *n.* 3., & *Rot. decis.* 283. *n.* 13. *par.* 7. *recentior* quod certe ex supra expositis verificari non posse contenditur, ob omissas præsertim citationes Legatariorum, & affixionem Edictorum, ex quorum defectu, quo magis invalescunt jura creditorum, eo minus certæ, ac perpetuæ dici possunt Canonicatuum dotes.

Hæc summa rationũ quas exhibent in eorum libello Fratres de Palatiis, ut erectionem Canonicatuum substineri non posse suadeant, obtineantque, ea de medio sublata, post liquidatam, & expurgatam Testatoris hæreditatem, novam ex integro fieri illorum erectionem, deputato interim Œconomo pro bonorum administratione, & adnexorum onerum supportatione.

At contra Petrus Tonelli, ac Franciscus de Monte ab eo præsentatus reponunt validam, numerisque omnibus absolutam fuisse erectionem ab Episcopo factam, omniaque servata fuisse, quæ de jure servari oportebat, cum præcessisset Capituli consensus, & prȩambula inita essent pacta d. Capitulum inter, & utrumq; Patronum pro novorum Canonicatuum admissione; Inventarium insuper fuisse jam completum cum assistentia Archidiaconi juxta Testatoris præceptum, & Petrum Tonelli ante erectionem Canonicatuum hȩreditaria bona dimisisse.

Rursus affirmant inanem esse litium metum, cum Legatarii dimittendi sint ex redditibus ad rationem sc. 100. monetæ Urbini quolibet anno, quod commode fieri posse asseverant, ex quo hæreditas sit opulenta. Quo vero ad litem coram A. C. instauratam a Jacobo Augustini, hanc introductam fuisse ajunt ad instigationem Josephi Bartoli, qui curat erectionem protrahere, donec suus ex Fratre Nepos ad legitimam pervenerit ætatem pro obtinendo Canonicatu.

Nec prætensiones, ac protestationes emissas per Petrum Tonelli coram Episcopo tanti esse contendunt, ut impedire possint Erectionem, quæ cæteroquin quantocitius facienda erat, ne Missarum Suffragiis Testator frauderetur. Quibus perpensis ad EE. VV. pertinet definire:

I. *An substineatur erectio duorum Canonicatuum Jurispatronatus in Ecclesia Collegiata Carticeti facta per Episcopum Fanen.*, & quatenus negative.

II. *An, & quomodo usque ad novam illorum erectionem providendum sit circa administrationem hæreditatis bon. mem. Sixti Joannis Marini, liquidationem illius status, & alia, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius.

Die

Die Sabbathi 19. Aprilis 1760. In Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs.24. c. 12. de Ref. BARCHINONEN. JUBILATIONIS. Hæc Cauſa deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 22. Septembris ſuperioris anni; ſed cum propoſita non fuerit, denuo ſubiicitur ſapientiſſimo EE. VV. Judicio. In eodem Folio benigne reaſſumendo expoſita ſunt rationum momenta, quibus Canonicus Joſeph Ribera defendit aſſertam conſuetudinem, ut antiquior Canonicus *pro Jubilato* habeatur, cum exemptione a ſervitio Chori, & Altaris, & ab officiis œconomicis Capituli, non obſtante ſtatuto ad hunc effectum requirente ſervitium quinquaginta annorum, quod de cæteris Canonicis, non de Antiquiore intelligendum putat.

Addere autem oportet, quæ in libello Capituli differuntur pro ratione dubitandi ſuper ejuſdem conſuetudinis firmitate, & ad inſinuandam expetitæ a Ribera exemptionis denegationem. Proponit itaque Capitulum, quod omnibus Canonicis indiſcriminatim, ac omnibus Beneficiatis in antiquo ſtatuto Capitulari anni 1471. conceditur jubilatio poſt quinquagenarium laudabile ſervitium, ſub conditione tamen, quod *ſint præſentes in Civitate, & non abſentes*: Proponit inſuper, quod in alio ſtatuto Capitulari anni 1560. cautum eſt, ut Canonici, & Beneficiati, poſt expletum quadragenarium laudabile ſervitium, *aſſequantur dictum Jubilæum quantum ad Matutinum tantum: & in reliquo non poſſint gaudere dicto Jubilæo, uſque dum compleverint dictos quinquaginta annos*; Et denique proponit, quod in alia Capitulari deliberatione anni 1569. rurſus Canonici -- *Decreverunt, quod de cætero Canonicus antiquor, & Beneficiatus antiquior præſentis Eccleſiæ, licet in ea per tempus quinquaginta annorum non ſervierint, ſint Jubilati, nec magis, nec minus, ac ſi ſervierint in d. Eccleſia quinquaginta annos*. Sunt verba ipſa dd. decretorum.

Quamobrem ad eaſdem Capitulares Conſtitutiones referendas eſſe contendit jubilationes impoſterum conceſſas Canonicis Antiquioribus; idque probari autumat ex actu Jubilationis datæ Antiquiori Canonico Joanni Spunii anno 1571. cum expreſſa relatione ad eaſdem Conſtitutiones -- ibi -- *Cum juxta Conſtitutiones Capitulares præſentis Eccleſiæ antiquior Canonicus, ſeu antiquior Beneficiatus ſint jubilandi*. Unde infert, immemorabilem dici non poſſe conſuetudinem, quam conſtat habuiſſe

buisse initium a d. decreto Capitulari: & centenariam illius observantiam, quæ ad certum titulum Constitutionum Capitularium relata est, inducere non posse præsumptionem Apostolici privilegii; quo seposito, nec immemorabilis, nec Constitutiones Capitulares suffragantur ad acquirendam quoquo modo exemptionem a servitio Ecclesiæ contra formam præscriptam a S. Concilio Trident. in sess. 24. cap. 12. de Ref., ut de simili Statuto Ecclesiæ Compostellanæ ab immemorabili tempore observato definitum fuisse refert *Fagnan. in cap. licet n. 34. & seq. de Prabend.*

Et eo minus censet suffragari posse consuetudinem pro immunitate obtinenda a servitio Altaris, & ab officiis œconomicis; quia constat, omnes Canonicos antiqniores, qui usque nunc fuerunt, & ipsum Canonicum Ribera hodiernum antiquiorem, servitium Altari præstitisse in suis respectivis hebdomadis, vel per se, vel per substitutum, & officia œconomica exercuisse, quoties a Capitulo electi sunt; itaut si de immunitate judicandum sit ad tramites consuetudinis, ad illos solum actus extendi poterit, de quibus constat immunitatem assequutos fuisse præteritos Antiquiores.

Claudicante autem consuetudine, illaque non suffragante quoad servitium Altaris, & quoad Officia œconomica sequeretur, quod nullam immunitatem sibi asserere posset Canonicus Ribera, quippe qui sit destitutus est laudabili, & continuo quadraginta annorum servitio, nec habeat indultum S. Congregationis cum præambula dictorum requisitorum verificatione concedi solitum.

His autem perpensis, definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Joseph Ribera uti Canonicus antiquior gaudere possit jubilatione vigore prætensæ consuetudinis, in casu &c.?* & quatenus affirmative.

II. *An jubilatio extendatur etiam ad exemptionem ab officiis œconomicis, & a servitio Altaris, in casu &c.*

III. *An Capitulum teneatur restituere distributiones hactenus retentas, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Negative.

CAMERINEN. HÆREDITATIS. in Testamento, quod condidit anno 1711., Petrus Sanctes Fanti hæredem ex asse instituit Communitatem Campi Rotundi, adjecto onere, ut ex Fructibus hæreditariis solverentur annua scuta viginti quinque Medico, totidemque Ludi Magistro ejusdem Loci, & alia sc. 10. erogarentur quotannis in manutentionem, & reparationem viarum -- *Ed il rimanente de frutti depositati debba servire per dotare tante Zitelle povere, ed onorate nate, e commoranti in Campo Rotondo stabiliendo per ciascuna Zitella l'elemosina Dotale di sc. 50.* *Sess. 25. cap. 8. de Ref.*

Cum tamen in humili Pago frequens non sit numerus Puellarum dotandarum, & quolibet anno supersit non modica fructuum quan-

quantitas, propterea ex indulgentia Summi Pontificis sæpe constitutæ fuerunt pinguiores Dotes Puellis aliquam attinentiam habentibus cum Testatore: & anno 1733. Communitas Campirotundi impetravit facultatem erogandi summa sc.535. in ædificium, & reparationem duorum Pontium. Dubium quoque sub titulo *Camerinen. Subsidiorum Dotalium* disputatum est in Congreg. 23. Novembris 1743. -- *An Communitas Campi Rotundi possit libere disponere de Fructibus superextantibus ex hæreditate Pier Sanctis Fanti vel potius, an & cujus favore sit consulendum Sanctissimo pro applicatione eorumdem Fructum, in casu* -- & prodiit rescriptum -- *Dilata, & ad mentem* --, quæ fuit, ut inquireretur de numero dotium solvendarum, & de quantitate pecuniarum superextantium: & repropofita causa in Congregatione habita die 29. Februarii 1744., rescriptum fuit -- *Ad primam partem Negative; Ad secundam docto de superextantia redaituum supplicent in casibus particularibus & ad mentem. Mens est, quod scribatur Episcopo juxta instructionem* -- ut *in libr.*93. *decr. pag.*499. *& in lib.*94. *pag.*91.

Ad novas ejusdem Communitatis preces indulsit S. M. Benedictus XIV. per Breve expeditum die 5. Julii 1757., ut ex prædictis superextantibus fructibus alerentur tres Pueri in Seminario Camerini, tributo cuilibet subsidio annorum sc. 30., quorum viginti solvuntur Seminario, alia decem erogantur in emptione librorum, vestium, aliisque minutis expensis in dicto Seminario consuetis. Quo tamen non obstante, cum alii supersint redditus, post implementum omnium prædictum onerum; Idcirco disputat Communitas, illos comprehensis etiam dotibus assignatis, & assignandis Puellis, quæ innuptæ decedent, esse applicandos sui favore, attenta nimia egestate, qua præmitur, ob quam impar est viarum, publicorumque edificiorum ruinam minantium reparationi, nec pro manutentione Cappellæ ab ipso Fanti sine dotis destinatione constructæ, nec pro substinendis cæteris oneribus Comunitativis, nec tandem pro pensitatione onerum Cameralium supplere potest. Et Episcopus, qui ab hac Sacra Congregatione auditus est, illius extremam comprobans paupertatem, annuendum censet Communitatis precibus, quibus tantum adversatur Clericus Aloysius Pier Giovanni, cui denegatum est, ex deposito sc. mille biscentum sexaginta quatuor destinato pro solvendis dotibus favore Puellarum extractarum, subsidium pro sui manutentione in Seminario nimis serotine post secutam admissionem aliorum trium adolescentium vigore supra recensiti indulti postulatum. Quocirca definiendum erit ab EE. VV.

An superextantes fructus hæreditatis bon. mem. Petri Sanctis Fanti decursi, & in futurum decurren., & in S. Monte Pietatis Urbis depositi, & imposterum anno quolibet deponen. in d. S. Monte Pietatis Urbis, sint assignandi Communitati Campi Rotundi ejus Hæredi, demptis Dotibus, aliisque oneribus ab eodem bon. mem. Fanti relictis, in casu &c.

In decisis sub die 29. Febr. 1744.

CA-

CAPUTAQUEN. Agitur hæc Causa inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Caputaquensis, & Bajulivum S. Euphemiæ Sacri Ordinis Hierosolymitani, super jurisdictione Ordinaria exercenda in Locis Rhodii, & S. Mauri, quæ spectant ad Bajulivatum, & intra Limites Diœcesis prædictæ sita sunt. Et cum proposita fuisset in Congregatione habita die 12. Martii 1757., dilata est illius resolutio ad instantiam Bajulivi, qui rursus dilationem obtinuit in aliis Congregationibus habitis die 9. Julii, & 20. Augusti. Ac tandem in Congregatione habita die 19. Novembris ejusdem anni, ob illegalitatem documentorum Bajulivi oppositam a Promotore Fiscali, EE. PP. rescripserunt -- *Dilata, & fiet extractio documentorum citata Parte - lib. 107. dec. p. 427.* Urgere non destitit Promotor Fiscalis, ut termini præfigerentur Bajulivo ad faciendam extractionem, quæ tamen huc usque peracta non fuit; Ne diutius itaque protrahatur judicium, nunc supplicat ab EE. VV. definiri.

Sess. 5. c. 5. sess. 7. c. 8. sess. 21. c. 8. & sess. 23. c. 15. de Ref.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem Ordinariam in Locis Rhodii, & S. Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Œconomi Provisionalis ad dd. Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dictis Ecclesiis, quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An administatio Sacramenti confirmationis in Locis Rhodii, & S. Mauri privative spectet ad Episcop. Caputaquen. in casu &c.*

Dilata.

NERITONEN. ABBATIÆ. Ex quibusdam legatis Majorum, alijsque Bonis superadditis in augumentum Dotis, Marcellus, & Joannes Carolus Massa Ecclesiam in Civitate Neriti fundarunt anno 1628. vigore Indulti Apostolici, cum Beneficio *Abbatia* nuncupato sub invocatione Beatissimæ Virginis Rosarii, & Sanctorum Marcelli, & Bartholomæi, cujus Patronatum activum, & jus præsentandi, in defectum suorum Descendentium, reservarunt favore Bartholomæi Massa ipsorum ex prædefuncto Fratre Nepotis, illiusque Descendentium de Primogenito in Primogenitum Masculum in infinitum, cum non nullis substitutionibus, quæ ad rem non pertinent; Et de jurepatronatus passivo ita statuerunt -- *quod Abbas præsentandus ad d. Beneficium sit, & esse debeat descendens a supradicto Joanne Carolo, & Bartholomæo Massa, & magis conjunctus ipsis Fundatoribus: Et in eventu, quod plures concurrentes in pari gradu adsint in dicta Familia, tunc, & eo casu Major ætatis, vel primus Clericus nominari debeat: Et casu, quod non adsit Clericus Capax descendens a prædictis Joanne Carolo, & Bartholomæo de Mas-*

Sess. 25. c. 6. de Ref.

sa, præsentari debeat ex Familia de Massa: Et in eventum, quod nullus adsit de Familia de Massa, eligi, & nominari debeat aliquis ex descendentibus ex d. Luca Joanne Valentini, ut supra. Cum protestatione in principio, medio, & fine, & in qualibet parte præsentis contractus, quod in omnibus servari debeat tenor, & continentia prædicti Indulti Apostolici per Sanctissimum Dominum Nostri PP. Urbanum VIII. super hoc ut supra expediti.

Nuper autem sequuta Beneficij vacatione, Hieronymus Massa Baro Galugnani, qui est hodiernus Patronus de linea Bartholomæi, intra legitima tempora præsentavit in Curia Episcopali Filium suum Bartholomæum Juniorem in ætate annorum trium cum dimidio constitutum, sub spe obtinendæ dispensationis Apostolicæ super ætatis defectu. Comparuit quoque intra legitima tempora in eadem Curia Didacus ex altera Familia Petri Massa Pro-Patrui Fundatorum, &, tamquam passive vocatus in defectum Clericorum habilium de linea Bartholomæi, petiit institui ad eandem Abbatiam, *dummodo prædictus Infans Bartholomæus Junior apostolicam dispensationem super ætate non obtineret.*

Preces, quas pro impetranda dispensatione obtulit Bartholomæus, per Datariam remissæ sunt ad hanc Sacram Congregationem, a qua datæ fuerunt Literæ ad Episcopum die 31. Martij superioris anni, ut de omnibus referret, & votum suum aperiret. Rescripsit Episcopus, & animi sui sententiam non aperiens, recensuit contradictiones Didaci, qui contendit, factum esse locum suæ substitutioni ob incapacitatem Oratoris de tempore vacationis Beneficij, & sequutæ præsentationis: sibique jus quæsitum fuisse per comparitionem, & oppositionem in tempore factam, itaut in præjudicium Clerici habilis de genere vocatorum, dispensandum non sit cum altero inhabili, & incapaci, juxta firmata per *Piton de contr. patron. allegat.* 85. *num.* 12., & *Rot. decis.* 1124. *n.* 24. *cor. Molines.*

Sed his non obstantibus, disputat Bartholomæus, dispensationem ætatis, quam ipse postulat, facile concedendam esse Filio Patroni passive vocato a Fundatoribus, *Corrad. in prax. benefic. lib.* 4. *cap.* 6. §. *Pariter*, & *in prax. dispens. lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 2., *Vivian. de jurepatr. lib.* 6 *cap.* 6. *num.* 9., & *Piton. discept. Eccles.* 13. *num.* 42., & affert exempla dispensationum per hanc Sacram Congregationem concessarum Puero quadrimo *in Lucana Beneficij seu Cappellaniæ* 17. *Maij* 1749. *lib.* 9. *Dec. pag.* 207. & Puero trimo *in Asculana Cappellaniarum super dispensatione* 22. *Augusti* 1750. *lib.* 100. *Dec. pag.* 320.

Et spernendas autumat oppositiones Didaci, quia Fundatores nullam præscripserunt qualitatem Clericatus, & legitimæ ætatis in Præsentando, quo casu præscripta qualitas verificari debuisset de tempore vacationis, vel præsentationis: sed illa requisita est a jure pro idoneitate Personæ instituendæ, & ideo sufficit verificari de tempore institutionis, juxta distinctionem, de qua *Rota in Aretina Beneficij* 20. *Junij* 1735. §. 4. *coram bon. mem. Peralta*, & *in Placentina Beneficij* 21. *Aprilis* 1749. §. 13. *coram Reverendissimo P. D. Canilliac Decano*. Unde censet, nullum jus acquiri Didaco, usquequo spes superest obtinen-

nendæ diſpenſationis, nec legitimum contradictorem eum eſſe ad diſpenſationem impediendam, per ea, quæ notant *Cardinal de Luca de jurepatr. diſcept. 70. numer. 3.*, *Piton. diſcept. Eccleſ. 13. numer. 39.*, *& ſeq.*, *& Rot. in Tuſculana Canonicatus* 29. *Maij* 1756. §.*6. ad* 8. *coram R. P. D. Stadion*, *& in Mediolanen. Beneficij* 6. *Junij* 1757. §. 8. *coram R. P. D. Paracciano*. Præſertim, quia Didacus comparuit, & inſtitutionem petiit in Curia Epiſcopali ſub conditione, *dommodo prædictus Infans Bartbolomæus Maſſa Apoſtolicam diſpenſationem ſuper ætate non obtineret*, itaut congruere videantur reſolutiones hujus Sacræ Congregationis editæ *in Barchinonen. diſpenſationis* 30. *Januarij* 1740.*lib.*90.*Dec.pag.*40., *& in Cremonen. diſpenſationis* 4. *Martij* 1758.*lib.* 108.*Dec.p.*99.: in quibus conceſſa fuit diſpenſatio ætatis, non obſtante præſentatione alterius ſub eadem conditione, quatenus primus non obtinuiſſet diſpenſationem.

Subjungit denique Bartholomæus, vel nullam rationem habendam eſſe de paſſiva Didaci vocatione, quæ legitur in Inſtrumento Fundationis, quia repetita non fuit in Sententia exequutoriali Indulti Apoſtolici ſuper erectione Beneficij, quæ magis attendenda eſt, ut probat *Rota in Aquilana juriſpatronatus* 14. *Junij* 1748. §. *Addebat*, *&* §. *Nec erat coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Elephantutio*: vel inhabilem nihilominus reputandum fore etiam Didacum, ob retentionem Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, cum tribus aliis Beneficiis, quæ ille poſſidet; unde foret exorbitantior diſpenſatio ſuper pluralitate Beneficiorum ab illo impetranda, quam diſpenſatio petita ab Oratore ſuper ætate.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

An ſit relaxanda ſupplicatio, &, reſpective concedenda diſpenſatio, in caſu &c.

Dilata, & exhibeatur indultum Apoſtolicum.

BOJANEN. PRÆEMINENTIARUM. Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Leonardi, quæ eſt in Oppido Campi Baſſi Bojanen. Diœceſis, conſtituitur *ex Archipresbytero* Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Majoris ejuſdem Opdidi, *ex Rectoribus* aliarum trium Eccleſiarum Parochialium S. Georgei, S. Bartholomæi, & SS. Angeli, & Mercurij, nec non etiam *ex Presbyteris Participantibus* dd. quatuor Parochialium, qui in Collegiata decorantur nomine Canonicorum. In Statutis autem hujus Collegiatæ Eccleſiæ conditis anno 1715., & auctoritate ſan. mem. Benedicti XIII. tunc Archiepiſcopi Beneventani confirmatis, cautum eſt *in cap.*4. de officio Archipresbyteri, ut Archipreſbyter tamquam primus Canonicus debeat *nel giorno della Feſta di S. Leonardo a 6. di Novembre fare li Veſperi, e cantare la Meſſa, con l'aſſiſtenza di due Canonici Decani, quali impediti ſuccedano gli altri gradatim*; Eidemque Ardhipresbytero præſciribitur, Miſſas canere in die Nativitatis Domini: Aquam benedicere in Vigilia Epiphaniæ *con l'aſſiſtenza di due Canonici Decani, o altri gradatim*: in Dominca Palmarum conſuetas peragere fun-

Seſs. 24. *c.* 13. *de Ref.*

functiones *con l'assistenza di due Canonici*: Processionem ducere in prima die Rogationum *con i Ministri parati*, nec non Missam canere, & Agros benedicere: In die Asceationis Domini celebrare Vesperas, & Missam *con l'assistenza delli sopranominati Canonici*: aliam Missam canere, & Processionem per Oppidum ducere in die Pentecostes *coll'assistenza de Canonici come sopra*: & in die Festo Sanctissimi Corporis Christi Vesperas, & Missam canere *coll'assistenze come di sopra, come anche nell' ottava portare il Venerabile, facendosi la Processione di sera*. Et rursus *in cap.* 20. de Officio Canonicorum cavetur, quod *circa l'assistenza all' Arciprete deesi fare dalli Canonici più Decani appresso li Rettori: agli altri poi debbono assistere altri successive gradatim*

In lite peracta in hac Sacra Congregatione anno 1732. inter Archiprebyterum, & Rectores prædictos, inter cætera fuerunt disputata tria Dubia, nempe *XV. An, & qui teneantur assistere in Officio Diaconi, & Subdiaconi Archipresbytero celebranti in Processionibus, & Missis solemnibus Pentecostes, Asceutionis, & Corporis Christi? XVI. An ijs diebus eadem assistentia præstanda sit etiam Æconomo Archipresbyteri impediti celebranti? XVII. An in Processionibus feriæ secundæ, tertiæ, & quartæ Rogationum, & in Processione votiva, quæ fit die prima Maij, possit Archipresbyter ad suum libitum functiones explere per se ipsum cum Pluviali, vel potius id privative spectet ad Rectores, juxat regulas Capitulationum anni* 1715.? Et Sacra Congregatio his tribus Dubiis respondit die 24. Maij 1732. *Ad XV. Serventur statuta anni* 1715. *Ad XVI. Archipresbytero impedito, celebrare debere non Æconomum, sed Canonicum antiquiorem cum assistentia aliorum Canonicorum: Ad XVII. serventur statuta anni* 1715., *& amplius in omnibus* ut *in lib.*82. *Dec. pag.*251.

Nuper autem Canonicus Salottolo conquestus est in Sacra Congregatione Rituum de abusu, ut ajebat, vigente in eadem Collegiata, quod Archipresbyter prætenderet in Missis solemnibus assistentiam a Canonicis antiquioribus, quodque Vespertinas functiones agere præsumeret etiam ijs diebus, quibus de mane Missam solemnem celebrat Canonicus Hebdomadarius. Et controversia ad hanc Sacrum Congregationem remissa ex decreto Rev. P. D. Auditoris Santissimi, nunc disputat idem Salottolo, Canonicos ad psallendum in Choro, non ad assistendum Archipresbytero celebranti institutos esse, *Pignatell. consult. canon. tom.* 4. *consult.* 28.; Exercitium Curæ animarum, cui addicti sunt Canonici tamquam coadiutores Ecclesiarum Parochialium, non esse intermittendum pro assistentia præstanda Archipresbitero *Clericat de Benefic. tom. primo disc.* 71. *num.* 6. *ad* 8.: Ceremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 26. interpretandum esse de assistentia præstanda Episcopo, non item Dignitatibus, vel Canonicis, *Clericat. dict. disc.*71. *num.*26., vel habere locum tantummodo, ubi Canonicorum Præbendæ sint distinctæ in Diaconales, & Subdiaconales, *Ceccop. lucub. can. lib.*3. *tit.*8. *n.*25.

Statutum vero, putat, abrogatum fuisse contraria consuetudine, ob assistentiam Archipresbytero præstitam a Canonicis promiscue

ſcue Antiquioribus, & junioribus, & aliquando etiam a ſimplicibus Presbyteris, juxta depoſitiones Canonicorum, Presbyterorum, & Civium: Devium inſuper eſſe ab uſu tum finitimarum Eccleſiarum, tum ipſius Eccleſiæ Cathedralis Bojanen., in qua Dignitatibus, vel Canonicis celebrantibus aſſiſtunt Manſionarij, & a qua ſubditur normam accipere debere inferiores Eccleſias circa celebrationem Divinorum Officiorum, *Clericat. dict. diſc.* 71. *num.* 18., *& num* 32.: quinimmo æquitati, & decori Eccleſiaſtico illud repugnare; quia Seniores honorandi magis, quam onerandi forent.

Nec obeſſe autumat reſolutiones hujus Sacræ Congregationis editas anno 1732., tum quia prodierunt non citatis Canonicis: tum inſuper quia hic agitur non de viribus, ſed de interpretatione Statuti, quod in duabus ſolummodo functionibus explicite præſcribit aſſiſtentiam Canonicorum Antiquiorum, ut ex verbis Statuti in principio relatis; & genericam diſpoſitionem *cap.* 10. eorumdem ſtatutorum referendam eſſe contendit ad ſpecies in antecedenti *capit.*4. enunciatas.

De Functionibus vero ad Veſperas faciendis, non abnuit, Archipresbytero reſervandas eſſe omnes, quæ illi a ſtatuto tribuuntur; ſed defendit, reliquas omnes faciendas eſſe a Canonico Hebdomadario, qui de Mane Miſſam ſolennem celebravit.

Epiſcopus de more auditus, adhæret recurrentis precibus. Unde pertinet ad EE. VV. decernere.

I. *An Archipresbytero teneantur aſſiſtere in Officio Diaconi, & Subdiaconi Presbyteri ſimplices, ſeu potius canonici?* & quatenus affirmativè *ad ſecundum partem*.

II. *An & in omnibus functionibus teneantur Canonici antiquiores?*

III. *An Archipresbytero competat jus die octava Feſtivitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti geſtandi Venerabile in Proceſſione de ſero?*

IV. *An ad Hebdomadarium, qui de Mane Miſſam celebravit, Pluviali indutum privative pertineat jus canendi Veſperas, aliaſque peragendi functiones, in caſu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam ad formam ſtatuti anni 1715., & amplius. Ad II. Affirmative ad formam §.5. cap.x. ejuſdem ſtatuti. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative ad formam ſtatuti, exceptis functionibus Archipresbytero reſervatis.

DERTHONEN. IRREGULARITATIS. Sacerdos Joannes Baptiſta Carboni, qui Alexandrum Repettum occidit de menſe Octobris 1747., damnatus eſt a Curia Epiſcopali Derthonenſi ad pœnam Triremium per decennium, & confiſcationis Bonorum; ſed abſolvi promeruit in Tribunali A. C., ex quo homicidium patraſſet non ex induſtria, ſed magis pro tutela vitæ ſuæ. Ob conditonem vero in abſolutionis decreto adiectam -- *Firmo tamen, ſi quem &c. incurſu in Irregularitatem cauſa, & occaſione prædicti homicidij contractam* --, ſupplicavit anno 1749. pro diſpenſatione; Sed precibus rejectis, iterum redivit ad *Seſſ.*14.*c.*7. *de Ref.*

ad hanc Sacram Corgregationem anno 1753, quo contradictorem invenit Episcopum. Descripta idcirco fuit Causa in Folio Congregationis habitæ die 8. Maij 1756., & duobus propositis Dubiis -- *I. An constet de Irregularitate? II. An sit consulendum Sanctissimo pro Dispensatione, in casu &c.* -- Rescripserunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Affirmative, & amplius: Ad II. Negative* -- *lib.*106. *dec. pag.*131.: Preces nunc renovat idem Sacerdos pro impetranda dispensatione; Unde reassumpto supra enunciato Folio poterit ab EE. VV. definiri.

An sit standum vel recedendum a Decisis super secundo Dubio, in casu &c.

In decisis.

*Sess.*24. *c.* 13. *de Ref.*

FERENTINA CATHEDRATICI. Episcopus Ferentinus nuper indixit in universa sua Diœcesi, ut Beneficiarij omnes, & Ecclesiæ sibi subjectæ Cathedraticum reperderent in quantitate præscripta a Concilio Romano, quod anno 1725. celebratum est a S. M. Benedicto XIII. Renuit Clerus Ceccani, fretus longa consuetudine solvendi minorem quantitatem: sed captis, distractisque pignoribus, exactionem pati coactus est in summa, quam Episcopus postulaverat.

Delatis querelis ad hanc Sacram Congregationem, Episcopus jussit exactam pecuniam restitui binis Confraternitatibus Laicalibus Sanctissimi Sacramenti, & Sanctissimi Rosarii, quæ propriam non habentes Ecclesiam erectæ sunt in respectivis Cappellis Ecclesiæ Archipresbyteralis S. Joannis Baptistæ, quæque idcirco immunes sunt ab onere Cathedratici, juxta resolutiones editas tam *in Firmana Cathedratici* prius a Congregatione Particulari *die* 29. *Aprilis* 1731. *ad* 2. *dub.*, & deinde ab hab Sacra Congregatione *die* 24. *Julii* 1734. *ad* 3. *dub.* ut in *lib.*84. *decret. pag.* 365. quàm *in Urbeventana Cathedratici* 20. *Martii* 1745. *lib.* 95. *decr. pag.* 107.

Sed parem exemptionem non esse tribuendam, contendit Episcopus, Ecclesiæ S. Sebastiani de jurepatronatus Communitatis Terræ Ceccani, neque Cappellaniis Ecclesiasticis ibidem erectis sub invocatione Nativitatis Domini, & S. Francisci; quia Cathedratici pensum in signum honoris, & subjectionis Episcopo debitum est ab omnibus Ecclesiis, & Beneficiatis illi subjectis, ut habetur *in can. placuit* 10. *qu.*3. *cap. conquerente* 16. *de off. ordinar.* & veterum Canonum Sanctionem innovando præscripsit *Concil. Romanum tit.* 8. *cap.* 4., & late explicat S. M. Benedictus XIV. in tractatu *de Synodo Diœcesana lib.*5. *cap.*7. *n.* 2., Et ideo hæc Sacra Congregatio definivit, Cathedraticum deberi etiam ab Ecclesiis administratis per Confraternitates Laicales, & Beneficium non habentibus, *in Asculana Cathedratici* 22. *Maii* 1734. *ad* 2. *&* 3. *dub. in lib.* 84. *decr. pag.*245. *& in Firmana Cathedratici* 24. *Julii* 1734. *ad* 2. *dub. ut in lib.*84. *decret. pag.*365. Solumque immunes declarantur Cappellaniæ Laicales, & ad nutum amovibiles, ut responsum

est

est a Congregatione Particulari *in Maceraten. Cathedratici* 29. *Aprilis* 1731. *ad* 2. *dub.*

Nec obstare censet, quod Cathedraticum fortasse numquam solutum fuerit in præteritum a dictis Ecclesia, & Cappellaniis; quia illius præstatio *neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valet quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi*, ut expresse sancitum est a Concilio Romano *d.cap.*4. *tit.*8., & sæpe definivit hæc Sacra Congregatio *in Lavellen.* 18. *Aprilis, & 6. Junii* 1693. *lib.* 43. *decret. pag.* 261., *in Amalphitana Cathedratici* 3. *Septembris* 1705. *lib.* 55. *decret pag.* 326. *in Maceraten. Cathedratici* 8. *Maii* 1734. *lib.*84. *decr. pag.*215. & *in PerusinaCathedratici* 19. *Nov.* 1735. *lib.*85. *decr. p.*417. & *in Cassanen. Cathedratici* 21. *Maii* 1735. *lib.*85. *decr. p.*188. & concordat tractatus de Synodo Diæcesana *d. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 6.

Et circa quantitatem eo nomine præstandam, petitionem suam defendit Episcopus, quod fuerit moderata in juliis duobus quoad Ecclesiam S. Sebastiani, in juliis quinque pro singulis Cappellaniis in ea erectis, & in juliis viginti pro quolibet Capitulo trium Ecclesiarum S. Joannis Baptistæ, S. Nicolai, & S. Mariæ ad Flumen, licet in illis plures sint Beneficiati de Massa communi participantes, & separatas Præbendas obtinentes. In hoc enim servasse inquit taxam Concilii Romani *in dicto tit.* 8. *cap.* 4., quæ adamussim præscribit, duos julios exigendos esse nomine cathedratici super redditibus non excedentibus scuta decem, quinque autem julios ex redditibus infra summam sc. 50., & decem julios infra summam sc. 100., ac quindecim pro alia quacumque majori summa, viginti autem ab Ecclesiis, ubi plures de massa participant.

Et licet taxam præscripserit Concilium cum reservatione -- ibi -- *Salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, & Episcopis magis favorabilibus* --; attamen putat, id referri minime posse ad quantitatem, cum aliàs inutilis fuisset taxa, ob aliquam consuetudinem ubique locorum vigentem, sed referendum esse arbitratur ad modum solutionis, ut qui consueverunt solvere in communi, non teneantur solvere particulariter, etiam ratione Præbendæ separatæ, ut respondit Congregatio Particularis *in d. Firmana* 29. *Aprilis, &* 5. *Octobris* 1731. *ad* 1. *dub.*, & qui consueverunt solvere uti singuli, tamquam non participantes de massa communi, non possint in supplantationem Episcopi solutionem in communi explere, ut pariter definitum est ab hac Sacra Congregatione *in Viterbien. Cathedratici* 7. *Aprilis* 1742. *lib.*92. *decr. pag.*174.

Contra vero Clerus Ceccani ostendit, per sexaginta & ultra annos scutum unum solutum fuisse tum a Capitulo S. Joannis Baptistæ, tum ab altero Capitulo S. Mariæ ad Flumen, & julios sex ad summum a Capitulo Ecclesiæ S. Nicolai, quin extet memoria majoris solutionis precedenter factæ, & ideo efflagitat antiquam servari consuetudinem, quam laudant *Gloss. in can. placuit verb. duos solidos* 10. *quæst.*3., *Abbas in cap. olim in prim. not. de Cens.*, & *Barbos. de Off. & potest. Episcopi alleg.* 86. *n.*45.

n. 45., & quam induci per observantiam quadragenariam tenet *Abbas in d. cap. olim n. 6. de Cens.*

Præsertim attenta expressa litera Concilii Romani, qua hujusmodi præservantur consuetudines non circa modum solutionis, juxta interpretationem Episcopi, sed circa quantitatem debiti, ut explicat *Rota in decis.* 28. *n.* 43. *coram clar. mem. Card. Tanara*, & concordant resolutiones Particularis Congregationis quæ mandavit servari taxam antiquam *in Firmana Cathedratici* 29. *Aprilis* 1731. *ad* 3 *dub.*, *& in altera Firmana sub eadem die ad* 2. *dub.*, & ita etiam definivit hæc Sacra Congregatio in *Feretrana Cathedratici* 18. *Maii* 1743. *ad primum dubium lib* 93. *decret. pag.* 229. solumque perpendi poterit num legitimæ consuetudini, quæ in Conc. Rom. præservatur, obstet quoad Ecclesiam S. Nicolai difformitas summæ aliquando juliorum quatuor, & aliquando juliorum quinque, vel sex, juxta quem modum inconstanter expletæ fuerunt cathedratici solutiones.

Ab Ecclesia vero S. Sebastiani impugnatur Cathedraticum deberi, quia sit de jurepatronatus Laicali Communitatis Ceccani: & a Cappellaniis in illa erectis non deberi prætenditur, utpote Laicalibus, & ad nutum amovibilibus; quod tamen impugnatur ab Episcopo, qui narrat in sua relatione, Cappellanias prædictas esse Ecclesiasticas, & perpetuas. Omnibus itaque prepensis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An & in qua summa debeatur Cathedraticum Mensæ Episcopali Ferentini a Capitulis S. Joannis Baptistæ, S. Nicolai, & Sanctæ Mariæ Fluminis in casu &c.*

II. *An & in qua summa Ecclesia S. Sebastiani de jurepatronatus Communitatis Terræ Ceccani, & Cappellæ ibidem sitæ sub titulo Sancti Francisci Assisii, & Nativitatis Domini, teneantur solvere Cathedraticum Mensæ Episcopali Ferentini, in casu &c.*

A. I. Deberi juxta solitum in sc. 1. a Capitulo S. Jo:, & a Capitulo S. Mariæ Fluminis, & in juliis sex a Capitulo S. Nicolai. Ad II. Quoad Ecclesiam S. Sebastiani teneri juxta taxam præscriptam ab Episcopo. In reliquis: Dilata, & exhibeantur Instrumenta Fundationis Cappellaniarum.

Sess. 21. c. 4. de Ref.

NOVARIEN DIVISIONIS, SEU DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. Communitates *Paroni*, & *Locarni*, quæ sitæ sunt in ambitu Montium Vallis Siccidæ Novariensis Diæcesis, ab uno reguntur Parocho, seu Vicario Curato, qui in antiquis, recentibusque respective monumentis enunciatur *Vice Rector S. Petri de Parono, & S. Dionysij de Locarno -- Curato, o sia Vicario perpetuo della Chiesa di S. Pietro di Parone, e S. Dionisio di Locarno*, quique continuo residens in Loco Paroni, omnia explet munera Parochialia in prædicta Ecclesia Sancti Petri. Grave id reddebatur Hominibus Locarni, qui numerum implent 240. animarum, & distinctam constituunt universitatem; proindeque Cappellaniam erigi curarunt anno

no 1678., ut commodius valerent se in spiritualibus exercere; sed neque id sufficere compertum est, quia Cappellanus, nec onus habet continuæ residentiæ, nec Sacramentum Pœnitentiæ ministrare valet, nisi quando electus in Cappellanum est Sacerdos, qui ad confessiones audiendas sit ab Ordinario approbatus: & administratio Sanctissimæ Eucharistiæ illi permissa est tantummodo inter Missarum solemnia, non servato Sanctissimo Sacramento in Pixide.

Preces itaque obtulerunt Sacræ huic Congregationi, quibus postulabant dismembrationem Ecclesiæ S. Dionysii a Parochiali Ecclesia S. Petri; editoque rescripto, ut *Partes uterentur juribus suis*, instantiam renovarunt in Curia Episcopali Novariensi, in qua per sententiam declaratum est, *non fuisse, nec esse locum petitæ dismembrationi, attento maxime, quod satis provisum remanet animarum saluti d. Loci Locarni per deputationem Cappellani cum onere coadjuvandi Parocho*. Redeunt itaque ad amplissimum hunc Ordinem, iterum supplicantes pro dismembratione in Curia Episcopali denegata.

Contendunt porro, dismembrationem, vel novæ Parochialis erectionem faciendam esse ob duplicem causam, vel distantiæ, vel difficultatis viæ, ut mitigando rigorem *cap. ad Audientiam de Eccl. ædif.* sancitum est a Sacro Concilio Tridentino in *sess.21. c.4. de ref.* Utramque putant verificari in casu; quia Locus Locarni mille passus distat a Parochiali Paroni: & in judiciali accessu peracto a Vicario Generali Novariensi apparuit, viam esse arduam, & alpestrem, ac Torrente Croso inundationibus obnexio intersecatam relative ad plures Locarnenses incolentes remotiores Territorii plagas: Plurium itidem testimonio comprobant, imperviam omnino reddi hyemali tempore; itaut quandoque Parochus deferens Sanctissimum Viaticum prolapsus sit in Terram, nec potuerit iter prosequi: & sæpe Mulieres prægnantes, Senes, & Debiles nequiverint accedere ad Parochiam pro audienda Missa: Pueri rudes sint in Mysteriis Fidei: & aliqui obierint sine Sacramentis, ob distantiam, & asperitatem viæ; quæ omnia sufficere arbitrantur pro erectione novæ Parochiæ, & multo magis pro divisione antiquæ Ecclesiæ Parochialis, qualem prædicant Ecclesiam S. Dionysii Locarni, ab altera S.Petri Paroni; cum hæc facilius concedatur, quam dismembratio ab unica Parochia, novæque Parochiæ erectio, juxta firmata per *Card. de Luca de Parochis disc.33. n.3. & seq.*

Nec locum esse disputant deputationi Cappellani Coadjutoris, quia in publicis Comitiis solemnem sponsionem emiserunt de congrua novo Parocho tradenda, qua stante obligatione deveniendum esse ad novæ Parochialis erectionem tradit *Pagnan. in cap. ad audientiam n.20. de Eccl. ædif.*, & novissime definivit hæc S. Congregatio in *Firmana Dismembrationis* 15. *Septembris proxime præteriti*. Advertendum tamen, per Homines Locarni actum non esse de constituenda integra nova con-

grua pro Parocho præficiendo Ecclesiæ S. Dionysii, sine præjudicio reddituum percipi solitorum ab antiquo Parocho Paroni, sed prætendi etiam dismembrationem decimarum Loci Locarni, quæ cederet in extenuationem reddituum antiqui Parochi, qui cæteroquin a Testibus asseruntur pingues. Expendendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An sit locus divisioni, & dismembrationi Ecclesiæ Parochialis Sancti Dionysii Locarni ab altera Paroni, in casu &c.* ? & quatenus affirmative.

II. *An Decimæ, & obventiones, quæ solvuntur ab Hominibus Locarni, sint adjudicandæ novo Parocho Ecclesiæ S. Dionysii, in casu &c.*

Dilata.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

BAREN. PRÆCEDENTIÆ. Franciscus Lopez, qui anno 1744. deputatus fuerat Coadjutor cum futura successione Matthæo Conia Canonico Ecclesiæ Cathedralis, cum sederet in ultimo Stallo, postulavit a san. mem. Benedicto XIV. indultum occupandi locum sui Coadjuti tam in Choro, quam in Processionibus. Preces remissæ fuerunt ad hanc S. Congregationem, quæ, audito Archiepiscopo, die 15. Aprilis 1758. rescripsit -- *Lectum* -- Resignationem nihilominus cum inde obtinuisset Lopez a Coadjuto, una cum Literis provisionis Canonicatus optatum indultum impetravit a Sacratissimo Principe Nostro per Breve expeditum die 19. Aprilis superioris anni, in quo sic legitur -- *Tibi, attento servitio per te prædictæ Ecclesiæ ratione Officii Coadjutoris hujusmodi præstito, ut tu in Stallo, Turno, & Antianitate tantum, in quibus d. Matthæus ratione dd. Canonicatus, & Præbendæ ad præsens reperitur, remanere liberè, & licitè valeas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

Obstitit Capitulum, ne indultum exequeretur, appellatione interposita ad S. Sedem; Sed Exequutor, posthabita appellatione, in possessionem immisit Franciscum Lopez tum Canonicatus, tum Stalli, & Antianitatis competentis Resignanti Conia. Iterum provocavit Capitulum, & indulti reportationem petiit coram R. P. D. Auditore Sanctissimi, qui suo decreto edito die 21. Augusti causam remisit ad hanc Sacram Congregationem cum clausula -- *De aperitione Oris, arbitrio &c.* -- Denuo auditus est Archiepiscopus, qui censet, annuendum esse votis Capituli ob subreptionem Indulti, quia multa raticita fuerint Summo Pontifici, quæ difficiliorem eum reddidissent, vel omnino retraxissent a gratia concedenda. Et his rationibus nunc disputat Capitulum pro aperitione Oris, ut abrogato indulto, novissimus locus tribuatur Canonico Lopez, juxta ordinem suæ Antianitatis desumendæ a tempore apprehensæ possessionis Canonicatus vigore resignationis.

Et ad sternendam viam petitæ abrogationi indulti præmittit Capitu-

pitulum,quod in Literis Coadjutoriæ assignatum fuit Canonico Lopez annuū salarium 24.duc. auri de Camera pro labore, & servitio præstando in munere Coadjutoris, pro quo regulariter nihil petere, aut exigere valuisset, juxta consuetam hujusmodi Literarum formulam, de qua disserunt *Fagnan. in cap. 2. n. 64. de concess. præbend. & Garz. de benef. par.4. cap. 5. n. 54.* Ob reticentiam itaque hujus salarii, subreptionem induci autumat, quia Summus Pontifex, si notitiam illius habuisset, vel nullimode, vel difficilius concessisset indultum Antianitatis contemplatione servitii, quod satis compensatum fuerat cum d. Salario, ut ponderat *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 25. n. 15.*

Aliam subreptionem deducit Capitulum ex reticentia occupationis ultimi stalli, quod durante coadjutoria Lopez retinuit; quia cum aliquando in Literis Coadjutoriæ tribuatur Coadjutori praeminentia, quam Canonicus Coadjutus haberet, si præsens esset, ut testantur *Lotter. de re benef. d. lib. 2. qu. 25. num.36., & Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 5. §.9. n. 97. & seq.*, & Sacra hæc Congregatio respondit favore Coadjutoris ad formam Bullæ *in Florentina praeminentiarum* 9. *Aprilis* 1718. *lib.68 de p.* 139.: cumque Papa opinari potuerit, similem gratiam fuisse a Lopez obtentam in impetratione Coadjutoriæ, ut innuitur ex verbis controversi indulti obtenti occasione resignationis ibi -- *in Stallo Turno, et Antianitate, in quibus d. Mattheus ad præsens reperitur, remanere libere, et licite valeas* -- supponentibus ex vi verbi -- *remanere* -- existentiam Coadjutoris in illorum possessione; idcirco minus exorbitans Sum. Pont. videri poterat gratia retentionis, de qua aderat exemplum alterius ejusdem Ecclesiæ Canonici Calò de Penitentiaria provisi anno 1717. cum retentione Antianitatis primi Canonicatus, quem assequutus fuerat anno 1702.; & probabiliter indultum non concessisset, si scivisset, illius vigore tribui Canonico Lopez occupationem stalli numquam possessi, in præjudicium Antiquiorum, qui benemerentiam habebant longioris servitiis.

Tertio tandem subreptio deducitur ex reticentia rescripti editi ab hac Sacra Congregatione die 15. Aprilis 1758., quo denegata fuit eidem Lopez Antianitas sui Coadjuti, juxta firmata per *Rotam in decis. 73. n.3. & seq. part.14. recent.* Nec suffragari prætenditur, quod mutatus esset rei status ob supervenientam Resignationem; quia nec, Resignatio subrogationem tribuit in antianitatem Resignantis, *Card. de Luc. de pension. disc. 76. n. 17.*, nec Summus Pontifex respectum habuit ad Resignationem, sed magis ad servitium præstitum in eadem qualitate Coadjutoris, in qua succubuerat in hac Sacra Congregatione. Immo, subjungitur, Resignationem videri contra proprium commodum impetratam in fraudem rescripti hujus S. Congr., dum Canonicus Lopez in qualitate Coadjutoris percipiebat annum stipendium viginti quatuor ducatorum auri de Camera, in qualitate vero Resignatarii percipit fructus non excedentes una cum distributionibus quo-

tidianis annuos ducatos triginta similes, & gravatus est solvere Resignanti pensionem ex bonis propriis in annuis 24. ducatis similibus. Concludendo ex supra relatis subreptionibus corruere debere gratiam, juxta censuram *Textus in cap. super literis 20. de rescript.*

His omnibus tamen respondet Indultarius, infringendam non esse gratiam dumtaxat innixam servitio, quod plenissime verificatur; nec in pretio habendum esse præjudicium Antiquiorum in indulto de sui natura præjudiciali, juxta firmata per R*otam in Melevitana Nullitatis Brevis* 1. *Junii* 1726. §.13. *&* §. 16. *cor. bon. mem. Cerro*; minusque subreptionem deduci ex reticentia rescripti hujus S. Congr., tum quia de Congregatione ad Congregationem vetitum est recursum habere, juxta decretum san. mem. Innocentii XII. relatum in ejus parvo Bullario il 59., non autem de Congregatione ad Pontificem; tum quia superventa resignatione, immutatus fuit rerum status: Addit quoque, disparem rationem intercessisse, ob quam indultum negatum Coadjutori concedi potuit resignatario, siquidem Summum Pontifex, *attento servitio prælictæ Ecclesiæ ratione Officii Coadjutoris præstito*, per lapsum 15. annorum, moveri congruæ poterat ad concessionem indulti, quod Sac. Congr. sequendo juris dispositionem denegare debuerat Coadjutori allegant i inefficax motium oscitanter prætermissæ solitæ illius expeditionis tempore concessionis Coadjutoriæ; Hinc inferendo, quod ob immutatum rei statum opus non erat exponere præcedens hujus S. Congr. rescriptum, ad tradita per *Rot. cor. Duran. decis.* 59. *n.*4. *&* 5., *& in Valentina Indulti* 4. *Dec.* 1739. §. *Impune cor. clar. mem. Card. Millino*: præsertim quia in munere Coadjutoris omnibus postponendus erat *Barbos. de Canon. & Dignit. cap.*29. *n.*3. *&* 4. *& n.* 26., in qualitate autem Resignatarii subrogatus remansit in locum Resignantis quoad omnes effectus *l. comperimus* §. *Illud Cod. de prox. Sacr. Scrin. lib.*12., *& Monet. de option. cap.*6. *qu.*8. *n.*146.

Perpensis itaque utriusque Partis rationibus, definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sit locus arbitrio pro aperitione oris, in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An Breve, seu Indultum Apostolicum successionis Resignatarii in Stallum, Turnum, & Antianitatem Resignantis, substineatur, in casu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quæ Sedes, sive locus in Choro, Capitulo, cæterisque functionibus Capitularibus, spectet ad Canonicum Lopez Resignatarium, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Spectare locum post Canonicos receptos de tempore captæ possessionis in qualitate Resignatarii.

Die Sabbathi 10. Maii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ANCONITANA NULLITATIS MATRIMONII. Die 20. Apr. 1759. Comes Ludovicus Bernabei clam, nulliſque præmiſſis denunciationibus, Matrimonium contraxit in ſua rurali domo *Montis Daghi* cum Anna Bulgarelli coram Parocho ruralis Eccleſiæ Montis Angeli, pluribus adſtantibus Teſtibus. Matrimonium, ex quo coram neutrius Contrahentis Parocho celebratum eſſet, nullum proclamavit in Curia Epiſcopali Anconitana Antonius Martelli, ut tueretur Sponſalia Magdalenæ Filiæ ſuæ inita cum Ludovico *die* 15. *Jan. ejuſdem anni*. Actâ Causâ, receptiſque probationibus, Curia Epiſcopalis Sententiam tulit pro validitate Matrimonii. Et Conjuges, prævia nuptiali benedictione, quam eiſdem juſſu d. Curiæ impartitus eſt Parochus Montis Angeli, poſt expletam ſalutarem pœnitentiam, ac poſt ſolutam multam, individuam vitę conſuetudinem pendente lite intermiſſam reaſſumpſerunt. Querelam nullitatis proſequitur Antonius in hac S. Congr.; & quoniam indubia eſt incompetentia Parochi quoad Annam, quæ tempore nuptiarum certum habebat domicilium in Parochia S. Petri Civitatis Anconæ; idcirco diſputat, incompetentem quoque fuiſſe Parochum reſpectu Ludovici, ut nullum arguat Matrimonium contractum non ſervata forma S. C. Trident. *ſeſſ*. 24. *cap*. 1. *de Ref. Matr*. *Seſſ*. 24. *c*. 1. *de reform. Matrim.*

Domicilium ſane, a quo metitur competentia Parochi, Majores Ludovici habuerunt in avito Palatio Anconæ poſito ſub cura Eccleſiæ Parochialis S. Petri. Comes autem Philippus Bernabei Ludovici Pater, a quo divertit Uxor die 24. Oct. 1743., ſeceſſit in Oppidum Montis Sancti Firmanæ Diœceſis, ubi Domum Urbanam, aliamque Domum ruralem æque inſtructam, pluraque Prædia poſſidebat, ibique poſt ſexennii moram defunctus eſt die 7. Febr. 1750. Poſt Genitoris obitum, Ludovicus, qui educationis cauſa, interea permanſerat in Collegio Auximi, Anconam rediit, avitumque Palatium cum Matre inhabitavit; at illud poſtea vendidit cum nonnullis Mobilibus die 2. Apr. 1759., aſportatis cæteris Mobilibus partim ad ruralem Domum *Montis Daghi*, partim ad dd. Domos Oppidi Montis Sancti.

Pro validitate igitur Matrimonii celebrati die 20. Aprilis, inquirendum eſt de novo Domicilio contracto per Com. Ludovicum

vicum

vicum. Is enim circa finem mensis Febr., relicta Matre in Palatio Anconæ nondum vendito, accessit ad ruralem Domum *Montis Daghi*, in ipsa moram alternando, & in altera sua Domo prope Mare sita in Territorio Oppidi Montis Sancti, *utrobique consueta venandi occasione gaudens pro loci, & temporis opportunitate*, ut inquit Episcopus in sua relatione: & quandoque etiam reversus est ad Civitatem Anconæ. Circa principium autem mensis Aprilis, ut asserunt Testes Ludovici: vel die 22., aut 23. Martii, juxta depositionem Testium Antonii, se contulit Ludovicus ad eamdem Domum Montis Sancti prope Mare sitam, nec inde discessit usque ad Vesperas diei 19. Apr.; tunc enim iter accepit versus Domum *Montis Daghi*, ibique mane diei 20. perventus, Matrimonium circa horam secundam noctis celebravit, ut dictum est, & eadem nocte redivit cum Sponsa ad eamdem Domum prope Mare Territorii Montis Sancti.

Anconam quoque venit Ludovicus occasione litis super validitate Matrimonii, moram trahens in Collegio Scholarum Piarum; & denuo post finem litis reversus est ad præd. Domum Montis Sancti. Et illuc iterum accessit cum tota Familia circa finem Augusti, postquam a mense Julio cum Matre, & Uxore moratus fuerat in Domo rurali *Montis Daghi*, si fides adhibenda est tribus Testibus ab Antonio inductis die 9. Sept.: quamquam Vir Sacerdos in declaratione jurata die 22. Dec. asserat, se moram traxisse prope Montem Daghum in mensibus Aug., Sept., Oct., & Nov., & *in esso per d. tempo* vidisse Com. Ludovicum, ejusque Familiam, quorum insuper moram in Monte Dagho tempore d. declarationis idem Testis, aliusque Sacerdos testantur.

Contendit autem Ludovicus, domicilium pro contrahendo Matrimonio acquisivisse in Domo rurali *Montis Daghi* statim, ac post conclusam venditionem Palatii Urbani in ea cœpit inhabitare cum intentione ibidem permanendi, juxta firmata per *Pignat. cons.* 79. *n.* 44. *tom.* 5., *Rota in Neapolitana Matrimonii* 22. *Jun.* 1705. §. *Et demum cor. Card. Priolo*, *& in Leopolien. Matrimonii* 19. *Febr.* 1725. §. *Cum igitur cor. Cerro*; & animum continuæ permanentiæ nititur probare, ex quo eadem Domus publico Oratorio contigua, & parum distans a Civitate Anconæ sufficientem continet habitationem, & Ruris oblectamentum, ac Urbis commoditatem præstat; Et ex quo ad illam instruendam nedum Mobilia venditi Palatii asportavit, sed etiam plures in ea fecit reparationes: ibidemque successive constituit suam, totiusque Familiæ habitationem; addit insuper Testes comprobantes suas animi declarationes tam ante, quam post venditionem Palatii factas, transferendi domicilium ad eandem Domum, inde inferendo illud acquisitum fuisse statim incepta habitatione, non expectato aliquo tempore *Fagnan. in cap. Significavit n.* 56. *de Paroch.*, *Ursaya discept. Eccl. tom.* 7. *par.* 2. *disdept.* 25. *n.* 97. Et nihil obstare putat

tat moram factam in Oppido Montis Sancti, tum quia referenda est ad reparationes Domus Montis Daghi eo tempore continuatas, quæ impediebant illius habitationem, & ideo tamquam mora occasionalis non tollit domicilium antea quæsitum, *Gonzal. in cap. Significavit n.3. de Paroch.*, *Pignatell. consult.79. n.3. & 6. tom.5.*; tum insuper, quia posset ad summum producere duplex domicilium, unde sufficere debet, Matrimonium fuisse contractum coram alterutro duplicis domicilii Parocho, *Rota coram Merlin. decis.194. n.11., & in Romana Nullitatis Matrimonii 2. Dec. 1720. §.Nec est cor. Gamaches*.

Antonius contra defendit, nihil suffragari moram ante venditionem Palatii, cum fuisset occasionalis causa venationis, & causa vitandi jurgia Propinquorum pro Sponsalibus cum ejus Filia contractis *Vanespen. in jus Eccl. univ. part.2. tit.12. cap.5. §.7.*, *& Barbos. ad Conc. Sess.24. de Ref. Matr. cap.1. num.16.*: minusque prodesse moram in domo Montis Daghi post matrimonium, cum per eam nequeat convalescere procedens matrimonium nulliter contractum; post venditionem vero moram non verificari, nisi in die contracti Matrimonii, quod satis non est pro acquirendo Domicilio, sed requirebatur habitatio, saltem per mensem continuata ante Matrimonium, *Fagnan. in cap. Significavit n.39. de Paroch*,, & propterea deficiente vera, & effectiva habitatione, nihil prodesse assertas declarationes animi ibidem transferendi domicilium, quia, ut inquit *Textus in leg.2. ff. ad munic. & de incol.*, *Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione*, idest *protestatione*, ut ibi explicat *Gloss.*, & tradit *Sanch. de Matr. lib.3, disput.23.n.2.* Cæterum alios ipse producit Testes affirmantes, sæpe Ludovicum declarasse animum transferendi domicilium ad Oppidum Montis Sancti; illorumque depositionem verisimilem magis fieri autumat ex traductione Mobilium in idem Oppidum facta: ex congruentia habitandi potius in Oppido, quàm in Agro: ex præsumpta affectione, ob domicilium a Patre in eodem Oppido continuatum usque ad obitum, & ob possessionem majoris partis suorum bonorum in eo Territorio existentium.

Hæc summa est rationum, quæ late differuntur in voluminosis libellis a Partibus circumferendis. Episcopus de more auditus adhæret validitati Matrimonii. Unde pertinet ad EE.VV. decernere.

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Negativè, & amplius.

UGEN-

Seff. 7. c. 8. de ref.

UGENTINA. Descripta fuit hæc Causa in Folio Cong. habitæ die 12. Jan. currentis anni, iterumque in Folio Cong. habitæ die 26. ejusdem Mensis, & cum non fuisset proposita, tertio repetita est in Folio Cong. habitæ die 9. Febr., in qua tandem disputato Dubio -- *An & quomodo sit exequendum edictum, ac Decretum editum ab Episcopo in Sacra Visitatione, in casu &c.* responderunt EE. VV. -- *Affirmative, salvo jure retinendi unicam Fenestram tantum* -- Novam audientiam impetravit Franciscus Vernaleone Baro Terræ Muggiani; At Episcopus ad tuendam justitiam captæ resolutionis exhibet acta Pastoralium Visitationum, quibus constat, ter monitum fuisse Baronem, cum præfinitione termini ad parendum, antequam comminato interdicto supponeretur Cappella S. Antonii Patavini ob neglectam clausuram Choreti, & Januæ existentium in illius Pariete contermino Palatio Baronali correspondente: Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu &c.

In decisis.

Sef. 14. c. 10. de Ref.

AUGUSTANA PAROCHIALIUM. Juspatronatus Ecclesiarum Parochialium in *Biberger*, & *Vvallenhausen* Diœcesis Augustanæ, quod anno 1590., & respective anno 1600. cum aliis nonnullis bonis vendiderat quibusdam Laicis Monasterium Roggemburgense Ordinis Canonicorum Regularium Præmonstratentium, redemptum fuit de manibus Laicorum cum eisdem bonis anno 1665. & 1666. ab altero ejusdem Diœcesis Monasterio Cesareensi Ordinis Cisterciensis, a quo tandem anno 1756. fuit gratuito retrocessum præfato Monasterio Roggemburgensi. Retrocessionem, audito prius Nuncio Apostolico apud Helvetios, confirmavit S. M. Benedictus XIV., qui sub narrativa consuetæ deputationis Regularium ad nutum amovibilium in eisdem Parochiis ante sequutam illarum alienationem, facultatem insuper concessit Abbatibus nominandi ad Parochiales prædictas Regularem ab Ordinario instituendum, illumque ad nutum amovendi, *ut prius, sine tamen præjudicio jurium Ordinarii*: superaddita conditione, ut salva, firma, & illæsa remaneret Constitutio -- *Onerosa* --: qua idem Summus Pontifex confirmando privilegia Urbani IV. & Clementis V. denuo indulsit Ordini Præmonstratensi, ut ejus Regulares absque dispensatione Apostolica consequi, & ad vitam retinere possent *quascumque Parochiales Ecclesias* sibi canonice collatas, *etiam seculares, illarumque perpetuas Vicarias Clericis, seu Presbyteris secularibus conferri, & assignari solitas*, ut in ejus *Bull. Tom. 3. Const. 33.*

Præ

Pro exequutione Apoſtolici Indulti ſuper amovibilitate, & regularitate Parochialium prædictarum urgere ceperat Monaſterium in Tribunali A. C.; ſed reluctante Auguſtano Epiſcopo admittere nominationem Vicarii regularis occaſione vacationis dd. Parochiarum, immo pro iis regendis proviſio naliter conſtituto titulo Vicarii Sacerdote ſeculari, cauſa ex oraculo SS. D. N. per Decretum ejus R. P. D. Auditoris remiſſa eſt ad hanc Sac. Congregationem, cum clauſula -- *De aperitione oris arbitrio* -- Et differit nunc Epiſcopus, Parochiales in *Biberger*, *& Vvallenhauſen* ſeculares, & perpetuas fuiſſe tum ante, tum poſt ſequutam una cum univerſitate bonorum illarum alienanationem, proindeque non eſſe exeqnendum Indultum Benedictinum obreptitie extortum ſub falſa narrativa, ſed Parochias eaſdem conferendas eſſe, ut prius, Sacerdotibus ſecularibus in titulum perpetuum, ut præſcribitur in *cap. cum de beneficio de præbend. in 6., in cap. nullus de elect. par. in 6.* & late *Fagnan. in cap. cum ad noſtram n. 3. de elect.*

Poſt alienalionem porro, nonniſi Sacerdotes Seculares præſentatos fuiſſe conſtat a Laicis Emptoribus in Curatos perpetuos dd. Parochialium, excepto tempore Belli ab anno 1623. ad annum 1638., quo ipſi Canonici Roggemburgenſes ob deficientiam Sacerdotum Secularium obiverunt munus Vicarii temperanei: Et Monaſterium Ceſareenſe Presbyterum pariter ſecularem, licet unum pro utraqne Parochia, ſemper nominavit; Ante alienationem vero per duo fere ſecula inſtitutos quoque fuiſſe Presbyteros ſeculares contendit Epiſcopus, itaut longeva plurium ſeculorum obſervantia magis coadjuvet juris regulam, qua omnia Beneficia eccleſiaſtica præſumuntur ſecularia, juxta firmata per *Gonzal. ad reg. 9. Cancell. gloſ. 7. in princ.*, *Garg. de Benef. par. 7. cap. 10. n. 1., & Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 57. n. 167.*

Secularitatem comprobari autumat ob defectum unionis plenariæ dd. Parochialium quoad ſpiritualia, & quoad temporalia: Et Literas Cardinalis Gurgenſis per Germaniam Legati, quibus anno 1501. confirmavit illarum uniones pridem factas Monaſterio, nequaquam ſuffragari putat, tum quia habent clauſulam -- *quatenus factæ ſint* -- unde opus eſſet aliunde probare uniones: tum etiam quia interpretandæ ſunt de unione acceſſoria, & quoad temporalia tantum, quæ perpetuitatem Parocialium non immutat, juxta *Text. in cap. Lateranenſis 31. de Præbend. cap. in Eccleſiis 3. de privil., & cap. unic. eod. tit. in 6.* & ſtatutum eſt in Concilio Tridentin. *Seſſ. 7. cap. 7. & Seſſ. 24. cap. 3.* & ideo ad illas aſſequendas minime reddit capaces Regulares, quorum inſtituto repugnat collatio in titulum perpetuum, *Felin. in cap noſtra de reſcripo. Reinffenſtuel. in jus can. lib. 3. tit. 3. n. 7., Garg. de Benef. par. 7. cap. 10. n. 20.*

Accedente præſertim, quod ſi unquam Canonici Roggemburgenſes exercuerunt Curam Animarum in dd. Eccleſiis, id factum eſt ex gratia, & indulgentia Ordinarii. Epiſcopus enim Bur-

kardus anno 1400. amicabiliter convenit, ut ad Parochias Monasterii præsentarentur Conventuales Roggemburgenses, sub conditione tamen, ut ab Ordinario investirentur, & mandatis Episcopi obedirent: Joannes similiter Episcopus anno 1432. concessit Georgio Abbati, ut Parochiales sui Monasterii regere, & gubernare posset per suos Regulares, *quandiu vitam in humanis duxisset, & non amplius*: eademque clausula legitur quoque apposita in alio simili indulto anni 1651. concesso per Episcopum Joannem Rodulphum; itaut facultas precario obtenta, & ad tempus limitata, innuat magis defectum nativæ potestatis præsentandi Regulares ad nutum Amovibiles, juxta firmata per Rotam in *Argentina Parochialium* 30. *Aprilis* 1745. §. 8. *&* 9. *cor. cl. me. Card. Millin.*

Et hoc ipsum desumitur, ex Instrumentis tum venditionum factarum a Monasterio Roggemburgensi, tum retrocessionis nuper illius favore sequutæ, in quibus mentio occerrit solum de jure patronatus, cujus expressio multo magis excludere videtur plenariam Parochiarum unionem Monasterio, ut in d. *Argentina Parochialium* 30.*Aprilis* 1745. §.4. *cor.Card. Millino*. Ex quibus omnibus, comprobata qualitate perpetua, & seculari dict. Parochialium, contenditur, quod sicuti corruere debet indultum Benedictinum sub falsa narrativa extortum, ita præsentari ad illas non poterunt Regulares Roggemburgenses, sed erunt conferendæ Sacerdotibus secularibus, ut definivit hæc Sacr.Cong. *in Ratisbonen. Jurispræsent.* 19. *Maii* 1708. *lib.*58. *decret. pag.*174. *& in Herbipolen. Ecclesiarum Parochialium* 19. *Septembris* 1722. *lib.* 72. *decret. pag.* 458. & firmavit Rota in d. *Argentinen. Parochialium* 30.*Aprilis* 1745. §.4. *cor. Card. Mill.* Nec putat Episcopus obstare posse privilegia Urbani IV. & Clementis V. quæ longa desuetudine in illis partibus evanuerunt, minusque Constitutionem -- *Oneroso* -- S. M. Benedicti XIV. quæ publicata non fuit in Germania, ubi propterea vigore Concordatorum subvertenda non est consuetudo hactenus servata instituendi ad easdem Parochias Presbyteros seculares.

Monasterium autem defendit, nil expressum, nil reticitum fuisse Summo Pontifici, quod sub, vel obreptionem gratiæ inducat: Parochiales fuisse dudum unitas Monasterio, probari ex antiquis Episcoparum enunciativis: Confirmationem unionum factam a Cardinali Gurgensi anno 1501. non indigere majori ipsarum unionum comprobatione, quæ in antiquis sufficienter probatur per enunciativas *Felin. in cap. cum causam n.*4. *de probat. & Rota dec.* 430. *n.* 1. *cor. Cerro*: Interpretari eamdem confirmationem non posse de unione accessoria, sed præseferre unionem plenariam, & subjectivam, quum utatur verbis - *unimus*, *annectimus*, *& incorporamus* - cum facultale convertendi fructus in usum Monasterii, ad tradita per *Rotam cor. Molin. dec.*1269. *n.*1. *&* 8. *in Passavien. Parochialium* 30.*Junii* 1732. §. *Quemadmodum coram cl. me. Card. Aldrov.*, *& in Placentina*

centina Parochialis super re judicata 20. Febr. 1741. §. Quamobrem coram Reverend. P. D. Canilliac. Decano.

Æque veram fuisse disputat alteram narrativam consuetę deputationis Regularium ad nutum amovibilium ante sequutam Parochialium alienationem; immo eam præsumendam esse data unione plenaria, & subjectiva, quæ reddit Beneficium manuale, & Regulare *Arg. Clement.* 1. *de excess. Prælat. ibique Glos. verb. Mensam, Engel. in jus Canon. lib.* 3. *tit.* 37. *n.* 11., *Reinffestuel. eod. loc. n.* 8. *Barbos. de off. & potest. Episcopi all.* 72. *n.* 189. & definivit hæc Sacra Cong. *in Ratisbonen. Juris deputandi Vicarium* 28. *Julii* 1713. *lib.* 63. *decret. pag.* 311.: Atque insuper probari de facto ex confessionibus Episcoporum in indultis annorum 1482., 1572. 1651. & 1664. quæ per eadem verba referunt possessionem Regularium administrandi easdem Parochiales ad nutum Abbatis-ibi: *quas usque modo ex privilegiis, & indultis vobis tam a Sede Apostolica, quam nostris Prædecessoribus concessis per vestros Canonicos, & Fratres ad nutum vestrum a movibiles regere, & gubernare consuevistis.*

Subsistente itaque expositorum veritate, sicut cessat obreptio, nec debet irritari gratia: idcirco infert Monasteriu m, suos Regulares, & non Presbyteros seculares deputandos esse ad easdem Parochias, tum vigore hujus novissimi indulti, & Constitutionis -- *Oneroso* --, tum vigore privilegiorum Urbani IV. & Clementis V., quorum observantiam in Partibus Germaniæ probant *Vvames cons.* 65. *n.* 10. *& seq. & cons.* 465. *Benedict. XIV. in voto relato per Rigant. ad Regul. Cancell. tom.* 3. *p.* 353. §. 133., *& Rota cor. Lancetta dec.* 273. *n.* 3. *& seq.*: Inde etiam arguendo, quod, si permox relata privilegia redditi sunt Præmonstratenses habiles ad assequendas Parochias seculares, nulla superesse possit hæsitatio, quominus tales reputandi sint quoad Parochias eorum Monasterio quomodocumque unitas: Deinumque subditur denegari non posse Abbati facultatem amovendi Religiosum curæ animarum præpositum cum satis vindicata remaneat a resolutione Sac. Congr. in *Narnien. jurisdictionis* 13. *Julii* 1669. *lib.* 26. *decr. pag.* 257. *& a d. dec.* 273. *n.* 3. *& seq. coram Lancetta*. Decidendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An intret Arbitrium pro aperitione Oris, seu potius Literæ Apostolicæ sint exequendæ, in casu &c.*

II. *An ad Parochias, de quibus agitur, præsentari, & institui debeant Presbyteri seculares tamquam veri, & perpetui Parochi, seu potius Canonici Regulares Præmonstratenses ad nutum Abbatis amovibiles, in casu &c.*

Ad I. Dubium. Negativè ad primam partem, & Affirmativè ad secundam, & amplius. Ad II. Negativè ad primam partem, & Affirmativè ad secundam, & amplius.

Seff.21.cap.9 de Ref.

AQUILANA JURISDICTIONIS. Controverſia juriſdictionalis dudum vigens inter Epiſcopum Aquilanum, & Abbatem S. Joannis de Luculo, in qua prodiit *Rotæ Deciſio ſub titulo Aquilana Juriſdictionis* 30. *Martij* 1607. *coram Pamphilioi impreſſa penes Marcheſan. de Commiſs. part.1.pag.* 980., diremhpta fuit anno 1623. mediante concordia, quam de voto hujus Sac. Congreg. confirmavit ſan. mem. Urbanus VIII. per Breve expeditum die 29. Decembris 1625., & in ea conventum extitit, quod Abbas, Abbatia, & Eccleſia S. Joannis de Collimento de Luculo ſint, & intelligantur de Diæceſi Aquilana. Cumque Abbas contra formam dictæ confirmationis Apoſtolicæ ſibi arrogaret facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, die 14. Januarij 1673. diſputata fuerunt in hac Sacra Congreg. tria Dubia I. *An, & quibus mediis coercendus ſit d. Abbas ob non ſervatam in d. parte reſervationis Caſuum concordiam juxta confirmationem S. Sedis?* II. *An & cujuſnam intitulatione, Epiſcopi ne, vel Abbatis tenenda ſint Affixa in Sedibus confeſſionalibus Abbatiæ Edicta Caſuum reſervatorum?* III. *An Curati earumdem Eccleſiarum teneantur adire Epiſcopum pro facultate abſolvendi ab illis?* Et perpenſo tenore Concordiæ, & Brevis confirmationis, Sac. Congreg. reſpondit -- *Ad I. Abbatem præfatum coercendum eſſe juris remedis: Ad II. Edicta tenenda eſſe cum intitulatione Epiſcopi Aquilani: Ad III. Affirmative* -, ut *in lib.*28. *dec. pag.*1.

Nihilominus hodiernus Abbas ſuo edicto *dato nell' Aquila dalla Cancellaria Abbaziale* nullam, & irritam declaravit anno ſuperiore publicationem indulgentiarum ab Epiſcopo factam in Terra Luculi occaſione Jubilei conceſſi a SS. Domino Noſtro pro ſua glorioſa aſſumptione ad Pontificatum; Unde orta eſt duplex controverſia, tum ſuper jure publicandi Indulgentias, tum ſuper facultate apponendi datam Civitatis Aquilæ in actibus jurisdictionalibus Abbatis. Et quoad Indulgentiarum publicationem faciendam *per Ordinarios Locorum*, juxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini *ſes.*21. *cap.*9. *de refor.*, contendit Epiſcopus, nullum jus competere Abbati, qui non habet Territorium vere Separatum, & cujus Abbatia de Diæceſi Aquilana reputanda eſt ad formam d. Conventionis anni 1623., itaut dici nequeat Ordinarius, ut diſtinguendo ſpecies Prælatorum inferiorum docent *Vaneſpen. jur. Eccleſ. univ. part.*2. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.*15., *& Card. Petra in comment. ad Conſtit. Apoſtol. tom.*5. *ad conſt.*4. *Caliſti III. Sect.*1. *num.*6. *pag.*51., *& Section.* 2. *n.*96., *&* 98. *pag.*125.

Nec tolerandam eſſe autumat Epiſcopus appoſitionem datæ Civitatis Aquilæ in actibus juriſdictionalibus Abbatis, qui nullum ibidem poſſidet Palatium Abbatiale, ideoque Tribunal erigere nequit in Locis, & Domibus Epiſcopo ſubiectis, ſicuti peragere id nequiret Epiſcopus in locis exemptis, per *Text. in cap. Cum Epiſcopus de Offic. ordin. in* 6., *& Card. de Luca in adnot ad Concil. diſc.*6. *n.*12.

Per-

Pertinet autem ad EE. VV. definire:

I. *An, & ad quem spectet publicatio Jubilæi, & Indulgentiarum in Terra Luculi, in casu &c.*

II. *An subscriptio Edictorum, & quarumcumque scripturarum jurisdictionalium possit ab Abbate S. Joannis de Luculo expleri cum data: Datum Aquilæ ex Palatio nostræ Residentiæ: in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

LEODIEN. VICARIÆ. Preces nomine *Communitatis de Siuna, sive Incolarum prope Castrum de Merlemont* oblatæ fuerant huic Sacræ Congregationi, quibus petebatur, ut cogerentur *Decimatores de siuna ad ædificandam prope dictum Castrum de Merlemont ejusdem districtus Ecclesiam Parochialem, eamque de Vicario Apostolico providendam.* Comparuerunt itaque Decimatores de siuna jussu Sacræ Congregationis interpellati per Nuncium Apostolicum Coloniæ, & non invenientes in regestris Secretariæ descriptum nomen Procuratoris Recurrentium, curarunt in contumaciam subscribi Dubium, quod dedimus in *Folio Congreg.* habitæ *die* 15. *Decembris superioris anni.* Dum imminebat propositio Causæ, comparuit Recurrentium Procurator, & novum institit subscribi dubium respiciens Decimatores *de Merlemont.* Utrumque nunc proponitur; & disputant Recurrentes, erigendam esse novam Vicariam ex rationibus expositis in prædicto Folio, quod Eminentissimi PP. reassumere dignabuntur, ob distantiam scilicet, & asperitatem viæ, quæ perdifficilem, & incommodum reddunt accessum ad Parochiam *de Villers Gambos*, quæque idcircò justam præbent causam erectioni Vicariæ Curatæ, juxta censuram *Textus in cap. ad audientiam de Eccl. ædif.*, cum quo concordat Sacrum *Concil. Tridentinum sess.* 21. *cap.* 4. *de refor.*, & late *Fagnan. in d. cap. ad audientiam n.* 2. *de Eccl. ædif.*, *Pignatel. consult. canon.* 230. *n.* 3., & 9. *tom.* 4., *Ursaja discep. Eccles.* 14. *num.* 11., & *seq. part.* 1. *tom.* 1.; attenta prælertim experientia periculi Animarum, ob decessum multorum sine Sacramentis, & ob ignorantiam Puerorum in Mysteriis Fidei, *Fagnan. in d. cap. ad audientiam n.* 15., & *seq. Piton. discept. Eccles.* 160. *nu.* 11., & *Rota in Policastren. jurium Parochialium* 10. *Januarii* 1729. §. *Nullatenus coram clar. mem. Cardinal Cincio.* Et onus hoc injungendum esse Decimatoribus, contendunt, tum ex dispositione juris per *d. cap. ad audientiam*, tum vigore particularium Constitutionum Ecclesiæ Leodiensis de quibus post *Lourex ad stat. Archid. Hannoniæ cap.* 8. *pag.* 63.: nulla facta distinctione Decimatorum de siuna, & de Merlemont, quia una est Commuui-

Sess. 21. *c.* 4. *de Ref.*

munitas ex utriusque Territorii Incolis composita: vel saltem pretendiunt ab hoc onere eximi non posse Decimatores Territorii de Merlemont.

Decimatores autem *de siuna* defendunt, nullos adesse Incolas in eo Territorio, præter duas Familias, quarum distantia a Parochiali non probatur, quæque, cum non constituant Plebem, novæ Parochialis erectionem petere non possunt, per *Text. in cap. Signaficast. de for. comp.*, *Fagn. in d. cap. ad audientiam num.*28. *de Eccles. ædif.*; neque confundendos esse Decimatores, etiamsi unica Communitas ab utriusque Territorii Incolis efformaretur, quum nulla fieri valeat illatio a limitibus temporalibus ad limites spirituales *Hostien. in cap. super eo num.* 3., & 11. *de Paroch.*, *Rot. coram Coccin. decis.* 118. *num.*3., & *in Recent. decis.* 380. *nu.*4. *par.*5. *tom.*1.; Et decimatores de Merlemont inefficaces reputant Parochianorum depositiones, quibus datum non est Testimonium ferre in causa propria: Alios Testes affectate deponere de asperitate viæ, & animarum pernicie non præsumenda contra experientiam plurium seculorum *Rota decis.* 240. *num.*4. *coram Card. Tanar*; Cappellam inquiunt adesse in Merlemont, cum Beneficiato, qui Missam celebrat diebus Festis, & Cathechesim exponit de Mandato Episcopi, ideoque ignorantiam Puerorum tribuendam esse ipsorum, & Parentum negligentiæ *Rot. coram Tanar. decis.*249. *num.*6.; Et decessum aliquorum sine Sacramentis evenisse ex repentina illorum morte, vel ex negligentia adstantium: Proindeque inferunt, cessante necessitate non esse procedendum ad dismembrationem, juxta firmata per *Rotam coram Cripo decis.*221. *num.*21. *tom.*2.

Deliberandum itaque nunc est ab EE. VV.

I. *An Decimatores Territorij de siuna vulgo* de Chinne *teneantur ædificare Ecclesiam Parochialem, eamque de Vicario perpetuo, aliisque necessariis providere, in casu &c.*

II. *An Decimatores Territorij* de Merlemont *teneantur ædificare Ecclesiam in loco, seu prope Castrum de Merlemont pro exercitio Curæ Animarum, eamque de Vicario perpetuo, aliisque necessariis providere, in casu &c.*

Ad I. Dubium. Negativè, & amplius. Ad II. Dilata, & ad mentem.

Sess.7. c.7. de Refor.& Sess.25.c.11 de Reg.

COLONIEN. Sacerdotes, qui Confessarii munere funguntur pro certo Parocho coadjuvando, vel indeterminate per universam Coloniensem Diœcesim, dicuntur approbati *ad Curam subsidiariam*, sive, ut ajunt, *secundariam*, quia prævio examine facultatem obtinent a Curia Archiepiscopali, vel usque *ad revocationem duraturam*, vel ad certum tempus limitatam, ut valeant Sacramentales Confessiones excipere *de venia*

quo-

quorum interest, Verbum Dei prædicare, aliaque Sacramenta Animarum Curatoribus incumbentia *ad requisitionem eorundem* administrare. Ii autem sive Regulares sint, sive seculares, cum ad aliquam promoventur Parochiam aut perpetuam, aut amovibilem, iterum se subjiciunt examini, novamque obtinent approbationem pro Cura, quam vocant *primariam*, non quidem indefinite, sed pariter ad certum tempus, ut plurimum septem annorum, ita ut elapso tempore denuo renovetur Examen.

Hunc morem, quem Abbas Steinfeldensis Ordinis Canonicorum Regularium Præmonstratentium non improbat quoad cæteras Parochias suo Monasterio unitas, servandum non esse defendit quoad Parochiam *in Dumvvald* pleno jure incorporatam Abbatiæ, cui præficere posse arbitratur ad sui libitum Regularem aliàs ab Ordinario approbatum *ad Curam secundariam*, non repetito examine, novaque non obtenta approbatione ad illam Ecclesiam speciali. Ob interpellationem itaque hodierno Rectori d. Ecclesiæ factam a Curia Archiepiscopali, ut se novo examini exponeret, specialemque imperaret approbationem ad illius *Curam primariam*, præsens suscitata est controversia, quæ de consensu Partium a f.m. Bened. XIV. remissa fuit ad hanc Sac. Congreg.

Et disputat nunc Abbas, Ecclesiam Parochialem *in Dumvald* plenarie unitam esse Abbatiæ Steinfeldensi, suæque jurisdictioni subesse, ut enunciatur in antiquo Instrumento anni 1347., & in aliis recentioribus documentis. Allegat etiam immemorabilem consuetudinem *instituendi, & destituendi actualem Rectorem in eadem Parochia, talem tamen, qui ab antea examinatus fuisset in Synodali examine, quique approbatus, & idoneus esset repertus generice ad Curam Animarum, quin postmodum, ob institutionem ad eandem Parochiam Dumvaldensem ab Abbate factam, novo se præsentare examini teneretur*: ut exponit in sua relatione Reverendissimus Nuncius Coloniæ, qui testatur vidisse documenta Originalia, a quibus desumit Abbas argumenta hujus consuetudinis. Et in illius comprobationem afferuntur enunciativæ *quoad institutionem, & destitutionem* emissæ per Antecessores Abbates in relationibus Ecclesiarum exhibitis Curiæ Archiepiscopali anno 1647., & 1656., quibus adjungitur argumentum a negativa, quod Curia Archiepiscopalis nullum actum in contrarium ad hæc usque tempora ostendit.

Propterea, infert Abbas, omnem hujus Parochiæ curam habitualem, & actualem per ipsum retineri, & Coadjutoris partes explere Vicarium in eadem deputatum, juxta firmata per *Rot. in Burgen. Jurisdictionis super exercitio actuum Parochialium* 4. *Decembris* 1722. §. *Supposita cor. Gamaches*, unde posse in Vicarium assumi Regularem *ad curam secundariam* approbatum, literisque testimonialibus ferme unisonis aliis expediri solitis favore Vicarii ad primariam curam deputati commendatum, quin opus sit nova approbatione, novoque examine, quod in eodem munere iterari non posse definivit *Rota in d. Burgen. cor. Ansald*; *dec.*385. *cor. Lancet. dec.*582. *cor. Falcon. tit. de off. ord. dec.*7. *la* 1. *& cor. Crispo dec.*343.

Præ-

Præsertim attento jure instituendi, & destituendi, quod sicuti adimit Ordinario institutionem auctorizabilem, ita plenam tribuit facultatem Abbati committendi Curam, cui maluerit, ut plene firmat *Rota in d. Burgen. jurisdictionis super commissionem Curæ cor. Falcon. tit. de Miscel. dec.13. sub n.3. cor. Crispo dec.341. n.3. & cor. Gamaches 2. Decembris 1722. §. Quo præmisso*. Et in his terminis putat sustinendam esse immemorabilem consuetudinem, quæ ad summum dici posset præter, non contra Concilium.

Curia vero Archiepiscopalis contendit, inviolabilem esse dispositionem Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* ut examine, & approbatione Episcopi indigeant quicumque præficiendi sunt ad exercitium Curæ Animarum, etiam in Parochiis, quæ sunt Regularibus subjectæ -- *Nec ibi aliqui etiam ad nutum ammovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum, vel ejus Vicarium faciendo*: Vicarium etiam amovibilem Parochialis unitæ, non esse simplicem Coadjutorem, quidquid dictum fuerit ad alium effectum in dd. decisionibus in causa *Burgen*, sed esse verum Parochum cum omnimoda cura actuali deputandum ad formam Constitutionis Sancti Pii V. Ia 47. §. 5. & alterius Constitutionis S. M. Benedicti XIV. in ejus *Bullario Tom.* 1. *la* 109. §. 9.: Institutionem auctorizabilem nequaquam præscribi posse contra Ordinarium sine jurisdictione activa in Populum, qua caret Abbas in Parochia Dumvaldensi biduo distante a sua Abbatia, ut distinguit *Rota d. Burgen. coram Falconer. de Mascell. dec.*13. *nu.*1., & 3.; Et ideo approbatum pro cura secundaria deputari non posse ad curam primariam certæ Ecclesiæ, sine novo examine, sine nova approbatione Ordinarii, ut firmat *Rot. dec.*71. *nu.*9. *cor. Merlin.*

Nec putat adverversari decisiones in d. causa *Burgen*, cum loquantur de Parocho iterum non examinando quoad Curam Animarum ejusdem Parochiæ, ad quam fuit approbatus, ut etiam in his terminis loquuntur *Barbos. de Jur. Eccles. univers. lib.*3. *cap.*6. *n.*48., & 49., & *Pignatel. in cons.*133. *n.* 7. *tom.*1. Et consuetudinem neque probari, neque probatam relevare, cum suffragari nec etiam posset expressum privilegium, ob derogationes contentas in Concilio, & in Constitutionibus præfatis, ut novissime definitum est ab hac Sac. Cong. *in Palentina* 9. *Februarij proxime præteriti* His itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.

An Regularis ad exercitium Curæ animarum in Ecclesia Dumvvaldensi plene incorporata Abbatiæ Steinfeldensi Ordinis Præmonstratensis ab illius Abbate deputatus, & aliàs ab Ordinario Colonien. prævio examine Synodali ad excipiendas Confessiones, de venia quorum interest, prædicandum Verbum Dei, aliaque Sacramenta Parochis incumbentia ad eorum requi-

requisitionem administranda approbatus, teneatur se subjicere novo examini pro approbatione ad Curam Animarum dictæ Ecclesiæ, in casu &c.

Affirmativè, & amplius.

LISBONEN. Joseph Martinez Figueira oriundus Villæ *de Obidos* Lisbonen. Diœcesis in ultimo Testamento, quod condidit in Statu *Brasiliæ*, legatum ita scripsit -- *Lascio à sei Orfane della Villa di Obidos, essendo elleno onorate, e povere, il che averanno da esaminare li Parochi della d. Villa, per prendere stato trecentomila Reis* (quæ constituunt sc. 300. mon. Romanæ) *per ogni una di loro: ed essendovene qualcheduna, che nella linea della mia stirpe per qualche principio abbia alcuna Parentela, questa, o queste siano prima preferite* -- & post alia legata, præsertim Missarum, denique ita dispofuit -- *Dichiaro, che doppo essersi eseguite le mie lascite, e legati; tutto il resto del capitale si manderà a dire tante Messe*. Sess. 22. c. 6. de Ref.

Defuncto Testatore, illius Exequutor Testamentarius Simon de Fonseca Sequeira Senator de Paco preces obtulit SS. D. N., inde remissas ad hanc S. Congr., quibus postulabat, ut sibi facultas indulgeretur distribuendi præfata subsidia pauperibus Puellis consanguineis Testatoris, licet non Orphanis: illorumque repartitionem faciendi majori numero Puellarum mediante diminutione quantitatis ab eodem Testatore præstitutæ: utque residuum hæreditatis designatum pro celebrandis Missis convertere posset in alia pia opera, vel dotationum, vel eleemosynarum, cum prælatione danda consanguineis Testatoris valde pauperibus.

Auditus fuit Emus D. Card. Patriarcha, qui retulit, plures adesse in Villa *de Obidos*, illiusque districtu, ac alibi Virgines Testatoris Consangnineas, vel Affines Parentibus pauperibus, suoque labore, & industria viventibus ortas, quarum singulis, juxta Oppidi statnm, illarumque indigentiam, & conditionem satis consultum foret dote sc. 100., sive Orphanæ sint, sive non: Pluribus quoque Viris, & Mulieribus egenis abundare Oppidum prædictum, & loca vicina, tum extraneis, tum propinguis Testatori, qui a tenera ætate in Americam profectus illorum indigentiæ conscius non fuit, nec ideo repugnare Testatoris voluntati, si erogetur in subventionem Pauperum residuum hæreditatis designatum pro Missis, quæ jam celebratæ fuerunt in superabundanti numero ex aliis ejusdem Testatoris legatis. Suam denique sententiam aperit his verbis -- *Unde hujusmodi petitionibus hac æquitate fretus sic annuendum, & indulgendum esse censerem, si sapientissimæ mentes EE. VV. ita senserint* --

Cum tamen instantia hujusmodi in Congregatione habita die 15. Decembris superioris anni fuerit rejecta; idcirco Exequutor Testamentarius sub spe melioris eventus petiit, ut Causa describeretur in Folio, & nunc disputat, Pauperum Filias Orphanis comparari posse, vel saltem in istarum defectum esse admittendas ad participationem Legati, ut notat *Escobar. de purit. & nobilit. qu.13. §.3. sub n.79.*, *& Amostaz de causis piis lib.4. cap.6. n.44. ad 49.*: & pinguius adimpleri Testatoris voluntatem, si pluribus distribuantur subsidia, quæ pro sex Puellis forent exuberantia, juxta doctrinam *Sarmient. select. interpret. lib.8. in l. cum quidam n.12. ff. de legat.2.*, præsertim in legato incertis personis relicto, in quo nulli jus quæsitum dici potest: & denique potiorem esse misericordiam omnibus holocaustis, & sacrificiis, ut habetur *in can. ponderet dist.50.*, *& in can.47. de pænit. dist.1.* Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

I. *An subsidia dotalia relicta per Josephum Martinez Figueira pro sex Puellis cum prælatione consanguinearum dari valeant adhuc non Orphanis?* & quatenus negativè.

II. *An arbitrio Exequutoris eadem subsidia distribui queant non inter sex, sed inter plures Puellas Orphanas præditas qualitatibus a Testatore præfinitis cum prælatione etiam consanguinearum?*

III. *An residuum hæreditatis juxta Testatoris voluntatem in Missis erogandum distribui valeat arbitrio exequutoris pro subsidiis dotalibus similium Puellarum, præferendo etiam Testatoris Consanguineas, in casu &c.*

Ad I. Dubium, Negativè. Ad II. Negativè. Ad III. Negativè.

Sess.7.c.ult. & Sess.25. c.8. de Ref.

CORDUBEN. Ad augendum divini cultus honorem, & sacrarum Functionum majestatem, concordiam iniverunt anno 1585. Episcopus, Decanus, & Capitulum Cordubensis Ecclesiæ, ut tresdecim Cappellaniæ in Ecclesia Cathedrali erectæ, & ad liberam Capituli collationem spectantes, conferendæ forent imposterum totidem Professoribus artis Musicæ, qui divina canerent Officia horis consuetis, aliaque supportarent onera Cappellaniis incumbentia. Concordiam Apostolica auctoritate confirmavit sa:mem:Sixtus V.: hoc addito, ut ex redditibus trium earumdem Cappellaniarum *S. Agnetis* nuncupatarum tercentum ducati dismembrarentur pro substentatione sex Puerorum, qui versiculos, & responsoria, aliaque in Choro necessaria canere tenerentur, ac etiam solemnibus Festis diebus alios Cantores coadjuvare. Et anno 1592. sa. mem. Clemens VIII., confirmando in reliquis Literas Sixti V., substulit

lit determinationem vocum, libertatemque concessit Episcopo, Decano, & Capitulo prædictis easdem Cappellanias conferendi Cantoribus cujuscumque vocis; data insuper facultate, *ut quæcumque statuta, & ordinationes circa servitium Chori, & Officium Succentoris hujusmodi, aliaque præmissa facere, & semel facta pro temporum, & rerum varietate reformare, vel in toto, vel in parte mutare, & de novo edere valerent*.

Sex autem ex prædictis Cappellaniis *S.S. Acatii, & Sociorum* nuncupatæ, quarum cujuslibet fructus anno 1592. quantitatem non excedebant Regalium 2367., modo reddunt annuos Regales 10609.: & tres aliæ *S. Agnetis*, quæ pariter eodem anno non reddebant nisi Regales 4157., modo ferunt annuos redditus Regalium 19980. Post conspicuum itaque fructuum incrementum, vacantes jamdiu retinentur *quinque* ex dd. Cappellaniis, ob defectum Cantorum, qui digni reputari valeant adeo pingui redditu. Preces idcirco obtulerunt SS.D.N. Episcopus, Decanus, & Capitulum, quibus postularunt, ut prævia confirmatione Bullæ sa. me. Clementis VIII., dd. quinque Cappellaniarum vacantium, & aliarum quatuor, ubi eas vacare contigerit, fructus reserventur Cappellanis pro rata correspondente antiquæ quantitati reddituum anni 1592., eorumque augumentum, supportatis prius oneribus inhærentibus eisdem Cappellaniis, & proviso earumdem manutentioni, erogari debeat in stipendium Pulsantium instrumenta Musicalia. Remissa fuit a Sacratissimo Principe postulationis hujus cognitio ad hanc S.Congr.; & auditus Rmus Hispaniarum Nuncius, expositorum veritatem confirmat, nullique præjudicium esse allaturam censet petitam gratiam, unde concludit -- *Parmi, che la Santità di Nostro Signore non possa incontrare veruna difficoltà in accordare all' accennato Vescovo, e Capitolo la grazia che implorano &c. giachè una tale applicazione ha tutta la coerenza con la destinazione fatta nelle riferite Bolle all' uso della Musica; tanto più che nella maggior parte di queste Chiese sono in prattica gl' istromenti di ogni sorte* --; sed necessarium putat determinari certam quantitatem majorem fructuum partem complectentem pro Cappellanis reservandam, vel hujus quantitatis præfinitionem ad evitandas quæstiones remittendam esse arbitrio Ordinarii.

Erit itaque ab EE.VV. definiendum.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro confirmatione Bullæ san.mem. Clem.VIII., & pro applicatione augumenti reddituum novem Cappellaniarum, de quibus agitur, pro salario Musicorum & Pulsantium Instrumenta Musicalia, in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro gratia juxta votum Nuntii Apostolici, qui concordet cum Episcopo, Decano, & Capitulo repartitionem faciendam, & a Sacra Congregatione approbandam.

Sess.25.cap.5. de Regul. & Monial.

VITERBIEN. JURISDICTIONIS, ET ELECTIONIS. Moniales Monasterii S. Catharinæ Civitatis Viterbii, quæ Regulam S. Dominici profitentur sub cura Regularium ejusdem Ordinis, de electione *Deputati* certant cum Eminentissimo dictæ Civitatis Antistite, a se illam explendam esse autumantes vigore privilegiorum Ordinis, de quibus disceptatum est coram hac Sacra Cong. in alia causa *Ferrarien. Jurisdictionis* 28.*Sept.* 1754. Hujus controversiæ notio, de qua Moniales judicium prævio monitorio introduxerant coram A. C., ex oraculo SANCTISSIMI per decretum ejus R. P. D. Auditoris remissa est ad hanc Sacram Congregationem. Et disputat nunc Eminentissimus Episcopus, *Deputatum* non esse Officialem Monasterii, sed potius Ordinarii *Subdelegatum* primario ad custodiendam Sanctimonialium Clausuram, licet secundario curam gerant honorariam, & consultoriam in rebus temporalibus Monasterii; & ideo illius electionem spectare ad Episcopum, cui tantopere commendatur a Sacro Concilio Tridentino *Sess.*25. *cap.*5. *de Regul. & Monial.* vigilantia super clausura Monialium etiam exemptarum: & cui datum est onus incumbendi rectæ administrationi Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum, ut in Constitutione san. mem. Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili*, *in Bullar. Cherub. Tom.*3. *la* 18. §.5. *vers. Sed & administrantes bona*; cum utramque facultatem possit Episcopus alteri subdelegare, ut late probat *Ursaja discept. Eccl. tom.*6.*part.*1. *discept.*27. *n.*21. *& seq.*, *&* 76.

Eamdemque suam potestatem defendit Eminentissimus Episcopus etiam vigore immemorabilis consuetudinis, tum particularis hujus Monasterii S. Catharinæ, tum universalis omnium Monasteriorum Viterbii, quæ decem sunt, præter unum Conservatorium Orphanarum, & quorum quatuor subsunt Regularibus, & inter hæc duo sunt sub cura PP. Ordinis Prædicatorum. In omnibus enim *Deputatum* ab Episcopo semper electum fuisse probat per tres decim grandævos Testes Sacerdotali Charactere insignitos, qui deponunt de scientia propria ultra quadraginta annos, de auditu a Majoribus, de publica voce, & fama, & quod memoria non fuerit nec sit in contrarium, juxta requisita *Glos. in cap.*1. *verb. memoria de præscr. in* 6. Et his addit, præter alias probationes, publicum testimonium Magistratus Viterbiensis, totius Capituli Cathedralis, & Capitulorum aliarum trium Collegiatarum Civitatis, cum precibus eorumdem, ut sartatecta serventur jura Episcopalia: Hisque consonant electiones deputatorum anno 1722. a bo. me. Episcopo Sermattei ad ejus arbitrium factæ & in actis registratæ, ac eorumdem amotiones ab Episcopo anno 1734. expletæ ac religiose a Monialibus admissæ. Parum referre putans defectum formalis examinis Testium, dum causæ in Sacris Cong. agendæ sunt in forma extra-

trajudiciali, juxta *Conſt.* 71. *Innocentii XII.* §. 1. de qua *Urſaja diſcept. Eccl. tom.* 2. *diſcept.* 9. *n.* 54. *ad* 60.

Nec immemorabilem enervari cenſet ex atteſtationibus producendis a Monialibus, quæ urbanam, & civilem propenſionem Epiſcopi in eligendis perſonis benevifis Monialibus, earum precibus quandoque deferendo, trahere conantur ad ſibi aſſerendum jus prælectionis, contra notata per *Urſaya d. diſcept.* 27. *par.* 1. *tom.* 6. *n.* 31. *&* 32. *& n.* 62. Dum ſi formalis Monialium prælectio præceſſiſſet, de illa conſtare deberet ex libris reſolutionum Capitularium Monaſterii.

Eoque fortius contenditur retinendam eſſe hanc longevam conſuetudinem, ne facultate eligendi, & amovendi Monialibus conceſſa, Deputati a fideliter proprio munere circa cuſtodiam Monaſterii, ejuſque ſpiritualem ac temporalem profectum exercendo, metu remotionis retrahantur. Sicut etiam inutilem prædicat amplitudinem privilegiorum Ordinis, cum Moniales certi Monaſterii ſub illorum clipeo nequeant ſe ſubtrahere ab obſervantia ordinationum, & proviſionum, quæ pro recto illarum regimine per immemorialem conſuetudinem invaluerunt: minuſque obeſſe reſolutionem hujus Sacræ Congreg. in d. Cauſa *Ferrarien. juriſdictionis* 28. *Septembris* 1754. *ad* 6. *dub.*, quia ibidem concurrebat obſervantia favore Monalium, & agebatur de deputatione Miniſtrorum Monaſterii. Placeat itaque EE. VV. definire.

An electio Deputati Monialium, de quibus agitur, ſpectet ad Epiſcopum, ſeu potius ad Prioriſſam, & Moniales, in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

Die

Die Sabbathi 7. Junii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſſ. 25 cap. 5. de Reg. & Monial.

VITERBIEN. JURISDICTIONIS, ET ELECTIONIS. Deſcripta fuit hæc Cauſa in Folio Congregationis habitæ die 10. Maij præteriti, ſed Eminentiſſimi Patres indulgentes precibus Monialium dilationem conceſſerunt ad hodiernam Congregationem; Denuo itaque repropo nitur, ut reaſſumpto Folio d. præteritæ Congregationis ab EE. VV. definiri valeat.

An electio deputati Monialium, de quibus agitur, ſpectet ad Epiſcopum, ſeu potius ad Prioriſſam, & Moniales in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad ſecundam, & ad mentem.

Seſſ. 25. cap 9. de Ref.

PARMEN. DISPENSATIONIS. Ex fundatione Petri de Notarijs erectum fuit in Eccleſia Cathedrali Parmenſi anno 1479. *Beneficium perpetuum, & Patronale* ſub invocatione B. M. V., & SS. Bernardi, & Georgei, cum reſervatione juriſpatronatus favore Agnatorum Fundatoris, & illis deficientibus favore Maſſariorum Conſortij Eccleſiæ Majoris ſeu Cathedralis, lege injuncta, ut in quacumque Beneficij vacatione tenerentur infra quindecim dies *eligere, nominare præſentare unum Clericum aut Subdiaconum, vel Diaconum, aut etiam Presbyterum de Domo, & Progenie Domus illorum de Notariis, & de Domo ipſius D. Petri potius, quam alium Presbyterum, qui non ſit de Domo prædicta. Et præfatus D. Epiſcopus, aut Vicarius teneatur, & debeat ipſum Clericum, aut Diaconum, vel Subdiaconum, habita tamen per prius per ipſum Præſentatum diſpenſatione ſuperinde neceſſaria, & opportuna in ipſo Beneficio confirmare, & inſtituere: & hoc cum oneribus, & gravaminibus Miſſarum, & Divinorum Officiorum in d. Eccleſia jamdiu ordinatorum*: Et cum onere inſuper *quod Beneficiatus ſupradictus perpetuus teneatur, & obligatus ſit facere ſingulo anno celebrari in Eccleſia S. Thomæ Parmenſis unum anniverſarium Miſſarum*; decem ſunt verba decreti erectionis, quod interpoſuit Vicarius Generalis, in eo ulterius *declarans, quod Beneficium ipſum perpetuo Patronale atque Sacerdotale* ſit iiſdemque honoribus, & oneribus affectum, quæ incumbunt Beneficiatis d. Eccleſiæ: nec diſcordant verba Fundationis.

Sequuta nuper hujus Beneficij vacatione, Maſſarij, ad quos devolu-

volutum est juspatronatus, intra legitima tempora die 12. Decembris superioris anni præsentarunt *Alexandrum Bertoni Clericum Tonsuratum Parmen, quatenus tamen intra debitum tempus in Fundatione statutum, & præscriptum capax reddatur per dispensationem Apostolicam, attenta qualitate Sacerdotali prædicta; sin minus, & subordinate, atque in subsidium M.R.D.Jo; Baptistam Pedana Sacerdotem Parmen, atque idoneum, ut dixerunt, ad illud obtinendum, ambos hic præsentes, & hujusmodi præsentationem sic ut supra factam acceptantes*, ut legitur in Instrumento præsentationis coram Vicario Generali stipulato.

Non distulit Alexander Bertoni, qui natus die 16. Octobris 1740. annum agit decimum nonum, dispensationem exposcere a S. Sede super defectu ætatis ad Presbyteratus Ordinem obtinendum, cum obligatione Sacros Ordines suscipiendi cum primum ad legitimam ætatem pervenerit, & die 27. d. Mensis Decembris docuit in Curia Episcopali Supplicationem ea de re fuisse in Dataria porrectam; Sed contradicente Joanne Baptista Pedana, Supplicatio remissa est ad hancSacramCongregationem, a qua de more auditus fuit Episcopus, isque retulit, defectum ætatis dumtaxat obstare Clerico Bertoni, eumque a biennio operam cum plausu navare Theologiæ scholasticæ, & a Fæmina ejusdem nominis *de Notarijs* descendere: Sacerdotem autem Pedana longum extollere servitium præstitum Ecclesiæ Divi Petri, cujus Choro est addictus. Causa nunc proponitur, & differit Bertonus, Dispensationem ætatis pro Beneficio Sacerdotali non raro indulgeri ab hac Sacra Congregatione, ut *in Civitatis Plebis Cappellaniæ* 25. *Januarij* 1681. *lib.* 3. *Decret. pag.* 331., & in *Lucana* Beneficij, *seu Cappellaniæ* 17. *Maij* 1749. *lib.*99.*Decr.pag.*207.; illamque controverti non posse a Pedana, qui nominationem subsidiariam acceptavit in eventum non impetratæ dispensationis a Bertono, itaut impedire nequeat acceptatæ conditionis purificationem, ad tradita per *Piton. discdpt. Eccles.* 13. *n.* 42., & consonant rescripta hujus Sacræ Congregationis edita *in Barchinonen. dispensatinnis* 30. *Januarij* 1740. *lib.* 90. *Decret.pag.* 40., & *in Cremonen. dispensationis* 4. *Martij* 1758. *lib.*108. *Decr. pag.*99., quibus concessa fuit dispensatio ætatis non obstante oppositione alterius præsentati sub eadem conditione, quatenus primus non obtinuisset dispensationem. Potissimum q. satis non liqueat de qualitate Sacerdotali Beneficii, cum non fuerit Beneficiato onus impositum celebrandi *per seipsum*; imo edixerit Fundator -- *quod d. Beneficiatus teneatur & debeat singulo anno celebrari facere unum anniversarim Missarum Decem pro anima &c.* -- & nonnisi cum dictione *forsan* eadem qualitas fuerit expressa in supplicatione Sm̃o porrecta.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

An sit signanda supplicatio in casu &c.

Affirmativè.

TE-

Seff.24 cap.12 de Ref.

FERENTINA. In Collegiata Ecclesia S. Agathæ Terræ Proxeudi pluribus ab hinc annis exercet munus Organistæ Canonicus Joannes Baptista Petacci cum annuo stipendio sc. 25. quod a Com:, & Confraternitatibus Loci præstari solet, nec distributionibus privatur pro absentia, dum in moderandis Organis est occupatus. Abusum tollere cupientes Canonici Cæsar, & Dominicus Papi, & Gæspar Primotici, preces huic Sacræ Congregationi obtulerunt, quibus postulabant illi prohiberi absentiam a Choro causa pulsandi Organum, ne, diminuto Ministrorum numero, Ecclesia, quæ præter Archipresbyterum sex tantum habet Canonicos, & duos Beneficiatos quotidiano servitio addictos, debitis fraudetur obsequijs. Episcopus de more auditus precibus non dissentit. Et disputant nunc Recurrentes, distributiones dandas esse inservientibus Choro, & Divinis Officijs, ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini *Ss.* 24. *cap.*12. *de ref.*, nec assistentiam in Organis æquipollere servitio Ecclesiæ ad effectum lucrandi distributiones, nisi fiat sine stipendio, ut notat *Clericat. decis.*37. *n.*37. *de Sacrif. Missæ tom.*1.

Et hæc Sacra Congregatio in una S. *Severini* in qua agebatur de Canonico musicis erudito diversis recurrentibus solemnitatibus ob aliquam necessitatem musicis concentibus interessente, cum disputaretur -- *An prædictus Canonicus sit punctandus ob ejus a Choro absentiam; vel potius interessentia in Organis pro servitio Ecclesiæ sit reputanda ad effectum percipiendi distributiones* -- die 15. Novembris 1659. -- *censuit*, *gaudere*, *si stipendium pro Musica non recipiat*, ut *in lib.*21. *decr. pag.*802. & 803.; Et in *Nullius Putignani* 6. *Maij* 1751. *ad IV. Dubium* ita conceptum -- *An idem Abbas possit expunctare tamquam absentes Sacerdotes illos, qui tempore Divinorum Officiorum vel Confessionali assistunt vel pulsant Organum* -- respondit -- *Ad IV. Pulsantes Organum absque stipendio*, & *Audientes Confessiones ex deputatione, non ammittere distributiones* --, ut *in lib.*91. *decr. pag.*238.

[N]ihilque prodesse autumant Recurrentes observantiam vigintiquinque annorum continuatam cum Canonico Petacci, & diù etiam cum altero Canonico illius Antecessore; tum quia in præteritum non aderat alius in Arte Musica Peritus, qui modo in Terra Proxeudi non deest: tùm insuper quia ex Canonicorum tolerantia, vel expresso consensu valida fieri non potest consuetudo percipiendi distributiones in absentia, contra expressam censuram Sacri Concilij Tridentini *in d. Ss.*24. *cap.*12., ad cujus tramites hæc Sacra Congregatio die 24. Aprilis 1593. respondit Episcopo Ruben. -- *Caveat*, *ut distributiones non dentur*, *nisi actu inservientibus*, *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili* --, ut *in lib.* 2. *lit. Episc. Lim. Visit. pag.* 13.

Immo putant, nedum quotidianis distributionibus privandum esse Canonicum Petacci pro horis absentiæ, quas facile dimitteret pro lucrando majori stipendio Organistæ, sed quatenus persistat in contumacia, coercendum esse alijs pœnis pecuniarijs

arbi-

arbitrio Ordinarij, ut in identificis terminis definivit Sac. Cong. in una *Brixien.* die 26. Novembris 1611. rescribendo - *Censuit Canonicum non debere ullum etiam minimum chori servitium praetermittere causa Organum pulsandi, & si praetermiserit praeter amissionem fructuum ac distributionum etiam alijs paenis, esse cohercendum* -- ut *in lib.* 11. *decret. p.*109., & pro discedentibus a Choro tempore divinorum Officiorum causa celebrandi Missam alias Censuit eadem Sacra Congreg. *in Oriolen.* 27. *Martij* 1632. *ad XII. dub. lib.*14. *dec. pag.*599., *in Ortonen.* 27. *Februarij* 1706. *lib.*56. *decr. p.*56., *& in Salernitana edictorum Septembris* 1732. *ad* X., *e* XI. *dub. lib.* 82. *decret. pag.* 452., Non refragante, quod instantia non promoveatur a toto Capitulo, quia negligentibus caeteris ob attinentiam, vel amicitiam cum Petaccio, vel unus Canonicorum valet jura Capituli promovere *Lotter. de re benef. lib.*2. *quaest.*21. *n.*65.

Placeat itaque EE. VV. decernere.

I. *An Canonicus Joannes Baptista Petacci teneatur ad interessendum in Choro; seu potius permittenda sit tempore divinorum Officiorum ejus interessentia in Organo pro servitio Ecclesiae, in casu &c.*, & quatenus affirmative quoad primam partem.

II. *An & quomodo sit cogendus in casu &c.*

Ad I. Dubium. Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Esse cogendum aliis poenis pecuniariis arbitrio Ordinarii.

FAVENTINA PRÆEMINENTIARUM, ET FUNERUM. *Sess. 25. c. 13. de R. f.*

Delatae sunt ad hanc Sacram Congregationem plures Controversiae vigentes inter Capitulum Ecclesiae Cathed., & Collegium Parochorum Civitatis Faventiae, & post auditam Episcopi relationem, Causa nunc proponitur undecim collecta capitibus.

Et primo disputat Capitulum de loco Processionis funebris inchoandae, quod licet ea regulariter initium sumat ab Ecclesia Parochiali Defuncti, ex collectis per *Rotam in Majoricen. Praeminentiarum, & Funeris* 8. *Maij* 1744. §. *In explorato cor. clar. me. Card. Millino*; attamen omnes Ordines una cum Parocho convenire debeant in Ecclesia Cathedrali, ubi ejus Capitulum interveniat associationi Cadaveris, juxta resolutiones Sacrarum Urbis Congregationum relatas per *Argiro. discept. Eccles. tom.* 2. *lib.*7. *discept.* 21. *num.*9., *Bass. de sodalit. quaest.*5. *sub nu.* 10., *& san. mem. Benedict. XIV. instit. eccl.* 105. *num.*27., quas prodesse etiam Ecclesiae Collegiatae definivit *Rota in Melevitana Funerum super accessu Regularium ad Collegiatam* 23. *Novembris* 1744. *cor. clar. me. Card. Millino*; Nec putat refragari consuetudinem separatim accedendi ad Domum defuncti, quae tam-

quam corruptela improbatur ab hac Sacra Congreg. *in Tudertina Funerum* 8. *Augusti* 1716.*ad prim. Dub. lib.66.dec.pag.*343. & sæpe in aliis, quarum decreta referunt *Pignatel. consult. Canon. tom.*3. *consult.* 49., *& Monacel. formul. leg. par.*1. *tit.*5. *form.*7. *num.*34. *ad* 39.

Differit quoque, intonationem Antiphonæ -- EXULTABUNT DOMINO -- antequam Defuncti Cadaver e Domo efferatur, cum non computetur inter actus Parochiales recensitos *in Rituali Romano tit.*36. §.2., faciendam esse, prout hactenus facta fuit, a Prima Dignitate, vel a Digniore Capituli, ad quem spectat præcedentia in actibus communibus, ut de præintonatione Missæ funebris definivit Sacra Congreg. Rituum *in S. Severini Præeminentiarum* 16. *Septembtis* 1741. *ad IV. Dub.*, & de cæteris actibus promiscue tradunt *Barruffald. in comment. ad Ritual. Rom. d. tit.* 36. §. 2. *num.* 100., *Lavor. lucubr. canon. tit.*2. *cap.*3. *num.*217., *& Searfant. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 14. *numer.* 17.

Prohibendos quoque autumat Parochos, quominus in associatione Cadaverum suorum Parochianorum ingrediantur Ecclesiam Cathedralem cum Stola, & Cruce erecta, etiam sub pretextu consignandi Cadaver, & canendi versiculum -- *Tremens factus* -- pro Adultis, vel -- *Domini est Terra* -- pro Infantibus; cum nullam consuetudinem hoc desuper allegare possit Collegium Parochorum, cui semper obstitit Capitulum, præsertim tempore liti proximo: & de jure actus hujusmodi, utpote qualificati, & jurisdictionales, nequeunt expleri in Ecclesiis non subjectis, sed Cadaver consignandum est ante limen. Ecclesiæ tumulantis, ut pluries definitum fuisse refert *Ursaja discept. Eccles. tom.* 1. *par.*2. *discept.* 14. *n.* 9., *& seq.*, Solumque licet Parocho Ecclesiam non subjectam ingredi sine stola, & dimissa, vel demissa Cruce, ut distinguit *Rota in Melevitana Funerum super ingressu in Eccesiis Regularium* 23. *Novembris* 1744. §, 3. *cor. clar. mem. Card. Millino*.

Indeque infert, sine attentatorum labe continuatam fuisse possessionem pendente lite, vetando ingressum Parocho S. Terentii in associatione Cadaveris Cajetani Navarra: & rite sperni potuisse decretum provisionale Vicarii Generalis contra statum possessionis indulgens Parocho, ut ingrederetur usque ad Vas aquæ lustralis cum Cruce erecta; potiusque Cadaver, quod vigore alterius decreti provisionalis nunc asservatur loco depositi in Ecclesia S. Terentii in Capsa separata, consignandum esse Ecclesiæ Cathedrali, in qua Defunctus Sepulturam elegerat, juxta censuram *Textus in cap.*1. *de Sepult. in* 6., quem exornat *Rota in decis.*30. *n.*25., *& seq. cor. Sanctissimo D. Nostro tom.* 1. & cum Cadavere esse quoque restituenda Emolumenta Funeris, ut definitum est a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium *in Compsana* 18. *Februarij*, *&* 27. *Aprilis* 1707., *& in Auximana restitutionis Cadaveris* 31. *Augusti* 1708., & ab hac S. Congreg. *in Sorana Funerum* 24. *Aprilis* 1723. *lib.* 73. *decr. pag.*170.

Po-

Postulat insuper Capitulum, aboleri Taxam Funerum impressam post ultimam Synodum, licet in Synodo non promulgatam, quæ ultra modum auget emolumenta in Civitate Faventiæ jamdiu consueta, contra monitum *Textus in cap. ad Apostolicam* 42. *de Simon.*, quæque evulgata est non auditis Clero, & Populo, nec impetrata hujus Sac. Congreg. approbatione, ut opus esse docet *Card. Petra in comment. ad Const. Apostol. tom.*3. *ad Constit. II. Clementis IV. num.* 15. & *seq. p.*398., & contra licitum statuit perceptionem emolumentorum pro associatione Cadaveris ad Ecclesiam Parochialem ante illius asportationem ad Ecclesiam tumulantem, quando hanc mediatam ad Ecclesiam sepelientem Cadaveris traductionem fieri sæpe vetuit hæc Sac. Congreg. *in Messanen*. 17. *Aprilis* 1706. *lib.*56. *decr. pag.*121. *ter.*, *in Lucana Funerum* 14. *Martij* 1722. *lib.* 72. *dec. pag.*93. *ter.*, *in Tolentina Funerum* 6. *Februarij* 1734. *lib.* 84. *decr. pag.* 68., *in Sabinen. Funerum* 29. *Januarij* 1735. *ad secund. Dub. lib.*85. *decr. pag.*29.

Exemptam pariter asserit Ecclesiam Cathedralem a solutione quartæ funeralis, quam Ecclesiæ Parochiali præstandam esse ab Ecclesia tumulante inhærendo veterum Canonum Sanctioni præscribit Sacrum Concilium Tridentinum *ss.* 25. *cap.*13. *de refor.*; quia si cuique Ecclesiæ ad exemptionem hanc acquirendam sufficeret quadragenaria præscriptio, juxta censuram *Textus in cap. de quarta* 4. *de præscr.*, eo magis prodesse autumat favore Cathedralis immemorabilem consuetudinem pluribus testibus cum solitis requisitis negativam solutionis insinuantibus comprobatam ob quam adstipulante præsumpto jure Matricitatis, vel specialis conventionis initæ in divisione Parochiarum, adminiculato ab existentia unici fontis baptismalis in Cathedrali, semper immunis reputata fuit ab illius præstatione, ad firmata per *Rotam in Barchinonen. jurium Parochialium super quarta*, *&* *oblationibus* 9. *Julij* 1732. *cor. clar. mem. Card. Aldrov.* impressa *post Garz. de Benef. dec.*16.*n.*2., *&* *seq.*, & in confirmatoria 2. *Decembris* 1735. §. *Frustraque*, *&* *seq. coram* SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO. Nec obstare censet Constitutionem san. me. Benedicti XIII. incipientem *Romanus Pontifex*, quæ impressa est in appendice ad Concilium Romanum in ordine *la* 6. *pag.* 151.; dum illa immemorabili derogat quoad Regulares de exemptione certantes jure dativo Privilegiorum, ut eruitur ex illius contextu: non autem quoad Ecclesias Cathedrales exemptionem ex immemorabili præsumentes jure nativo Matricitatis, ut interpretando præfatam constitutionem definivit hæc Sac. Congreg. *in S. Miniatis Quartæ Funeralis* 18. *Decembris* 1728. *lib.* 78. *decr. pag.*600. *ter.*, *&* 12. *Martij* 1729. *lib.*79. *dec. p.*97. *ter.*

Contendit etiam Sacramenta Sanctissimæ Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Episcopo ægrotanti ministranda esse non a Parocho, intra cujus Parochiæ limites existit Palatium Episcopale, sed a Prima Capituli Dignitate, sive id fiat solemniter, sive private, ut indistincte præscribit Cæremoniale Episcoporum

lib.1. c. 38., & explicant *Michael Bauldry in manual. Sac. Caerem. lib. 2. cap. 38. num. 4.*, *& Francesf. ae Eccl. Cathed. cap. 17. de sepult. Eccl. Cathed. num.* 244.; & clandestine, vel ex urgenti necessitate accidisse ait, si quando Parochus eadem Sacramenta Episcopis ministravit, nec ullam efficacem inductam esse consuetudinem contra Capitulum, quod suum jus praeservatum demonstrat per Sacramentorum administrationem factam Episcopis defunctis anno 1710., & 1742.

Praeterea disceptatur, fas esse Capitulo in Processionibus, etiamsi interveniat Collegium Parochorum, binas erigere Cruces, alteram nempe ante Mansionarios, & Seminaristas, & alteram ante ipsos Canonicos, juxta veterem morem, & antiquam observantiam, cujus initij memoria non extat, comprobatam ex Testibus, & ex libris Capitularibus, nec conqueri posse Parochos de incessu ante hanc Crucem, quasi detrahatur praecedentiae ipsis debitae supra reliquos de Clero, stante protestatione per Capitulum emissa de non recipiendis sub d. Mansionariorum, & Seminaristarum Cruce alijs Presbyteris, qui non sunt de Corpore Ecclesiae Cathedralis: Pariterque tuetur Capitulum jus sibi esse duas Cruces erigere in Processionibus Synodalibus, sub quarum prima incedat Clerus universus, sub altera vero ipsum Capitulum cum Episcopo, ut factum fuisse constat in Synodis celebratis anno 1723., & 1748.; neque Consuetudinem hanc binas erigendi Cruces, quae nullo jure improbatur, quaeque exemplum habet in Metropolitana Bononiensi, immutandam esse defendit, ex adductis per *Ursajam discept. Eccl. tom. 3. discep. 17. num. 24.*; Et demum flagitat, ut juris remediis compellatur Parochorum Collegium interesse Processioni haberi solitae in Festo S. Marci, ad quam praeteritis annis plerique Parochi, & quandoque etiam omnes intervenire neglexerunt contra ritum praescriptum a Sacro Concilio Tridentino *in ss. 25. cap. 13. de Regul.*, & in Rituali Romano *tit.* 79. ubi *Baruffald. in Comment.*

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

I. *An, Capitulo Cathedralis interveniente associationi Cadaveris, processio funebris convocari, & incipere debeat in Ecclesia Cathedrali, seu potius in propria Parochiali defuncti, in casu &c.*

II. *An intonatio Antiphonae* -- Exultabunt Domino -- *antequam defuncti Cadaver e Domo efferatur, spectet ad primam dignitatem Capituli, seu potius ad Parochum, in casu &c.*

III. *An Parocho associanti Cadaver Defuncti ad Ecclesiam Cathedralem liceat illam ingredi cum stola, & Cruce erecta in casu &c.*

IV. *An constet de attentatis, & quomodo sint illa purganentis in casu &c.*

V. *An Cadaver Cajetani Navarra una cum assertis emolumentis restitui debeat Ecclesiae Cathedrali, in casu &c.*

VI. *An,*

VI. *An taxa Funerum impressa in ultima Synodo sit observanda, in casu &c.*
VII. *An ab Ecclesia Cathedrali debeatur Parocho quarta funeralis pro suis Parochianis in ea tumulandis, etiamsi Canonicis, in casu &c.*
VIII. *An Capitulo, ejusque Primæ Dignitati competat jus administrandi Episcopo ægrotanti Sacramenta SS. Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, seu potius an, & in quibus casibus idem jus competat Parocho S. Terentij, in casu &c.*
IX. *An Capitulo in Processionibus, quibus intervenit Collegium Parochorum, competat jus erigendi binas Cruces, alteram nempe ante Mansionarios, & Seminaristas, alteram vero ante ipsos Canonicos, in casu &c.*
X. *An in Processionibus, quæ fiunt occasione Synodi, tàm Capitulum quàm Collegium Parochorum incedere debeant, sub unica Cruce totius Cleri, seu potius quibus competat jus elevandi propriam Crucem, in casu &c.*
XI. *An Collegium Parochorum teneatur interesse Processioni, quæ fit in Festo S. Marci cum Capitulo, & toto Clero, in casu &c.*

Ad I. Dub. Iterum proponatur. Ad II. Negativè ad primam partem, & Affirmativè ad secundam. Ad III. Affirmative juxta solitum. Ad IV. Affirmativè, & esse purganda per viam nullitatis. Ad V. Affirmative deductis expensis factis per Parochum occasione Tumulationis in propria Ecclesia. Ad VI. Dilata, & Episcopus procedat ad revisionem Taxæ, auditis interesse habentibus. Ad VII. Affirmativè. Ad VIII. Servetur Cœremoniale. Ad IX. Affirmativè, & amplius. Ad X. Affirmativè ad primam partem, & elevandam esse unicam tantum Crucem Cathedralis, & amplius. Ad XI. Affirmativè, & amplius.

Aliæ non propositæ,

MELPHICTEN. INDULTI. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Melphictensis, quod compositum est ex Dignitatibus sex, duodeviginti Canonicis, & triginta sex Participantibus, preces obtulit S. M. Benedicto XIV. anno 1746., quibus postulabat indultum vacationis a servitio Chori per Hebdomadas alternatim; remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem, datæ fuerunt Literæ ad Episcopum, ut de more Sacram Congregationem instructam redderet, & votum suum aperiret. Post longas moras tandem advenit relatio Episcopi, qui censet posse indulgeri vacationem tertia quaque Hebdomada, itaut quotidie Ecclesiæ inserviant quadraginta Capitulares, excepto tempore Adventus, & Quadragesimæ, exceptisque diebus Festis, & integra Octava Santissimi Corporis Christi; idque refert gratum haberi a Capitulo, juxta deliberationem captam secretis suffragiis, cui dissentierunt decem tantum Capitulares. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

Plu-

plures enumerat causas Episcopus, ut gratiam faciliorem reddat, & præcipue quod post restitutam ab ipso Chori Disciplinam ad normam instructionis Episcopi Baptistelli editæ in Synodo Fulginatensi anni 1722. per hanc Sacram Congregationem approbatæ, assiduo, & supra modum laborioso servitio gravantur Capitulares, qui ter in die absque ulla temporis vacatione Choro intersunt, divinaque celebrant Officia, quotidie cum Cantu in Matutinis, Missis, & Vesperis, & plerumque etiam in Horis, & Laudibus, & alia pene innumera subeunt onera, quæ longum esset singillatim referre, & quorum intuitu hyemali, vernoque tempore opus est Divina Officia ante diem cum luminibus inchoare, & sæpissime absumptis in Choro quatuor, & quinque horis tempus non habent suas privatas Missas celebrandi; additur præterea incommodum ex eo obveniens, quod Ecclesia ad Maris Hadriatici Oras sita septentrionem, & occidentem versùs frigida, & humida valde est: Et Chorus ante Altare Majus in Presbyterio positus sub Fornice Ecclesiæ, apertus, & totius Ecclesiæ inclementi aeri expositus reperitur: Unde subjungit Episcopus, quod ipse, licet Choro a teneris annis in Cælestina Congregatione sit assuetus, attamen hujus Cathedralis Chorali servitio, cui frequenter assistit, non parum defatigatur, & insalubris Ecclesiæ aeris impressione graviter afficitur.

Refert insuper, tenuos esse redditus parum excedentes annuos ducatos septuaginta Regni: & consuetudinem in Capitulo vigere, quæ omnem excludit Jubilationem; Et his de causis arbitratur facile moveri posse EE. VV. ad concedendum aliquod vacationis levamen, ut majori ardore, & zelo capitulares incumban- Divinis Officiis, quod (demum concludit) *ut EE. VV. dignentur benigne concedere, ego met etiam atque etiam supplex exoro - ea tamen Sacræ Congregationis auctoritate adjecta lege, & conditione, ut nova Disciplina Choralis ad instar Fulginaten supra descripta adamussim jugiter perpetuis futuris temporibus observetur: ac si ab ea substantialiter recedetur, Episcopo pro tempore existe nti libera sit facultas, Apostolicum d. Alternativæ indultum suspendendi, & revocandi, omnesque Capitulares ad integrum quotidianum perpetuum servitium præstandum more antiquo coercendi, & obligandi.*

Instantiam per summaria precum retulimus in Congregatione habita die 19. Aprilis præteriti sed scissis EE. PP. Suffragiis, rescriptum fuit -- *Iterum proponatur* -- denuo igitur proponitur, & insinuant Capitulares, vacationem trium mentium tolerari a Sacro Concilio Tridentino *Sess.*24. *cap.* 12. *de refor* Et licet in eo præserventur consuetudines, & statuta longior servitio faventia, attamen non per hoc quod statutum vel consuetudines requirant assiduum totius anni servitium, excluditur indulgentia Conciliaris pro vacatione trium mensiū ut definivit hæc Sacra Congregatio in una *Astoricen. relat. per Garz. de Benefic. p.*3. *cap.*2. *n.*311. quem sequitur *Barbos. de offic. & potest. Episcopi p.*3.*alleg.* 53. *n.*121. *& in adnotat. ad Concil. d. Sess.*24.

cap.

cap. 12. *n*.64.; Quocirca putant, exorbitantem videri non posse petitam vacationem per tertiariam, ut tertia pars Capitularium singulis Hebdomadis abesse valeat a Choro, quia si excipiantur dies Festi cum octava Sanctissimi Corporis Christi, & tempus Adventus, & Quadragesimæ, juxta votum Episcopi, vix attingent vacationes ad octoginta dies, qui minores sunt tribus mensibus Conciliaribus, & nihil refert num continui sint seu potius interpolati, ut monent, *Garz. d. p.*3. *cap.* 2. *n*.306. *&*, *Barbos. de offic. & potest. Episcopi par.*3. *alleg.* 53. 120. *& in adnotat. ad Concil. d. Sess.*24. *cap.* 12. *n*.63.

Rem novam pariter non esse defendunt, cum sæpe concesserit hujusmodi gratias hæc Sacra Congregatio ut in *Cathacen. servitii Chori* 12. *Septembri* 1699. *lib.*49. *decre. pag.*311. *in Lairien.* 24. *Januarii* 1705. *lib.*55. *decr. pag.*23., *& in Tranen. Indulti* 22. *Novembris* 1738. in qua proposito dubio. *An Dignitatibus, & Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Baruli sit concedenda gratia inserviendi dictæ Ecclesiæ alternative, & per Hebdomadas, in casu*, responsum fuit -- *Affirmative cum solitis clausulis*, nempe, *ut toto anni tempore per mediarias, idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, Matutino, & omnibus horis interesse valeant, Ita tamen, ut diebus Dominicis, & Festis de præcepto tempore Adventus, & Quadragesimæ. & octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi ac SS. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium qui non erunt de servitio, Missæ & Vesperis inservire teteneantur ut in lib.*88. *decr. pag.*468. *&* 471.

Definiendum autem erit EE. VV,

An & quomodo sit concedendum Indultum, de quo agitur, in casu etc.

NERITONEN. PLURIUM. Collegiata, & simul receptiva Ecclesia Terræ Galatonæ, quæ dicata est Beatæ Mariæ Virgini in Cælum Assumptæ, præter quatuor Dignitates in titulum conferri solitas, copiosum habebat numerum Presbyterorum absque titulo collativo inservientium cum æquali æmolumentorum participatione. Cumque redditus facti essent impares omnium substentationi, concordi Participantium animo deliberatum est anno 1626., ut supplicaretur Episcopo pro statuendo certo Canonicorum numero, qui cum Dignitatibus prædictis Capitulum efformarent, cæteris exclusis. Supplicantium votis annuit Episcopus, qui suo decreto captam deliberationem confirmavit, & post paucos dies cum elegisset viginti unum Seniores Presbyteros in Canonicos, modum servitii præscripsit his verbis -- *quali Dignità, e Canonici vuole Monsignor Illustrissimo, che siano tenuti ogni giorno recitare l' Officio, e cantare la Messa: e che si dividano in tre Eddomade* -- Almutiis quoque illos decoravit anno 1627. S. M. Urbanus VIII. Et novam capitulo datam formam optimis rationibus tuetur *Card. de Luca de Canon. dis.*19. illamque validam declaravit Sacra Rota *in dec.*32. *p.*14. *rec.*, cui titulus *Neritonen. Consortii* 19. *Febr.*1663. *cor. Taja*. Ca-

*Ses.*24. *cap.*12. *& Ses.*25. *ca.*6. *de Ref.*

Capitulum auxit Episcopus Brancaccius in concordia anni 1674. constituendo quatuordecim *Portionarios*, *& Beneficiatos*, quos præcepit esse in Cantu Gregoriano peritos, illisque formam dedit, ut cum Dignitatibus, & Canonicis prædictis *faciant omnes numerum triginta novem Capitularium d. Insignis Collegiatæ Ecclesiæ, æqualiter fructus omnes, emolumenta, distributiones quotidianas, & jura quæcumque d. Ecclesiæ participent, Præbenda excepta &c. per duas Hebdomadas alternatim distincte cum dd. Dignitatibus*, & *Canonicis munia omnia*, & *onera tam Chori, quam Altaris*, & *alia quæmcumque proportionabiliter cum dd. Dignitatibus, & Canonicis subeant, & adimpleant &c. Et sedeant in secundo Ordine Chori, dimisso primo Ordine pro solis Dignitatibus, & Canonicis*: jussit quoque, ut redditus, & Bona per Clerum extra Capitulum possessa aggregarentur, & unirentur Bonis Capitularibus, *adeout ex omnibus hisce Bonis, & redditibus unum Corpus fiat, & Patrimonium*; sunt verba dictæ Concordiæ. Et postquam eandem Concordiam approbavit hæc Sacra Congregatio die 25. Maii 1675. excepta solum forma servitii, cujus respectu pleniorem instructionem requisivit, *lib.* 29. *decr. pag.* 83. eosdem Portionarios in actualem possessionem novi Consortii Episcopus induxit per *assignationem stalli in Choro, & Vocis in Capitulo.* Et abinde citra plenam exequutionem habuisse prædictam Concordiam testantur Decisiones *in Neritonen. juris admittendi Presbyteros* 3. *Julii &* 2. *Decembris* 1739. *cor. bo. me. de Vais*.

Interea Episcopus Fortunatus restituere cupiens Divinum cultum pene intermissum, in Constitutionibus Synodalibus promulgatis anno 1680. declaravit, tolerantiam inserviendi per substitutum, quam in synodo admiserat Episcopus Fornarius, intelligendam esse *per tres, aut quatuor vices in anno*: & servitium Ecclesiæ in præteritum fieri solitum a quarta parte Canonicorum deinceps præstari mandavit a tertia illorum parte: addito insuper omnibus onere interessendi Divinis Officiis singulis diebus Festis. Et post sexdecim annorum observantiam reclamantibus Canonicis, & Dignitatibus Galatonæ adversus prædictum Decretum Synodale, Sacra hæc Congregatio die 7. Julii 1696. *censuit, servandum esse decretum Episcopi, cum aliqua moderatione post novam informationem ejusdem Episcopi.* Cumque Episcopus retulisset, singulorum Canonicatuum redditus comprehensis omnibus consistere in Ducatis supra triginta, reproposita Causa die 15. Decembris ejusdem anni, Sacra Congregatio *stetit in Decretis, cum aliqua moderatione arbitranda ab Episcopo, ut in lib.* 46. *decr. pag.* 273. *&* 513. Et quamquam non appareat, quid arbitratus fuerit Episcopus in sequelam d. resolutionis, mos tamen invaluit, ut Canonici, & Dignitates inservirent per tertiariam & Portionarii alternatim per Hebdomadas, exceptis quibusdam Functionibus, in quibus omnes interveniut, ut testatur hodiernus Episcopus in relatione ad hanc Sacram Congregationem transmissa, & distincte referunt Testes Portionariorum.

Plu-

Plures hinc ortæ sunt quæstiones Canonicos inter, & Portionarios, quarum præcipua est circa modum servitii, quod augendum esse Canonicis contendunt Portionarii ob adauctos Ecclesiæ redditus; & Canonici contra autumant augendum potius esse, quoad Portionarios, quorum alternativa approbata non fuit ab hac Sacra Congregatione, itaut servire debeant quotidie ad præscriptum S. Concilii Tridentini *Sess.*24.*cap.*12.*de refor.*sed non esse quoad ipsos immutandam formam servitii, quæ in erectione Canonicatuum, & in Synodo ut supra per hanc Sacram Congregationem confirmata, fuit per tertiariam statuta, cum in his deceat servari legem Fundationis, & formam statuti confirmati a S. Sede, quibus Concilium non derogavit ut notant *Fagnan. in cap. licet n.*58. *&* 59. *de Præben. Bellarmin. ad d. Sess.*24. *cap.*12. *vers. ultra tres Menses*, *& Rota dec.* 1229.*n.*10. *cor. Molin.*Certant quoque de facultate substituendi, saltem per decem dies infra annum, juxta observantiam, de qua conveniunt Testes; idque *per tres, aut quatuor vices in anno* toleratur etiam a præfata Synodo anni 1680.:Et moderate fieri arbitrio Episcopi licitum declaravit hæc Sacra Congregatio in responsis præsertim ad postulata ipsius Episcopi Neritonensis die 1.Septembris 1663. *lib.* 12. *Lit.Episc.Lim. Visit.pag.*254., dummodo substitutio fiat a præsente in loco vel suburbiis, & substituatur alius ejusdem ordinis, qui non sit adstrictus eidem servitio pro se ipso juxta conditiones relatas per S. M. Benedictum XIV. in suis *instit. Eccles. instit.*107. *n.*17., *& Monacell. formul. legal. tom.*2. *tit.*13. *for.* 2. *numer.*64., ubi limitat in munere Diaconi, & Subdiaconi, & in *supplem. ad d. tom.*2. *n.*56. *tom.*4.

Munus autem Diaconi, & Subdiaconi, quod Portionarii disputant subeundum esse juxta formam præscriptam in Cæremoniali Episcoporum *lib.*2. *cap.*17., solis Portionariis incumbere Canonici defendunt vigore consuetudinis relatæ etiam per Testes Portionariorum, quam esse attendendam probat *Clericat. de Benefic. tom.*1. *disc.*71. *n.*29. & definivit hec Sacra Congregatio *in Trojana servitii* 23. *Junii* 1742.*ad* 2. *dub. lib.*92. *decr. pag.*357. nec Cæremonialis dispositionem trahendam esse ad Canonicos alio onere coadjovandi Archipræsbytero in Cura Animarum gravatos, ut firmat *Clericatus loco citat. n.*28. Et prætendunt, alios sex Portionarios teneri assistere cum Pluvialibus in Sacris functionibus, quæ fiunt diebus Festis primæ Classis, & quatuor in Festis secundæ Classis, tum vigore consuetudinis, tum vigore Cæremonialis Episcoporum *lib.*2. *cap.* 3. *in princ. &* §. 16., cui adhæret *Rota in Camerinen. Præeminentiarum & jurium super* 3. *Dubio* 11. *Maii* 1759. §. 7. *cor. R. P. D. Olivatio*: Onus quoque esse Portionariorum assistere ad Legile cum uno Canonico Concentore, ut hactenus fieri consuevit, & in eo aptare Libros, juxta responsum hujus Sacræ Congregationis *in Maceraten. servitii Chori* 26. *Septembris* 1739. *lib.*89. *decr. pag.*313.& probat *Ceccoper. lucubr. Canon. lib.*2. *tit.*5. *n.*45. *ibique Scarfant. n.* 13.; Illisque incumbere onus recitandi Lectiones primi, & secundi No-

ćturni, Reſponſoria, & Antiphonas, ut tradunt *Merat. ad Gavant. in Rubric. Breviar. tom.2. Seſſ.5. cap. 7. de Antiph. §. Supereſt pag.111. & Ceccoper. loco cit. n.36.*

Aſſerunt inſuper Canonici juniorem Portionarium teneri miniſtrare in Divinis, ſi quando deficiunt Clerici, ut definivit *Sacra Rituum Congregatio in Hiſpaniarum 11. Junii 1605. & Sacra Cong. Viſitationis Apoſtolicæ in Romana 17. Aprilis 1690.*, & innuit *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*819. *n.*7. Et a Portionariis occupandum eſſe ſtallum abſentium in altera Chori parte, ut æqualis hinc inde reddatur divinorum concentus, juxta longevam obſervantiam, quæ congruit Portionariorum officio ſupplendi abſentium onera, ad tradita per *Barboſ. de Canon. & dignit. cap.4. n.37. & Ceccoper. d. lib.2. tit.5. n.45.* Sed Portionarii cenſent, æqualiter ſubeunda eſſe onera, quemadmodū æqualia ſunt & emolumenta: & Abſentium vices ſupplendas eſſe ab aliis ejuſdem Ordinis, ne ordines confundantur, ut innuunt *Pignatell. Conſult. Canon. tom.4. conſult.104. n.6., & Rota in Recent. deciſ. 288. n. 19. p. 6.*

Diſputant etiam Canonici, Officiorum celebrationem Hebdomadario injunćtam a Ceremoniali Epiſcoporum *lib.2. cap. 3. §. 16.* non eſſe intelligendam de Miſſis, & Funćtionibus ſolemnibus, quarum prærogativa ſpećtat ad digniorem, ut explicant *Catalan. ad* Cæremon. *d. §. 16. n.2. & §. 17. n.5., & Rota in Caſſanen. Funćtionum 1. Julii 1757. §. 4. cor. R. P. D. Paracciano*, & definivit Sacra Congregatio Rituum in *Gerunden. Funćtionum Pontificalium 11. Febr. 1702. & in Baren. 24. Novembris 1731.* Et Portionarios in Funćtionibus extra Chorum aſſiſtere debere in ſedilibus diſtinćtis, ne confundantur cum Canonicis, ad tradita per *Ceccoper. lucubrat. Canon. lib.1. tit. 8. n. 2. Urſaya diſc. Eccleſ. tom.1. p.2. diſ. 26. n.97., &* Rot. *cor. Lancet. dec. 1394. n.5. & 6.* Ac Epiſtolæ cantum diebus Ferialibus peragendum eſſe a Portionario in plano Presbyterii, ut docent *Catalan. ad Cæremon. Epiſc. lib. 1. cap.10. §.2. n.16. Gavant. in Rubric. Miſſal. p.2. tit.6. §. 4. Lit. X. verb. contra Altare, ibique Merat. in addit. n.17.* Portionarii vero excipiunt nulla exiſtere ſed illa diſtinćta, & quatenus adigendi eſſent in ſedilibus diſtinćtis aſſiſtere, illa conficienda eſſe expenſis Maſſæ communis: & in cęteris ſervandam eſſe conſuetudinem, juxta definitionem *Rotæ in d. Caſſanen. Funćtionum 1. Julii 1757. §. 5. coram R. P. D. Paracciano.*

Altera controverſia eſt circa jus deferendi Almutias, & Mozzettas, quod nemo uſurpare valet ſine indulto Apoſtolico, ut per *Textum in leg.2. Cod. de Veſtibus holoberis, & auratis lib.11.*, firmant *Card. de Luca de præemin. diſc. 8. n.6., Pignatell. conſult.59. num.8., & 13. tom.3., & Rota poſt Ceccoper. tom.2. deciſ.35. nu.2., & ſeq.* Pro Almutiis quidem non deeſt indultum Apoſtolicum, ut diximus; ſed improbant Portionarij, eas geſtari a Canonicis ſuper ſcapulam; At hoc rite fieri defendunt Canonici ex trigenaria obſervantia Epiſcopo authorante ind ućta & ſub-

& subdunt arbitrariam esse Almutiarum delationem super scapulam, vel super Brachium sinistrum, ut probat *Sarfant. ad* Ceccoper. *lib.* 1. *tit.*7. *num.* 14., *&* 15., & concordat S. Carolus Borromeus *in* 5. *Synodo Provinc. Mediol. tit. de Canon. & tit. quæ ad divin. Off.* Mozzettas vero sine indulto deferunt Dignitates, & Portionarii; at Dignitates se tuentur immemorabili consuetudine, quam sufficere innuunt *Card. de Luca disc.*20. *n.*7. *de Canon.*, *&* *Scarfant. d. lib.*1. *tit.* 7. *n.*17. *ad* 19.; & asserunt, illegitime deferri a Portionariis, qui eas assumpserunt anno 1736. de consensu Episcopi, quem non prodesse firmat *Scarfant. loco citat. n.*20.

Controvertitur tertio loco de jure ferendi suffragium in Capitulis, quod licet Portionariis non competere firmet *Glos. in cap. penult. verbo Assisios de cler. non resid.*, attamen illud sibi datum fuisse arbitrantur Portionarii in decreto Episcopi Brancacci Capitularibus consentientibus ædito anno 1674., adstipulante etiam longa consuetudine, ideoque recedendum esse ab Opinione Glossæ, ut notant *Vanespen. in jus Eccles. universi par.*1. *tit.* 7. *c.* 5. *num.*4., *&* *Card. Petra ad Const.* I. *Leonis Magni sect.*2. *n.* 1. *tom.*1. *pag.*55., & definivit hæc Sacra Congreg. *in Fanen.* 16. *Junij* 1731. *lib.*81. *decret. pag.*306.; injuiunt tamen Canonici formam d. Decreti immutatam fuisse post paucos dies, nec admissam fuisse Portionariorum prætensionem ab Episcopo in Visitatione an. 1678. decernendo tantum quod docerent de eorum jure; Et solum in Æconomicis votum tribuendum esse Portionariis, ut respondit hæc Sacra Congreg. *in Brixien. vocis in Capitulo* 8. *Martij proxime præteriti*. Suffragia insuper insinuant Portionarij computanda esse collective, ad terminos *Textus in leg. si quis Attio & Hæredibus* 8. *ff. de usufrut. accresc.*, ut tantam vocem habeant Dignitates, & Canonici simul, quantam ipsi Portionarii, juxta firmata *in decis.* 770. *n.*1., *& seq. par.*1. *divers.* præsertim ad evitandum absurdum exsurgens ex præponderantia numeri Canonicorum, ut innuit *Rota in Tarentina juris votandi* 20. *Aprilis* 1733. §. *Et sane coram Gamaches*; Canonici autèm reponunt, in actibus Capitularibus Suffragia esse computanda singillatim, ad terminos *Textus in Cap. quia propterde elect.*, *ibique glos. verb. singillatim.*, *&* *Rota coram Caprar. dec.*704. *num.*2., *& seq.*, quia Collegium licet composi- tum ex Membris diversi Ordinis unam habet vocem computandam a majoritate suffragiorum *Rota coram Ansald. dec.* 476. *numer.* 8., *&* 9.

Quartum tandem controversiæ genus respicit administrationem rerum communium, cum prætendant Portionarii, Claves Capsæ Communis, & Archivii retinendas esse singulas a singulo Ordine Capitularium: ac irritas esse & attentatas conclusiones Capitulares de expensis huius litis a Communi massa detrahendis. Sed recedendum non esse a consueta observantia putant Canonici, quia Claves retinentur per deputatos, & Officiales a Capitulo quolibet anno indiscriminatim eligendos ex ordine

Canonicorum , & Portionariorum, consentanee ad definita per Sac. Congreg. in *Novar. præbeminentiarum die* 14. *Apr*. 1714. *a dub*.4. *lib*.64. *dec. fol*.133. ; Adstipulante presertim iuris dispositione adjudicante Capitulo Bonorum administrationem , ac tantum preservante Portionaris pro eorum interesse juspetendi redditionem rationis,de qua*Rota cor.Coccin.dec*.2059.*n*.18. *& seq*. ; Quo vero ad conclusiones de expensis extrahendis ex massa communi subditur,quod cum processerint ex pluralitate suffragiorum Capituli habiti cum interventu etiam Portionariorum , & lis respiciat commune bonum Ecclesiæ,& defensionem jurium Canonicorum,dubitari vix posse de illarũ efficacia itaut illarum intuitu nec etiam locus sit prætensæ purgationi attentatorum .

His autem perpensis definendum erit ab EE. VV.

I. *An constet de augumento reddituum Ecclesiæ , & respective de diminutione onerum ?* Et quatenus affirmative .

II. *An sit augendum servitium , itaut Dignitates , & Canonici teneantur servire in Divinis Officiis alternatim per Hebdomadam , & non amplius per tertiariam, & Portionarii continuo, & quotidie non autem per Hebdomadam , in casu &c.*

III. *An Dignitates , & Canonici, & respective Portionarii in loco, vel suburbiis residentes inservire possint per substitutum ejusdem Ordinis , saltem per decem dies infra annum , in casu &c.*

IV. *An Dignitati, & Canonico celebranti Missam solemnem in diebus Festis primæ,& secundę Classis teneantur Portionarii assistere in munere Diaconi , & Subdiaconi , in casu &c.*

V. *An in d. Missa solemni, necnon in primis , & secundis Vesperis, & & in Laudibus teneantur assistere sex Portionarii cum Pluvialibus in diebus Festis primæ Classis , & respective quatuor in diebus Festis secundæ Classis , in casu &c.*

VI. *An , & quot Portionarii cum Dignitate , vel Canonico Concentore assistere teneantur ad Legile in diebus tum Festivis , tum Feriatis , in casu &c.*

VII. *An Portionarius ultimus in Hebdomada teneatur aptare Libros in Legili ante recitationem Divinorum Officiorum , in casu &c.*

VIII. *An idem ultimus Portionarius teneatur assistere in munere simplicis Clerici in Missis Conventualibus , & votivis diebus Feriatis , non accedentibus Clericis extra gremium Capituli , in casu &c.*

IX. *An Canonici , seu potius Portionarii , in absentia aliquorum ex una parte Chori , teneantur ad eam transire pro adequando numero utriusque partis , in casu &c.*

X. *An & ad quem spectet recitatio Invitatorii , Antiphonarum , Responsoriorum , Lectionum primi, & secundi Nocturni, in casu &c.*

XI. *An ad Portionarium Hebdomadarium , seu potius ad Dignitatem,*

rem, vel ad Canonicum antiquiorem ejusdem Hebdomadæ spectet celebrare Missam solemnem, exponere Sanctissimum Sacramentum, & intonare Divina Officia in Octava SS. Corporis Christi, & in aliis diebus solemnioribus primæ, & secundæ Classis, in casu &c.

XII. *An Portionarii intervenientes cum Dignitatibus, & Canonicis, Concionibus, aliisque Functionibus cum habitu Chorali, teneantur assistere in Presbyterio in sedilibus distinctis ab illis Canonicorum, & quorum expensis sint illa conficienda, in casu &c.*

XIII. *An Portionarius canens Epistolam in Missis Conventualibus teneatur eam canere intra Chorum, seu potius in Plano Presbyterii, in casu &c.*

XIV. *An liceat Dignitatibus deferre Mozzettas violaceas, & Portionariis subobscuras, in casu &c.*

XV. *An & quomodo a Canonicis sit deferenda Almutia, in casu &c.*

XVI. *An & in quibus actibus Capitularibus competat Mansionariis jus ferendi suffragium in Capitulo cum Dignitatibus, & Canonicis?* & quatenus affirmative.

XVII. *An & quomodo sint computanda suffragia, in casu &c.*

XVIII. *An & a quibus retineri debeant Claves Capsæ Nummulariæ & Archivii Capitularis, in casu &c.*

XIX. *An Conclusiones Capitulares habitæ super expensis faciendis in præsenti lite substineantur, seu potius quisque teneatur de proprio, in casu &c.*

XX. *An constet de attentatis, itaut Canonici teneantur reportare in Massam communem ducatos 36., in casu &c.*

AQUILANA JURISDICTIONIS. Definitionem hujus Causæ, quæ proposita est in postrema Congregat. habita die 10 Maij, ad præsentem Congregationem distulerunt Emi Patres, juxta preces Abbatis S. Joannis de Luculo. Reassumpto itaque Folio dicta die distributo dignabuntur EE. VV. definire. *Sess. 21. cap. 9. de ref.*

I. *An, & ad quem spectet publicatio Jubilæi, & Indulgentiarum in Terra Luculi, in casu &c.*

II. *An subscriptio Edictorum, & quaruncumque scripturarum jurisdictionalium possit ab Abbate S. Joannis de Luculo expleti cum data --* Datum Aquilæ in Palatio Nostræ solitæ Residentiæ *-- in casu &c.*

CAPUTAQUEN. Expositum est factum hujus Causæ in Folio Congregationis habitæ die 19. Aprilis proxime præteriti in qua dilationem impetravit Bajulivus S. Euphemiæ Sacri Ordinis Hierosolymitani; Unde reassumpto Folio prædicto, erit ab EE. VV. definiendum. *Sess. 6. cap. 5. Sess. 7. cap. 8. Sess. 21. c. 8. & Ss. 23. c. 15. de ref.*

I. *An Episcopus Caputaquen exercere valeat omnimodam jurisdictionem Ordinariam in Locis Rhodij, & S. Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

An

II. *An Vicarij Curati pro Ecclesijs Parochialibus Raedij, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Æconomi Provisionalis ad dd. Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dd. Ecclesijs, quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodij, & S. Mauri privative spectet ad Episcopum Caputaquen, in casu &c.*

ALERIEN. LEGATORUM. In Congregatione habita die 12. Augusti 1758. proposita fuit hæc Causa sub tribus Dubiis -- I. *An legata Missarum tam adimpleta, quam adimplenda usque ad præsens sint ab Hæredibus solvenda?* II. *An Bona in dotem Cappellaniæ assignata, & ab Hæredibus alienata, sint ab eisdem reintegranda?* III. *An in posterum dd. Bona, Cappellaniæ ut supra in Dotem assignata, administranda sint per Syndicum, seu Procuratorem pro tempore Conventus, in casu &c.*; Et rescriptum fuit -- *Ad primum, & II. Affirmative: Ad III. Negative, & Episcopus provideat de idoneo Administratore, exclusis Hæredibus.*

Novam audientiam impetravit Simon Joannes Liccia Hæres Testatorum, & erecta ex Bonis Legatis Cappellania, Dubium proposuit in Congregatione habita die 24. Novembris proximi præteriti. *An sit standum, vel recedendum a Decisis die 12. Augusti 1758., seu potius sit locus approbationi Cappellaniæ interim erecta in casu &c.* --, cui Eminentissimi PP. responderunt -- *Dilata, & interim scribatur Episcopo juxta Mentem* --. Superventa Episcopi relatione, cujus speciem dedimus in folio distributo pro Congregatione habita die 8. martij proximi præteriti, quod dignabuntur EE. VV. rassumere iterum proposita est Causa, & prodiit rescriptum -- *Quoad I., & II. in Decisis: quo vero ad III. Episcopus curet, quod per Hæredes adimpleantur omnia onera ad formam Testamentorum.*

Editæ resolutioni non acquiescentes Partes nunc postulant ab EE. VV. definiri.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dei

Die Sabbathi 21. Junii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BALNEOREGIEN. DISPENSATIONIS. Joſeph de Gabriellis die 11. Junii 1693., prævio aſſenſu Ordinarii, Canonicatum de bonis ſibi a Magdalena Uxore donatis fundavit in Eccleſia S. Nicolai tunc Collegiata, nunc Cathedrali Civitatis Balneoregii, *cum omnibus honoribus, & oneribus, quibus fruuntur alii Canonici ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ, tamen non Parochi ipſius Eccleſiæ*, ut legitur in Inſtrumento fundationis: onere adjecto celebrandi tum Miſſam in meridie quolibet die Dominico pro anima Donatricis, tum alias Miſſas, ad quas alii Canonici dicti Collegiatæ Eccleſiæ tenebantur; Et juſpatronatus ejuſdem ſpectare voluit ad Simonem, & Canonicum Carolum Germanos Fratres Monaldi, eorumque deſcendentes, ſeu Hæredes, qui nunc ſunt Comitiſſa Diambra Pallanti ex Ludovica, & Novellus, ac Franciſcus Novelli ex Maria Angela Sororibus illorum Nepotes, *cum obligatione nominandi, eligendi, & præſentandi Deſcendentes quondam Coſmi, & quondam Catherinæ, & Dominicæ Filiæ Gabrielli de Gabriellis, dum ſint habiles*. Seſſ.23. cap. 6. & Seſſ.24.c.12. de Ref.

Poſt translatum dilapſæ Cathedralis Capitulum ad eandem Eccleſiam Collegiatam S. Nicolai, hujus Canonicatus erectionem ab Ordinario renovari curavit anno 1707. Claudius Danzetti ex præfata Catharina Sorore Fundatoris Nepos, & Hæres, aucta dote de bonis illius hæreditariis, & de aliis bonis Canonicatui donatis a Lelia Canicchia; Et in ſupradicta nova erectione Ordinarius *reſervavit inſuper d. Claudio Danzetti, & Angelo de Balleonibus, eorumque Succeſſoribus, & Hæredibus in infinitum juſpatronatus nominandi, & præſentandi Canonicum habilem, & idoneum*: nullo deſignato genere paſſive vocatorum.

Sed in vacatione poſtmodum ſequuta, cum a Balleonibus præſentatus fuiſſet Dominicus Monachia Fundatoris ex d. Coſmo Fratre Pronepos: ſimulque Bonaventura Lieni Pronepos quoque ejuſdem Fundatoris ex d. Dominica Sorore aliam obtinuiſſet præſentationem a Comitiſſa Pallanti, & aliis de Novellis, necnon a Joanne Nicolao Danzetti dicti Claudii Fratre Literaſque Apoſtolicas uterque expediviſſet pro præſentato cum derogatione medietatis vocum; Sacra Rota in judicio deſuper acto cenſuit exequendas eſſe Literas Bonaventuræ Lieni, qui juxta fundationem anni 1693. loco erectionis habendam, uti factam prævia licentia Ordinarii, nedum erat de genere paſſive

voca-

vocatorum ex prædilectis lineis Sororum Fundatoris, sed etiam nominatus; & præsentatus fuerat ab omnibus Patronis in eadem fundatione designatis, quique attenta nominatione Claudii Danzetti præsentatus insuper dici poterat a dimidia parte Patronorum constitutorum in nova erectione anni 1707., ut ex decisione edita in *Balneoregien. Canonicatus* 22. *Februarii* 1734. *cor: cl. me. Card. Corio*.

Bonaventuræ Lieni in Canonicatu successit Aloysius Monachia præfati Dominici ex Fratre Nepos, quo tandem defuncto die 7. præteriti Mensis Januarii, eadem die Comes Franciscus Maria Balschi, qua Filius & Curator d. Comitissæ Pallanti, nominavit Clericum Joannem Dominicum Vezzosi Puerum decennem supradicti Claudii Danzetti ex Fratre Pronepotem, eaque propter de linea Catharinæ de Gabriellis passive vocata in fundatione anni 1693.: sub conditione tamen -- *purchè sia reso dalla Santità di Nostro Signore Papa oggi regnante abile, e capace, attesa la mancanza sufficiente della di lui età, altrimenti ci reserviamo la facoltà nel dovuto termine di potere altri nominare*: sunt verba d. nominationis.

Dum Joannes Dominicus Vezzosi de impetranda dispensatione super ætatis defectu sollicitus erat, die 10. prædicti Mensis Januarii Episcopus Balneoregiensis prima Clericali Tonsura initiavit Nicolaum Monachia defuncti Canonici Aloysii Fratem annos natum viginti sex, qui literis in prima adolescentia incumbuit, jamque a pluribus annis artem Sutoris exercebat. Is itaque, & Clericus Ioannes Nicolaus Danzetti Dominici Vezzosi Patruelis annum agens decimumquintum, oppositores sese præbuerunt Clerico Vezzosi, cujus proinde supplicatio per Datariam remissa est ad hanc Sacram Congregationem.

Episcopus de more auditus retulit, Clericum Dominicum Vezzosi Puerum decennem, duobus abhinc annis jam elapsis moram trahere in Seminario Balneoregii, primis Grammaticæ regulis institui, esse bonis moribus præditum, & spem aliquam exhibere futuri progressus, sed Capitulum refragari illius dispensationi: Nicolaum Monachia, dimissa Sutoris arte post Canonicatus vacationem, studia Grammaticæ iterum assumpsisse in ætate vigintisex annorum completorum de mense Augusti, iisque assidue incumbere non sine aliqua spe futuri progressus sub Disciplina optimi Præceptoris in Civitate Montis Falisci, ejusque mores nedum laudabiles, verum exemplares videri: Clericum autem Nicolaum Danzetti usque modo post decimumquintum ætatis annum vix a limine primas Grammaticæ regulas salutasse Filium esse unicum Masculum sufficientibus facultatibus præditum, Juvenem fere insulsum, ac ociis assuetum, nec prebere futuri progressus indicium.

Causa nunc proponitur; & disputat Clericus Vezzosi, dispensationem super defectu ætatis ad assequendum Beneficium jurispatronatus Laicorum ex justa causa postulari a Clerico præsentato, qui est de genere vocatorum in fundatione, & a Sorore Fundatoris

toris descendit: ac facile in his terminis concedi a Dataria Apostolica, neque ab hac S. Cong. denegari, ut retribuatur Sanguini Fundatoris: ut constat frequentissimis exemplis, & testantur *Corrad. in prax. dispens. lib. 4. cap. 2. n. 8. & seq.*, *Vivian. de jurepatr. lib. 6. cap. 6. n. 9.*, *& Piton. discept. Eccles. 13. n. 42.*; Et irrationabilem esse oppositionem Capituli, sive ob dignitatem Cathedralis, de qua non desunt similia exempla dispensationum concessarum etiam Puero quinquenni, ut in *Monasterien. seu Osnabrugren. Canonicatuum 7. Aprilis & 21. Julii 1753. lib. 103. decr. p. 148.* & 294. & tradunt *Corrad. in prax. dis. lib. 4. cap. 2. n. 40.*, *& Piton. discept. Eccles. 99. n. 60. & seq.*: sive ob servitium Ecclesiæ debitum, cui remanet consultum per decretum in dispensatione apponi solitum, ut Provisus, cum primum pervenerit ad legitimam ætatem, Sacros Ordines Præbendæ adnexos suscipiat, & interim Ecclesiæ deserviat per substitutum, juxta formulam relatam a *Corrad. in prax. dispens. d. lib. 4. cap. 2. n. 30.*, *& 31.*, & rursus *n. 40. et 41.*, ubi loquitur in specie de dispensatione ætatis pro assequendo Canonicatu, vel Dignitate in Cathedrali.

Æque pariter irrelevantes esse autumat contradictiones Nicolai Monachia, & Joannis Nicolai Danzetti, qui sunt in pari gradu descendentes a lineis passive vocatis in fundatione. Nam disserit, quod licet dispensatio ætatis concedi non soleat in præjudicium juris tertio quæsiti; attamen præfatis Competitoribus nullum jus quæsitum videri possit, sive respectus habeatur ad tempus vacationis Canonicatus, sive ad tempus sequutæ præsentationis. Utroque enim tempore Joannes Nicolaus Danzetti decimum sextum annum vix attingebat, ideoque inhabilis erat ex defectu ætatis, quæ in Canonicatibus Cathedralis requiritur ad minus vigintiduorum annorum pro Subdiaconatu infra annum assequendo, nisi majores Ordines sint Præbendæ adnexi, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *in Sess. 24. cap. 12. de refor.*, & declarationem hujus Sacræ Congregationis *in Algarbien.* relatam per *Garz. de benef. par. 7. cap. 4. n. 29.*, *et* Barbos. *de offic. et potest. Episc. par. 3. alleg. 60 n. 70.*, *et de Canon. et Dignit. cap. 13. n. 9. et* 10; Et Nicolaus Monachia Laicus erat: destitutus necessaria scientia, pro qua asse quenda nunquam Sac. Cong. consuevit post ętatem annorum viginti quinque dispensare a residentia: vilem Sutoris artem exercens, quam dimisit post Canonicatus vacationem, suscepta Clericali Tonsura triduo post sequutam præsentationem Oratoris: quamobrem ejus inhabilitas vel ex solo defectu Clericatus minor non debet reputar, quam altera ex defectu ætatis, quia Laicus omnino incapax est Beneficio Ecclesiastico quamvis sit jurepatronatus. ad tradita per *Corrad. prax. ben. lib. 1. cap. 5. n. 109. et Rota cor. Burat. dec. 21. n. 17. et seq.*

Si ergo verba fundationis -- *dum sint habiles* -- referantur ad tempus vacationis, omnes æqualiter tamquam incapaces ex defectu ætatis, vel Clericatus exclusi videntur, nullumque habent jus quæsitum, quod solum quæsitum dicitur illi, qui unice est capax,

 & habi-

& habilis tempore vacationis, juxta casus definitos ab hac Sacra Congregatione *in Cremonen. Capellaniæ* S. *Julii*, *et* 9. *Septembris* 1702. *lib*:52. *decr.pag*.266. *et* 344.; *et in Novarien. Dispensationis* 13. *Augusti* 1707. *lib*.57. *decr.pag*. 311. *et* 312., & explicat, *Piton. de contr. Patron. alleg*. 85. *n*.12. *et discept. Eccl*.13. *n*.39. Sin autem eadem verba referantur ad tempus præsentationis, vel institutionis: nulli pariter jus quæsitum videri potest; quia liberum est Patroni intra quadrimestre eligere, quem maluerit de genere vocatorum, qui intra idem tempus vel sit, vel fiat habilis sive naturaliter, sive per dispensationem, ut communiter docent *Card. de Luca de jurepatr. disc*. 70. *n*.16. *et* 17. *Piton. discept*. *Eccl*. 13. *n*.40. *et seq*., & concordat *Rot. in Tusculana Canonicatus* 29. *Maii* 1756. §. 6. *ad* 8. *cor. Illustrissimo D. Stadion. et in Mediolanen. Beneficii* 6. *Junii* 1757. §. 8. *cor. R. P. D. Paracciano*.

Deficiente autem jure quæsito in Competitoribus, defendit Orator denegari non posse dispensationem illorum intuitu, etiamsi sint in majori ætate; quia nemo est directe vocatus a Fundatore, sed pendet Concurrentium electio a nominatione Patroni, qui postposito habili, & capaci, potest præsentare inhabilem sub conditione obtinendi Clericatum, vel dispensationem, ut firmant *Card. de Luc. de jurepatr. disc*: 45. *n*.7., *Piton. de contr. Patron. alleg*.2. *n*.15. *et* 23. *et d, discept. Eccles*. 13. *n*.40. Et quemadmodum Monachia sibi licitum putavit Clericatum suscipere post vacationem Canonicatus, ita impedire non debet dispensationem ætatis post vacationem ab Oratore petitam, ut apposite animadvertit *Card. de Luca dict. discurs*. 70. *n*.18. *de jurepatronat*. cum parem habeat efficaciam habilitas superventa naturaliter, ac per dispensationem, ex firmatis per *Piton. de contr. Patr. alleg*. 100. *num*. 39.

E conspectu igitur præfatæ contradictionis Capituli defectum servitii Ecclesiæ proclamantis, & legitimæ ætatis Nicolai Monachia de pari genere vocatorum, ac plurimum quoad mores ab Episcopo commendati pertinet ad EE. VV. ex supra relatis judicium ferre super postulata ab oratore ætatis dispensatione, & definire.

An sit relaxanda suplicatio in casu etc.

Affirmativè.

Sess 21. *cap*.9. *de Ref*.

AQUILANA JURISDICTIONIS. Data est species hujus Causæ in Folio Congregationis habitæ die 10. Maii præteriti; sed nulla prodiit resolutio ob dilationem indultam Abbati S. Joannis de Luculo, ut suas pararet defensiones. Exhibet nunc Abbas suum Libellum, quo disputat, sibi non competere simplicem exemptionem passivam, aut exercitium dumtaxat jurisdictionis activæ in Clerum, & Populum Abbatiæ subjectum, ut communne est Prælatis primæ, vel secundæ Classis; sed Abbatiam, quam ipse possidet, Territorium habere omnino separatum a Diœcesi

Aqui-

Aquilana, itaut tamquam Abbas vere *Nullius* connumerandus sit inter Prælatos tertiæ speciei, qui in suo Territorio sunt veri Ordinarii, juxta communem distinctionem Prælatorum inferiorum, de qua late *Card. Petra in Comm. ad Constit.*4. *Calisti* III. *sect.*1. *num.*6. *& seq. tom.*5. *pag.*91.; Et propterea ad ipsum, tamquam ad verum Ordinarium, spectare publicationem Indulgentiarum, licet vetita sit Prælatis primæ, & secundæ speciei, ut ex mente Sacri Concilii Tridentini *sess.*21. *cap.*9. *de reform.* explicat *Card. Petra ad d.Const.*4. *Calisti* III. *sect.*2. *num.*96. *ad* 98. *pag.*125. *tom.*5.

Ad probandum autem Territorium separatum utitur pluribus argumentis desumptis vel a Concordia cum Episcopo Aquilano inita anno 1623., & a Brevi confirmatorio san. me. Urbani VIII. edito anno 1625., vel a subsequuta observantia. In Concordia siquidem, & in Brevi confirmatorio conceditur Abbati nedum exemptio a jurisdictione Episcopi Aquilani, cum immediata subjectione Sedi Apostolicæ, sed etiam facultas, ut possit in suis Ecclesiis, & Locis uti Pontificalibus, & Benedictionem solemnem suis subditis impertiri, Tribunal erigere in suo Territorio, & causas omnes suorum subditorum, etiam Criminales, Matrimoniales, & Spirituales privative quoad Episcopum cognoscere, Confessarios in suis Ecclesiis approbare, Beneficia conferre, & generaliter *cætera omnia, quæ Abbatibus plene exemptis, & omnimodam quasi Episcopalem jurisdictionem privative quoad Episcopum exercentibus, gerere, facere, & exercere, tam de jure antiquo, quam novo, vel consuetudine in eorum Territorio permittuntur, & indulgentur*; ex his inferendo ad Territorium separatum, cujus validum præbet argumentum tum universalis jurisdictio, ad tradita per *Fagnan. in cap. significasti sub num.*17. *de offic. Archidiac.*, *& Rota decis.*2. *num.*11. *de offic. Ordin. cor. Falcon.*, tum facultas approbandi Confessarios, quæ Prælatis inferioribus nullo modo competit sine Territorio separato, quia respicit curam animarum, in qua proprie consistit jurisdictio Episcopalis, ut firmant *Piton. discept. Eccles.*124. *num.*14., *& Rota decis.*65. *num.*1. *post Tamburrin. de jur. Abbat. tom.*3., *& decis.*546. *n.*18. *cor. Ansald.*, *& in Nolana Beneficiorum* 25. *Junii* 1759. §.10. *cor. R.P.D. Paracciano*.

Observantia vero nedum favet quoad exercitium omnimodæ jurisdictionis quasi Episcopalis, de quo testantur Cancellarius Abbatialis, & Magistratus Civitatis, & alii ejusdem Ordinis Abbates, qui sunt in Diœcesi Aquilana: sed etiam quoad nuncupationem *Nullius*, quæ post annum 1660. ter legitur in parvis Regestris Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, semel in Regestis Sacræ Congregationis Rituum, & ter quoque in parvis Regestris hujus Sacræ Congregationis, atque pluries in Libris Nunciaturæ Apostolicæ Neapolis: & hanc nuncupationem supponere Territorium separatum tradunt *Fagnan. in d. cap. significasti sub num.*17. *de offic. Archidian.*, *Passarin. in cap. nullus n.*151. *de tempor. ordinat.*, *& Rota decis.*69. *num.*16. *par.*19. *recent.*, *& decis.*10. *num.*3. *de offic. Ordin. coram Falconerio*.

Additur, quod tamquam in Territorio separato Nuntiatura Apostolica Neapolis ab anno 1685. retinet in Abbatia Luculensi distinctum Subcollectorem spoliorum: & ab anno 1713. mittere consuevit ad illius Abbatem Literas Apostolicas, & Mandata Ordinariis Locorum directa, etiam pro Indulgentiarum publicatione. Unde infertur, quod licet Abbatia, ejusque Territorium sint in Diœcesi Aquilana, & ab illa materialiter non separentur, attamen non deficiat separatio Territorii formalis, & secundum quid, quæ eosdem producit effectus, ut explicat *Card. de Luca de jurisdict. discurs.* 18. *n.*3.

His tamen non obstantibus, defendit Curia Episcopalis, Ecclesiam, & Abbatiam S. Joannis de Luculo nedum esse in Diœcesi Aquilana, sed cautum fuisse in suprad. Brevi, quod *sint, & esse Aquilanæ Diœcesis intelligantur*; Et Episcopo reservatam fuisse visitationem Abbatiæ jure delegato, *juxta Constitutionem Sacri Concilii Tridentini cap.*8. *sess.*7. *de refor.*, quo loco Prælati solum Diœcesani primæ, & secundæ speciei comprehenduntur, non autem Prælati vere *Nullius* Territorium separatum habentes, quorum respectu visitatio committitur Episcopo Viciniori per aliam Concilii sanctionem *in cap.*9. *sess.*24. *de reform.*, ut explicat *Card. Petra ad d. Const.*4. *Calisti* III. *sect.*1. *n.*21. *&* 22. *tom.*5. *pag.*94.; Atque insuper Episcopi jurisdictionem declarari in eodem Brevi, ut possit in Locis Abbatiæ Chrismatis Sacramentum administrare; Literas Monitoriales pro rebus deperditis decernere: Ordines conferre; Literas dimissoriales concedere: Concursus ad Parochiales indicere; Abbatem ad Synodum vocare; in casu contraventionis illi mulctam imponere: Casus sibi reservare; antepulsationem Campanarum Sabbatho Majoris Hebdomadæ prohibere: Ecclesiam Abbatialem ingredi in generalibus Processionibus; in ea Divinis Officiis assistere sub Umbella, seu Baldacchino in Festo S. Titularis: & generaliter in Abbatia, & Populo illi subjecto ea omnia exercere, quæ Jure antiquo, vel novo Episcopis licent *in suis Diœcesibus* privative quoad exemptos habentes omnimodam quasi Episcopalem Jurisdictionem,

Ideoque subjungit Curia Episcopalis, omnia corruere argumenta contra expressam legem Brevis Pontificii declarantis qualitatem Diœcesanam dictæ Abbatiæ; & facultates Abbati tributas, etiamsi convenirent solis Prælatis *Nullius*: immo ipsam nuncupationem *Nullius* cæteroquin abusive, & recenter inductam, & rarissime usurpatam: optime congruere Prælatis exemptis secundæ speciei, vigore privilegii, vel consuetudinis, quin inducant veram qualitatem *Nullius*, nisi jungantur cum verificatione Territorii separati, & avulsi a quacumque Diœcesi, ut diserte probat *Card. Petra ad d. Const.*4. *Calisti III. sect.*1. *n.*12. *ad fin. t.*5. *pag.*92., ubi *n.*14. expresse numerat inter Prælatos secundæ Classis ipsum Abbatem Luculi. Et quemadmodum Prælatis Exemptis secundæ speciei nulla competit facultas publicandi Indulgentias; ita concludit, nihil prodesse consuetudinem ab anno

no 1713. inceptam, quia reprobatam esse per Concilium uti irrationabilem tradit per *Card. Petra ad d. Constit.4. Calisti III. sect.2. n.96. ad 98. tom.5. pag.125.*

De subscriptione edictorum insinuat Abbas, dudum fuisse in Civitate Aquilæ Palatium Abbatiale temporis injuria collapsum: & actus voluntariæ Jurisdictionis exerceri posse etiam in alieno Territorio; sed excipitur contra, in Brevi solum permissum fuisse Abbati *Tribunal erigere in suo Territorio*, proindeque Residentiam Jurisdictionalem ab eo asserendam non esse extra Territorium in Palatio suæ habitationis existente in parte Civitatis unice subjecta Jurisdictioni Episcopi.

Decernendum nunc est ab EE. VV.

I. *An, et ad quem spectet publicatio Jubilæi, et Indulgentiarum in Terra Luculi, in casu etc.*

II. *An subscriptio Edictorum, et quarumcumque scripturarum jurisdictionalium possit ab Abbate S. Joannis de Luculo expleri cum data --.* Datum Aquilæ ex Palatio nostræ Residentiæ -- *in casu etc.*

Ad I. Spectare ad Episcopum. Ad II. Negativè, & esse apponendam Datam ex Abbatia S. Joannis Civitatis Aquilæ.

ALERIEN. LEGATORUM. In Congregatione habita die 12. Augusti 1758. proposita fuit hæc Causa sub tribus Dubiis -- *I. An Legata Missarum tam adimpleta, quam adimplenda usque ad præsens sint ab Hæredibus solvenda? II. An Bona in dotem Cappellaniæ assignata, & ab Hæredibus alienata, sint ab eisdem reintegranda? III. An impojterum dicta Bona, Cappellaniæ ut supra in Dotem assignata, administranda sint per Syndicum, seu Procuratorem Conventus, in casu &c.* Et rescriptum fuit -- *Ad I. & II. Affirmative. Ad III. Negative, & Episcopus provideat de idoneo Administratore exclusis Hæredibus.* *Sess.22. cap.8. de Ref.& S.25. cap.3. de reg.*

Novam audientiam impetravit Simon Joannes Liccia Hæres Testatorum, & fundata de Bonis Legatis Cappellania manuali trium Missarum in Hebdomada celebrandarum in Altari per Testatores designato, cum onere adimplendi reliqua in Testatorum elogiis præscripta, & de adimplemento rationem reddendi Ordinario, Parocho, & ipsi Patrono ad singulorum requisitionem, Dubium proposuit in Congregatione habita die 24 Novembris superioris anni: *An sit standum, vel recedendum a decisis die 12. Augusti 1758., seu potius sit locus approbationi Cappellaniæ interim erectæ, in casu &c.* -- cui Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata, & interim scribatur Episcopo juxta Mentem.* Superventa Episcopi relatione, qua testabatur, nec exequutum fuisse rescriptum diei 12. Augusti 1758., nec aliquid opponendum videri contra erectionem Cappellaniæ, iterum proposita est Causa in Congregatione habita die 8. Martii præteriti, &

pro-

prodiit rescriptum *Quoad I. & II. in decisis : quo vero ad III. Episcopus curet , quod per Hæredes adimpleantur omnia onera ad formam Testamentorum .*

Editæ resolutioni non acquiescentes Partes, novam audientiam rursus postularunt, & descripta fuit Causa in Folio postremæ Congr. habitæ die 7. hujus mensis ; Sed tunc minime proposita, denuo subiicitur Sapientissimo EE. VV. Judicio. Et disputat Syndicus Cappuccinorum, persistendum quidem esse in Decisis quoad I.& II.Dubium, sed quoad III. Dubium confirmandam esse resolutionem editam die 12. Augusti 1758., ut Episcopus provideat de idoneo Administratore, exclusis Hæredibus; quia constat de illorum negligenti ommissione Missarum 1416., pro quibus compositionem obtinuerunt a Rev. Fabrica Sancti Petri anno 1745.

Contra vero Simon Joannes Liccia contendit, tria Prædia, quæ Reparata Fondacci reliquit Cappellæ S. Jacobi, Syndicum Cappuccinorum jugiter possedisse post Testatricis obitum, ut innuit etiam Episcopus in binis relationibus ad Sacram Congregationem transmissis die 20. Junii 1756., & 2. Januarii 1757. ; Unde pro Missis ex illorum fructibus adimpletis, vel adimplendis, condemnari ipsum nequivisse ad præstandam eleemosynam, ut factum est per affirmativam responsionem ad I. Dubium, sed potius cogendum esse Syndicū rationem reddere de fructibus perceptis. Quoad legatum vero censuum librarum mille relictum ab Andrea Fondacci, fatetur se debitorem esse pro fructibus decursis post compositionem anni 1745. in summa librarum quingentarum, quas in Instrumento fundationis Cappellaniæ solvere promisit futuro Cappellano, ut erectionis, & litis expensas subire valeat, ommissaque sacrificia celebrare ; At negat, eosdem fructus solvendos esse Patribus Cappuccinis, qui non docent Missas celebrasse, quique pro Missis celebrandis actionem non habent sistendi in Judicio, etiam per interpositam Personam Syndici, ex deductis per *Rotam in decis.* 1219. *& decis.* 1326. *n.* 11. *cor. Emerix jun. tom.* 3.

Et quoad demandatam reintegrationem bonorum alienatorum non inficiatur, alterum ex tribus Prædiis a Reparata relictis in vocabulo *Bartolacci*, cujus valor centum quinquaginta scuta circiter attingebat, fideicommissi jure dudum evictum fuisse, illique subrogatum aliud Prædium valoris circiter scutorum viginti : itaut deficiant sc. 130., si ad justam quantitatem suppleri debeat evictio, quam integre præstandam esse in legatis piis onus Missarum adnexum habentibus firmant *Gratian. discept. forens. cap.* 955. *n.* 34., *& Mangil. de evit. quæst.* 64. *num.* 3. ; sed putat, minime deberi evictionem inspecto tenore Testamenti, in quo Reparata Hæredem instituit in his Prædiis Cappellam ipsam S.Jacobi per hæc verba -- *quale Cappella essa Testatrice l' investisce per suo vero Erede universale sopra , e nelli Beni proprj di essa , che qui sotto saranno specificati* -- quibus verbis innuisse videtur, Prædia relicta fuisse Cappellæ cum suis oneribus, & eo modo, quo ad Testatricem spectabant, juxta naturam tituli hæredi-

reditarii, qui transfert in Hæredem omnia *jura* activa, & passiva.

Addit insuper, alias libras centum fuisse legatas a Reparata Fondacci, ut ex redditibus tot Missæ celebrarentur in eodem Altari S. Jacobi in suffragium Animæ quondam Florisdelpinæ, cujus ipsa Hæres fuerat; sed arbitratur, hoc legatum hæreditati correspectivum fuisse, & proinde amplius non deberi, postquam ex titulo præexistentis Fideicommissi sequuta est evictio bonorum hæreditariorum, de quibus superfuit unice Prædiolum ut supra subrogatum loco Prædii *Bartolacci*. Et legatum Andreæ Fondacci, qui eidem Cappellæ S. Jacobi reliquit libras mille in Capitalibus censuum, licet præstari non potuerit in Censibus hæreditariis, impletum fuisse censet per submissionem omnium bonorum Legantis, quam decrevit Ordinarius anno 1739., ut essent obnoxia solutioni fructuum summæ legatæ, & quidem ad exorbitantem rationem decem pro centenario. Unde infert, nihil esse, quod reintegrari debeat, ut definitum fuerat in II. Dubio.

Quoad III. Dubium vero defendit, erectionem Cappellaniæ insinuari ex ipso rescripto diei 12. Augusti 1758., quo Eminentissimi Patres ob incapacitatem Cappuccinorum, & Syndici demandarunt, ut *Episcopus provideat de idoneo Administratore exclusis Hæredibus*. Si enim Episcopus providere debet de idoneo Administratore, consentaneum videtur editæ resolutioni, ut administratio de consensu Episcopi concedatur eidem Sacerdoti, qui Missas celebraturus est. Nec videtur Testatorum voluntati repugnare, si Bona, quæ Testatores administranda reliquerunt Syndico Cappuccinorum, ut Cappuccini Missas celebrarent, nunc assignentur in dotem Cappellaniæ manualis, quæ præsefert tantummodo subrogationem Sacerdotis Secularis loco Syndici in administratione, & loco Cappuccinorum in celebratione Missarum, prout in casu incapacitatis Regularium faciendum esse monet *Rota in d. decis.* 1326. *n.* 14. *cor. Emerix junior.*, & consonat resolutio hujus Sacræ Congregationis in *Valven.*, *seu Aquilana die* 5. *Maii* 1731., quod Hæreditas relicta Altari in Ecclesia Patrum de Observantia, ob eorum incapacitatem, convertenda esset in erectionem Cappellaniæ pro Secularibus arbitrio Episcopi, cum reservatione jurispatronatus Exequutoribus Testamentariis, ut in *lib.* 81. *decret. pag.* 214.

Neque autumat improbandam esse Cappellaniæ erectionem, vel intuitu alterius legati librarum 800. relicti a Martha Fondacci, & doti ejusdem Cappellaniæ adjuncti: vel ratione aliorum onerum a Testatoribus injunctorum. Legatum porro Marthæ Fondacci simile esse narrat illis relictis a Reparata, & Andrea, nempe favore Cappellæ S. Jacobi, cum onere Missarum; quamobrem æquali ratione consignari posse Cappellano subrogando loco Syndici, & Cappuccinorum incapacium. Onera vero inquit præscripta fuisse in Instrumento fundationis Cappellaniæ, ut adimpleantur exactissime ad formam Testamentorum, excepto nume-

numero Missarum, quem determinare sibi licitum putavit vigore Codicilli Reparatæ, quæ -- *in caso, che li RR. PP. Cappuccini del suddetto Convento fossero incapaci &c. nel caso suddetto vuole &c., che il suddetto Andrea Fondacci suo Marito, ed Erede, chi sarà per esso disponga, ed elegga, e nomini quel Sacerdote, che li parerà, e piacerà per la celebrazione delle Messe di detto juspatronato in suffragio di essa Testatrice alla detta Cappella; dandogli autorità, e facoltà di poter tassare, e deliberare il numero di dette Messe da celebrarsi, come se fosse viva detta Testatrice*. Et in omnem casum perpendi potest, num expediat relative tantum ad Missas juxta quantitatem redditum præscriptas ab Andrea Fondacci, aliasque similes, denegari Hæredi facultatem taxandi certam quantitatem, ac injungi celebrationem respondentem redditibus eorumdem legatorum, permanendo quoad istas dumtaxat in ultimo loco decisis, non autem quoad alias celebrandas ex supra relato codicillo Reparatæ Fondacci.

His autem perpensis, spectat ad EE. VV. definire.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

Ad I. & II. In decisis. Ad III. In ultimo loco decisis ad formam Testamentorum, & Codicilli Reparatæ.

Sess. 22 cap. 6. de Ref.

BONONIEN. ASSIGNAMENTI. Flavia Bertolelli Vidua Comitis Josephi de Bentivolis in Testamento, quod condidit anno 1734., nonnulla scripsit legata unicæ præstationis, aliaque plura vitalitia ascendentia ad annuas libras 1106., præter aliquas mensuras tritici, uvæ, & Sarmentorum; ac in illis memor fuit præsertim descendentium a Margarita Bartolelli Sorore sua olim Uxore Ludovici Parti, cujus Filiabus reliquit, nempe Annæ nuptæ Benardino Braccioli libras bis mille; & Fortunatæ, ac Aloysiæ Tertiariis in Monasterio Sanctæ Mariæ Charitatis annuas libras quinquaginta pro qualibet: aliasque libras 2200. legavit Franciscæ illius ex prædefuncto Josepho Filio Nepti, cum aliis libris triginta annuis, ultra expensas professionis emittendæ in Monasterio S. Francisci de Paula, in quo Francisca tunc explebat annum probationis.

Hæredes autem fiduciarios nominavit Præpositum, aliosque Præsbyteros Congregationis Oratorii Bononiæ, quibus præcepit, ut venderent omnia hæreditatis Mobilia pro dimittendis legatis, utque residuum pretii, & valorem fructuum hæreditariorum, deductis legatis vitalitiis, & expensis, conservarent usque ad obitum ultimi Legatarii; quo tandem sequuto, jussit consignari Administratoribus Hospitalis Infirmorum S. Mariæ Mortis Bononiæ duo Prædia, & domum existen. in Communi *Vedrana*: reliqua vero Bona hæreditaria, & cumulum Pecuniarum efformatum ut supra ex annuis redditibus, tradi voluit Presbyteris Congregationis Missionis Forolivii, postquam, intra quinquennium

com-

computandum a die ſequutæ conſignationis legati Prædiorum favore d. Hoſpitalis, Domum Miſſionis, vel Hoſpitium aperuiſſent Bononiæ, aut in ejus Territorio, cum onere peragendi Miſſiones ad omnem requiſitionem Eminentiſſimi Archiepiſcopi; alioquin elapſo quinquennio, *ed eſſi non avendo aperta Caſa come ſopra, in tali caſi, e non prima, ne in altro modo*, ſubjungit, *voglio che li miei Eredi fiduciarii ſudetti conſegnino, e diano tutto il denaro cumulato come ſopra, come pure gli altri Beni ſtabili, Cenſi, e Crediti alli Governatori dell' Opera pia de Mendicanti, acciò ne diſtribuiſcano le rendite annue alle povere Donne, che pernottavano per la Città* --

Teſtatricis juſſa exequuti ſunt Hæredes fiduciarii; & dimiſſis cæteris legatis, ſolum remanent ſolvenda legata vitalitia pro annua ſumma librarum ſexcentum, cum nonnullis menſuris tritici, uvæ, & Sarmentorum ut ſupra; ſed nondum Presbyteri Congregationis Miſſionis Domum, vel Hoſpitium Bononiæ aperuerunt. In hoc rerum ſtatu, Roſa Chriſtina Stampini Vidua relicta præfati Joſephi Parti piæ Teſtatricis Nepotis, & Mater ſupradictæ Franciſcæ profeſſæ in Monaſterio S.Franciſci de Paula, cum eſſet ſenio confecta annum agens ſeptuageſimumſextum, &, valetudinis affectionibus obnoxia, Fortunæ bonis, Conjunctorumque ſubventionibus deſtituta, ſummam pateretur inopiam; ſupplices porrexit preces SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat, ut ex fructibus hujus hæreditatis vitalitia legata excedentibus annuum ſibi conſtitueretur aſſignamentum librarum biſcentum adæquantium ſc.40, monetæ Romanæ pro alimentis, ne fame periret, vel in dedecus Familiæ mendicare cogeretur.

Et remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Eminentiſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus, qui honeſtatem, & paupertatem Oratricis comprobans, ejus votis indulgeri poſſe reſcripſit, ea potiſſimum de cauſa, ut pergit in ſua relatione, *quod admodum incertum eſt, quod Domus, ſeu Hoſpitium Miſſionis in hac Civitate, vel Territorio erigatur, cum probabilius ſit, quod Senatus Civitatis pro introductione novæ Religionis in hunc ſtatum ſit diſſenſurus*. Sed in Congregatione habita die 12. Januarii præteriti inſtantia Oratricis relata per ſummaria precum fuit rejecta.

Sperans nihilominus Oratrix meliorem ſortem ſibi obventuram ex formali diſcuſſione cauſæ, dubium ſubſcribi curavit, quod nunc proponitur; & diſputat, juſtam non deeſſe cauſam commutandi voluntatem Teſtatricis, ut ex fructibus ad pios uſus deſtinatis annuum ſibi conſtituatur aſſignamentum pro alimentis in petita ſumma librarum biſcentum. Ad hunc effectum ſuam adducit extremam inopiam, & attinentiam, qua jungebatur cum Teſtatrice in ſecundo Affinitatis gradu tamquam uxor illius Nepotis, quod licet non ſufficiat ad petendum alimenta ex juſtitia, plurimum tamen confert, ut illa decernantur ex æquitate ſuper fructibus hæreditatis ad pios uſus relictæ, ut in terminis non omnino cæteroquin uniſonis favore pauperis Conſanguineę aliàs reſcripſit hæc

Sacra Congregatio in *Romana commutationis voluntatis* 12.*Februarii* 1735. *lib.*85. *decret. pag.*55. *terg.*

Defendit quoque, gratiam nemini esse præjudicialem; Non Presbyteris Missionis, qui non habent jus quæsitum, sed eventuale, & incertum pendens a futura conditione forsan non purificanda, juxta sensum Eminentissimi Archiepiscopi; Non etiam Hospitali Pauperum substituto, quia ex voluntate Testatricis tenetur eosdem fructus erogare in subventionem pauperum Mulierum Bononiæ commorantium, quas inter prælationem sibi debitam contendit, ob attinentiam, quam habuit cum Testatrice, & ob præsumptam voluntatem ejusdem, quæ plura legata reliquit Familiæ viri Oratricis, ad tradita per *Rotam dec.*98. *n.*3. *& seq. cor. Durano.*

Excipiunt contra Presbyteri Cong. Missionis, Testatorum voluntatem non esse facile commutandam, etiam favore pauperum Consanguineorum, quibus Sacra hæc Congregatio aliàs denegavit applicationem reddituum Cappellaniarum petitam pro alimentis *in Romana commutationis voluntatis* 1. *Julii* 1741. *lib.* 91. *decret. pag.*459.; Nullam adesse præsumptam Testatricis voluntatem, potiusque contrariæ voluntatis inditium esse præteritionem Oratricis in tot legatis singulis de Familia relictis, Oratrice contempta fortasse ob imparem ejus conditionem, ejusque transitum ad secunda vota, prout obicitur sine legalibus cæteroquin documentis; Affinitatem autem nullam parere actionem pro alimentis contra hæreditatem Amitæ, neque dandam esse ex æquitate, ne hujusmodi exemplo excitentur alii ad depauperandam hæreditatem, juxta firmata per *Rotam in dec.* 898. *n.*12, *cor. Emerix jun.*, *& in Romana seu Januen. Legati* 5. *Maii* 1698. §. *Nec magis cor. cl. me. Card. de la Tremoille*; Et sine legitima causa concluditur præjudicandum non esse juri quæsito Personis contemplatis in Testamento,

His stantibus definiendum est ab EE. VV.

An sit locus menstruo assignamento favore Rosæ Cristinæ Stampini ex annuis redditibus Hæreditariis bo. me Comitissæ Flaviæ Bertolelli, & in qua summa, in casu &c.

Affirmativè pro summa scutorum 40. pro quolibet anno.

DEscriptæ fuerunt duæ, quæ sequuntur, Causæ in Folio postremæ Congregationis habitæ die 7. labentis mensis; sed ob alia plura negocia discussa defuit tempus illas proponendi. Supplicamus itaque EE. VV., ut reassumpto dicto Folio dignentur ad illarum definitionem procedere,

Sess. 24. c. 12. de Reform. MELPHICTEN. INDULTI.

An, & quomodo sit concedendum indultum, de quo agitur, in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Episcopi.

NERI-

NERITONEN. PLURIUM. *Sess. 24. c. 12. & Sess. 25 c. 6. de Reform.*

Vid. Dub. XX. Fol. Congr. 7. Jun. pag. 104.

Dilata.

NOVARIEN. DIVISIONIS, SEU DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. Hujus Causæ speciem dedimus in Folio Congregationis habitæ die 19. Aprilis proxime præteriti; Sed precibus Parochi annuentes EE. VV. distulerunt illius resolutionem; Denuo nunc Causam proponi urgent Homines de Locarno, ut reassumpto prædicto Folio ab EE. VV. definiri valeat. *Sess. 21. cap. 4. de Ref.*

I. *An sit locus divisioni, & dismembrationi Ecclesiæ Parochialis S. Dionysii Locarni ab altera Paroni, in casu &c.* & quat. Affir.

II. *An decimæ, & obventiones, quæ solvuntur ab Hominibus Locarni, sint adjudicandæ novo Parocho Ecclesiæ Sancti Dionysii, in casu &c.*

Dilata.

BAREN. PRÆCEDENTIÆ. Speciem hujus Causæ dedimus in Folio Congregationis habitæ die 19. Aprilis currentis anni, & disputatis Dubiis -- I. *An sit locus arbitrio pro aperitione oris?* II. *An* Breve, *seu Indultum Apostolicum successionis Resignatarii in Stallum, Turnum, & Antianitatem Resignantis* *subjineatur?* III. *An & quæ Sedes, sive locus in Choro, Capitulo, cæterisque Functionibus* Capitularibus, *spectet ad Canonicum Lopez Resignatarium, in casu &c.*, Eminentissimi Patres rescripserunt -- *Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Spectare locum post Canonicos receptos de tempore captæ possessionis in qualitate Resignatarii.* Impetrata vero nova audientia per Canonicum Franciscum Lopez, iterum definiendum proponitur EE. VV. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

POSNANIEN. MATRIMONII. Marianna Malekouski nupta Theophilo Rozdrazeuski post novē susceptos liberos in duodecim fere annorum consuetudine, Viri Domum improvida levitate deservit, & tribus abductis filiabus, direptaque prætiosâ suppellectili, Matrimonii nullitatem proposuit coram Officiali Posnaniæ, quod in ætate impubera annorum decem, & mensium quinque ab initio contractum, successive non nisi in ętate annos undecim mensem unum cum dimidio non excedente solemni ritu iterato consensu coram Parocho revalidatum esset, quodque per vim, *Sess. 24. cap. 1. & 9. de Ref. Matr.*

& metum ab Avia illatum, cum Theophilo esset celebratum. In contumaciam Theophili, Judex sententiam tulit pro nullitate Matrimonii, quæ confirmata est in Curia Metropolitana Gnesnensi; Et non obstante appellatione ad Sanctam Sedem per Theophilum interposita, novum conjugium die 15. Februarii 1752. inivit Marianna cum Joanne Balekio.

Delata hujus Causæ cognitione ad hoc Sacrum Tribunal, plura edita sunt decreta, ut Marianna recederet a novo Conjuge, & Monasterium ingrederetur; sed renuit illa, & prius causata est, se utero gravem a Joanne: & Partum enixa, in eadem cohabitatione perseveravit, nec perterrita est novis mandatis, & comminatione censurarum. Causa denique proposita est in Cong. habita die 4. Maii 1754., accurate expositis omnibus illius circumstantiis in Folio tunc distributo; & Dubio, quod erat -- *An constet de nullitate Matrimonii* - rescripserunt Eminentissimi Patres - *Negative* -, ac in alia Congregatione habita die 24. sequentis mensis Augusti steterunt *in Decisis*, *& hujusmodi causam amplius non proponi mandarunt*. Judicio Sacræ Congregationis non acquievit Marianna,& decretum die 24. Septembris ejusdem anni impetravit a cl. mem. Card. Argenvilliers tunc Pro-Auditore Sanctissimi, quo remissa fuit causa ad eandem Sacram Congregationem, quæ procederet *cum voto Rotæ*, sub conditione tamen, quod Marianna doceret *infra tres Menses de recessu a Domo, & cohabitatione Joannis Beleki, & de sui collocatione in Monasterio, juxta ordines, & decreta Sacræ Congregationis Concilii, in quibus etiam providetur de Alimentis*. Post longas moras, tandem proposita est causa in Rota diei 2.Martii 1759. & disputato Dubio -- *An constet de nullitate Matrimonii* -- in strenuo Partium conflictu, prodiit rescriptum -- *Negative* -- ut pandit egregia Decisio Emi Dñi Card. Bussii tunc Sacræ Rotæ Decani, quæ circumfertur.

Urget itaque Theophilus, causam rursus definiri juxta votum Rotale, quod cohæret præcedentibus resolutionibus hujus S. Congr.; nec multis rationibus diffunditur, quippe quæ disertissime recensentur in prædicta Decisione Eminentissimi Domini Cardinalis Bussii. Simulque postulat separationem Thori, & collocationem Mariannæ in Monasterio Clausuram servante ad formam decreti editi die 16. Septemb. 1755., non obstante asserta Transactione vi, metuque inita anno 1756. Contendit porrò, indignam esse maritali consortio Mariannam, quæ non paucis annis notorie vixit in adulterio cum Joanne Beleki, ut sunt notissima jura *in cap. significasti* 4. *in cap. ex literis* 5. *de divort.*, cum aliis relatis per *Rotam in Cracovien. separationis Thori* 30. *Junii* 1749. §. 9. *coram Eminentissimo D. Card. Elephantutio*; nec adulterium excusari posse ob Matrimonium cum eod. Joanne attentatum post sententiam Curiæ Metropolitanæ super nullitate prioris conjugii celebrati cum Theophilo, tum quia exulat a novo Matrimonio bona fides tamquam inito pendente appellatione, tum insuper quia contumaci pertinacia renuit Marianna obtemperare decretis Sacræ Congregationis, & Adulteri cohabitationem deserere, etiam post definitionem causæ. Ad-

Addit quoque insidias, & calumnias a Marianna præparatas: quum anno 1754. ea instigante, vel consentiente, Adulteri Frater Armatorum cohortem duxerit in Villam Ptaszhoro, ut Theophilum ibidem commorantem interficeret; & quamquam Theophilus arrepta fuga necem evaserit, passus est tamen ingentem jacturam rerum direptarum ab Aggressoribus. Et ipsa Marianna in Judiciis Generalibus Tribunalis Regni eodem anno 1754. Theophilum accusavit de Adulterio, & propinato veneno, cujus accusationis falsitatem agnoscentes Judices Accusatricem damnarunt pæna relegationis, & emendationis damnorum. Hinc inimicitias exortas, & odia, defendit, ut fiat locus separationi Thori, ex adductis *per Rotam in Marjoricen. divortii* 13. *Januarii* 1749. §. 5. *coram Eminentissimo D. Card. Bussio*; & infidelem conjugem collocandam esse in aliquo ex Monasteriis Clausuram servantibus Civitatis Posnaniæ, ne plus debito libertati indulgeat in deductis familiæ, juxta firmata per *Rotam in d. Cracovien. separationis Thori super reservatis* 29. *Apr.* 1750. §. 2. *&* 7. *cor. Emo R. Card. Elephantutio*.

Nec fidendum esse contendit reconciliationi simulatæ in Transactione anni 1756.; immo certat de illius nullitate, ex quo fuerit per vim, & metum inita, & summopere læsiva, nec ad effectum perducta, itaut ea non obstante debeantur Mariannæ sola alimenta in quantitate taxata per decretum diei 16. Septembris 1755. nimirum in aureis Ungaricalibus octo pro quolibet trimestre, post ejusdem ingressum in Monasterium.

Quapropter definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis sub die* 4. *Maii &* 24. *Augusti* 1754., *in casu &c.* & quatenus affirmative quoad primam partem.

II. *An sit locus separationi Thori, itaut Marianna sit collocanda in aliquo Monasterio Civitatis Posnaniæ Clausuram servante, in casu &c.* & quatenus affirmative in omnibus.

III. *An servandum sit decretum R. P. D. Secretarii diei* 16. *Septembris* 1755. *quoad Alimenta; seu potius obstet transactio anni* 1756. *in casu &c.*

Ad I. In decisis. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam.

Die Sabbathi 12. Julii 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs.22.c.8 de Ref.

FAVENTINA PLURIUM. Congregatio Pii ſuffragii, quæ anno 1650. canonice erecta fuerat in Eccleſia Parochiali S. Blaſii Civitatis Faventiæ, Conſtitutiones edidit in ſuæ inſtitutionis primordiis, a cl. me. Cardinali Roſetto approbatas, quibus cautum eſt, ut Sodales utriuſque ſexus, qui tunc millenarium numerum excedebant, in actu receptionis, & deinde quolibet Menſe ſolverent bononenos decem, ſi ditiores eſſent, ſin autem pauperes, bononenos quinque, *acciò con tali Elemoſine poſſa continuarſi la celebrazione de Santi Sacrificii* in ſuffragium Animarum Purgantium; & hujus eleemoſynæ obligatio enixius injuncta fuit Quadraginta Confratribus ad Sodalitii Miniſterium electis, ut aliis eſſent in exemplum; *E perciò*, ſubditur, *eſſendo fondata la frequenza de ſacrificii di requie nell' Elemoſine Menſuali promeſſe come ſopra, ſi ſtatuiſce &c: che quelli, i quali ſono di detto numero di Quaranta, ſe per qualſivoglia cauſa, etiam incogitabile, laſceranno ſcorrere il tempo, e termine di un anno, ſenza pagare l' Elemoſina menſuale, con la quale ſi faranno fatti ſcrivere in detta Congregatione, s' intendano privi, e caſſi dal detto numero delli Quaranta, e che in luogo loro poſſano legitimamente eleggerſi altri.*

Alia duo, quæ ad hodiernam controverſiam pertinent, in eiſdem Conſtitutionibus præſcribuntur, quod nimirum deficiente aliquo de d. numero Quadraginta, alius in ejus locum ſubrogetur: *ma però, che ſia di quelli, che ſono già deſcritti nel Catalogo generale de Fratelli*; quodque nihil ſtatui, vel decerni poſſit contra prædictas Conſtitutiones, *ſe prima non ſarà ſtato riportato per reſcritto ſpeciale la derogazione da S. E. o ſuo Vicario Generale, l' arbitrio, e beneplacito de quali ſi abbia, e debba ſempre intenderſi d' aver per riſervato in qualſivoglia coſa, che ſia ne preſenti Capitoli, o che in qualunque modo aveſſe, o poteſſe avere riguardo, o pertinenza a detta Congregazione*; Et in caſu hujuſmodi reformationis faciendæ, cauſa non modo requiſita eſt, *quale ſia di preciſa neceſſità, o di raggionevole convenienza*, ſed etiam forma in ſcrutinio ſervanda, nimirum, *che ſia piena Congregazione di tutti li Quaranta Fratelli: e che il partito ſi debba ottenere per li due terzi de Voti, ed in altra maniera ſi abbia per non ottenuto.*

Pro-

Progressu autem temporis Societas acquisivit pingue Patrimonium reddens annua fere scuta bis mille, Confratruum Defunctorum, aliorumque piorum Hominum liberalitate congestum, cujus universi redditus, necessariis subductis expensis, in Sacrificiorum celebrationem ad Animarum Purgantium expiationem erogantur in Ecclesia propria, quam nunc habet Confraternitas. In ordinaria proinde Congregatione habita die 22. Junii 1714. cum interventu quindecim Confratruum statutum fuit, uno dumtaxat discrepante, ut in posterum quilibet de numero Quadraginta, quibus cura imminet aucti Patrimonii, a præstatione conventæ eleemosynæ immunis esset, *in riguardo della sua fatica*, & nihilominus consueto suffragio viginti Missarum frueretur. Et aliud decretum editum est a duodecim ejusdem Ordinis Confratribus die 12. Septem. 1756. congregatis, quod ipsis decedentibus, admitterentur deinceps secretis suffragiis ad defunctorum loca replenda proximi eorum usque ad secundum gradum, prælative etiam quoad omnes alios extraneos.

Utrumque decretum abrogavit Episcopus Faventinus in visitatione peracta de mense Decembris 1756., jussitque, ut Confratres consulerent suis animabus pro eleemosynis ommissis ab anno 1714. Et delatis Confratruum querelis ad hanc Sacram Congregationem, tum super præmissis, tum super libera facultate eligendi Cappellanos, & distribuendi Cappellanias Sacerdotibus sibi benevisis; Episcopus de more auditus retulit, decretorum nullitatem evidentem esse, quia derogant antiquis Constitutionibus, non servata illarum forma, cum in utroque deficiat nedum causa, sed etiam assensus Episcopi, & integer numerus Quadraginta Confratruum; de Cappellaniis vero subdit, *meos tantummodo Cappellanos, & Seminarii Ecclesiastici Præceptores, & Præfectos ex hujusmodi Cappellaniis providendos esse existimavi, quod ita a Prædecessoribus meis semper factitatum fuerit; Quod si a Confratribus non contendatur, juris mei, & æquitatis esse, in reliquis libera eos potiri administratione ne ipse quidem contendo.*

Sodales nunc disputant, perperam allegari nullitatem decreti anni 1714. ex defectu Causæ, postquam acquisitis per Confraternitatem pinguibus redditibus, auctus est administrationis labor, qui aliquam meretur retributionem, & cessavit ejusdem Confraternitatis indigentia, cujus respectu promissæ fuerant eleemosynæ, itaut non deficiat altera ex causis approbatis in Constitutionibus, nempe *di raggionevole convenienza*, cum deceat obligationem dissolvi, quando in rebus fit talis mutatio, quæ si adfuisset tempore promissionis, Promissor non se obligasset, ut innuit *Pasqualig. de Sacrific. Missæ quæst.* 870. *n.* 1. *& seq.* Minusque relevare contendunt deficientiam integri numeri quadraginta Confratruum, quia Constitutiones præscribentes omnium interventum, vel nullimode afficiunt, contra formam traditam in *cap.* 1. *de his quæ fiunt a majori parte*

Ca-

Capituli, vel æquipollenter adimpletæ fuerunt per tacitā omnium ratihabitionem desumptam ex 40. annorum observantia, juxta notata *per DD. in cap.2. de his quæ fiunt a Prælat.*, Et Episcopi assensum præsumendum esse defendunt post quadragenariam observantiam prædictam, ad tradita *per Gratian.discept.forens.cap.*433.*n.*54. *& seq.*, *& Rot. coram Crispo dec.*203. *n.*16. *tom.*1., *& in Sutrina immissionis* 26. *Junii* 1724. §.*quantum enim cor. cl. me. Card. Aldrovando*; præsertim, cum Antecessores Episcopi, qui crebro visitarunt Confraternitatem, ejusdem decreti notitiam probabiliter habuerint: nec expediat modernos Confratres sine hujus præstationis onere receptos, sub periculo dimissionis officii, hujusmodi onere prægravare.

Et quoad secundum decretum anni 1756. urgent Sodales, ipsis permittendam esse electionem exterorum pro implendo quadragenario numero, postpositis Confratribus inhabilibus, cum id suadeat necessitas; nā diminutio Confratrum antiquitus millenarium numerum excedentium, & hodie redactorum ad numer. 14. supra quadragenarium, sufficiens dicitur præstare motivum recedendi a lege data in Constitutionibus assumendi alios Confratres ad implendum dd. numerum quadragenarium, ex quo non est rationi repugnans, quod in tenui numero decem & septem Confratruum desint personæ habiles pro administratione bonorum Congregationis pii suffragii, licet istę nequaquam desiderari potuissent in antiquo majori Confratruum numero: neque hoc circa attendendas esse contradictiones Episcopi, si Sodales, quorum interest, non reclamant, quia illi possunt juri suo renunciare, ut notat *Passarin.de elect. c.*25 *n.*654. Quo vero ad Cappellanias, negant providendos esse Cappellanos Episcopi, vel Præceptores, & Præfectos Seminarii, quibus neque Constitutiones favent, neque observantia; sed liberam Cappellanorum electionem ipsis Sodalibus etiam ex mente piorum Benefactorum, qui bona Congregationi pii Suffragii reliquerunt, reservandam esse contendunt.

Unde pertinet ad EE. VV. decernere.

I. *An Confratres de numero quadraginta Congregationis Pii suffragii Civitatis Faventiæ compelli valeant ad celebrationem Missæ Mensilis nuncupatæ, seu potius sit servandum decretum anni* 1714. *ac observantia subsequuta super exemptione non celebrandi d. Missam in casu &c.*

II. *An iidem Confratres possint, & valeant dispensare, ac distribuere Missas, & Cappellanias Sacerdotibus sibi benevisis seu potius in dispensatione, ac distributione teneantur præferre Cappellanos Episcopi, & Præceptores, ac Præfectos Seminarii, in casu &c.*

III. *An liceat iisdem Confratribus de numero quadraginta in locum demortuorum, aut quomodolibet deficientium eligere, ac subrogare Personam extraneam, quatenus inter Confratres de Communi nullus habilis, & idoneus reperia-*

riatur, seu potius indistincte teneantur semper eligere, & subrogare Confratrem de communi, in casu &c.

Ad I. dubium iterum proponatur. Ad II. dubium Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam. Ad III. Licere tantum in casu, quod inter Confratres de communi nullus sit habilis, previa cognitione, & authoritate Episcopi.

COMPOSTELLANA. Balthaxar de Ulloa in Testamento, quod condidit anno 1695., præter alias Missas celebrandas in die sui obitus, mandavit -- *che si celebrino per l' anima mia, e di quelli Defonti, alli quali ho qualche obligazione, cinque mila Messe basse* -- constituta singularum eleemosyna ad rationem duorum regalium: Aliud scripsit legatum favore Conventus Patrum Prædicatorum, cum onere, *che si debba celebrare per me dal suddetto Convento perpetuamente un anniversario il giorno seguente a quello de' Morti, in suffragio dell' anima mia*: & demum, nulla repetita suffragiorum applicatione, fundavit *due Cappellanie, con una Messa quotidiana per ciascuna di esse, cioè, due Messe basse in ciascun giorno, l' una da celebrarsi alle ore XI., cioè un ora prima di mezzo giorno, e l' altra alle ore XII., che vale a dire in punto del mezzo giorno; quella delle ore XI. nella Chiesa Parochiale di S. Maria detta de Azoque dell' accennata Città de Betanzos; e quella del mezzo giorno nella Chiesa Parochiale di S. Giacomo della medesima Città*; jussitque, Cappellanias esse mere laicales pro Clericis ab Hærede eligendis, cum facultate Cappellanis tributa, sese promovendi -- *a titolo di esse, e de loro beni, come parimente a titolo di patrimonio laicale senza, che s' intenda per questa raggione, che l' Ordinario possa fargliene la collazione ne in alcuna maniera ingerirsi* -- & injuncta onera adimplendi per alium, *purchè le accennate Messe si celebrino quotidianamente, senza che si manchi a quest' obligo*, alioquin mandavit eos removeri, & alios eligi propria Hæredis auctoritate. Et pro Dote earumdem Cappellaniarum, ultra stipendium Ecclesiis solvendum pro utensilibus, taxative reliquit sex mille ducatos de Vellon ad rationem undecim regalium pro quolibet ducato, quos ab Hærede investiri præcepit in bonis stabilibus; & donec investimentum integræ summæ perficeretur, quoad primam Cappellaniam prævidendo casum sequuti partialis investimenti hæredis conscientiam oneravit -- *ad effetto, che col frutto di esso celebri, o faccia celebrare il numero delle Messe quotidiane corrispondente a detto fruttato dell' enunciato stabile comprato*, & quoad secundam Cappellaniam voluit, quod rata fructuum bonorum emptorum deberet *dal d. Convento distribuirsi nella celebrazione di tante Messe basse, coll' elemosina di due reali e mezzo*; completo autem investimento, præscripsit, ut quilibet Cappellanus post recepta bona, *fruttino questi poco, o assai,* *deb-*

Sess. 22. decret. de obser. & evit. in Sac. Miss.

debba sodisfare l' obligo della mentovata Cappellania , celebrando, o facendo celebrare le dette Messe quotidiane , che corrispondino alla sua Cappellania ; & Hærede penitus absoluto a quocunque supplementi onere , iterum disposuit , quod *li Cappellani debbano contentarsi delli beni da comprarsi colli detti 6000. ducati , siano di molto , o poco fruttato , per goderne l' usufrutto mentre saranno possessori di dette Cappellanie, sodisfacendo con esso le succennate Messe , senza che possano chiedere altro .*

Defuncto Testatore , completisque investimentis , electi fuerunt Cappellani usque ad annum 1731. , quo tempore Cappellaniarum administrationem suscepit Patronus , demandata Sacerdotibus amovibilibus Missarum celebratione ; Sed is moriens anno 1757. Hæredi injunxit , ut pro Missis tempore suæ administrationis omissis , aut per Cappellanos plerumque filios , vel fratres suos non celebratis , compositionem obtineret a Reverenda Fabrica Sancti Petri ; Et jussis obtemperans Vincentius Antonius Roldan y Aguiar Hæres , hujusmodi compositionem die 20. Novembris 1757. impetravit pro 5500. Missis , quarum eleemosynam ipse expressit *ad rationem trium regalium de Vellon pro qualibet* .

Preces inde obtulit Vincentius prædictus huic Sacræ Congregationi , & ob tenuitatem reddituum Cappellaniarum , supplicavit declarari , Cappellanos non teneri ad applicationem Missarum, vel reducendum esse illarum numerum . Semel , iterumque auditus fuit Episcopus , qui retulit , annuos cujuslibet Cappellaniæ redditus ascendere ad 132. ducatos monetæ Hispanæ : & singularum eleemosynam , si Missæ pro Anima Fundatoris sint applicandæ , attentis horis , & Ecclesiis assignatis , & Regionis more , computandam esse in ducatis quatuordecim cum dimidio quolibet mense ; sed cum redditus ad tantam non ascendant quantitatem , ideo , subjungit , *usque nunc vix Cappellani pro tempore Missas adimplebant , præter Dominicam , & Feriam V. cujusvis Hebdomadæ , facta pro eis (auctoritate privata) regulatione redditaum* ; quamobrem censet , posse Oratoris precibus indulgeri .

Urget nunc Orator petitam declarationem , quod Cappellani non teneantur applicare Missam pro Anima Fundatoris , argumento ducto a designatione horæ , & Ecclesiæ illarum celebrationis , itaut contemplata videatur potius commoditas Populi , & Ecclesiæ cultus , ac honorificentia , quam suffragium ipsius Fundatoris , ut innuit *Tamburrin. lib.*3. *de Sacrif. Missæ cap.*5. §.3. *num.*22. ; & propterea ait sufficere debere solam præsentiam, & celebrationem in hora , & Ecclesia designatis , cum facultate applicandi Missam pro aliis , ut firmat *Pellizzar. manual. Regul. tom.*2. *tract.*6. *cap.*3. *quæst.*8. *n.*19. *&* 20. , & consonant rescripta hujus Sacræ Congregationis in *Tricastrinen. Applicationis* 16. *Julii* , *&* 8. *Augusti* 1711. *lib.* 61. *decr.pag.*332. *&* 358., in *Ravennaten. Applicationis Missarum* 27. *Julii*, *&* 17. *Aug.* 1737. *ad* I. *&* II. *dub. lib.*87. *decret. pag.*282. *&* 309. , *&* *in Fulginaten.* *Ap-*

Applicationis 17. *Augusti*, *&* 7. *Sept.* 1737. *lib.* 87. *decr. pag.* 315. *&* 349.

Attenta præsertim discretiva loquutione in aliis duobus legatis Missarum, in quibus expresse injungitur applicatio in suffragium Testatoris, ut superius prænotavimus, quam applicationem cum non repetierit Testator in fundatione Cappellaniarum, censet eam noluisse, ut videntur innuere resolutiones hujus Sacræ Congregationis editæ *in Romana Applicationis* 8. *Februarii* 1710. *lib.* 60. *decr. pag.* 57., *in d. Tricastrinen. Applicationis* 16. *Julii*, *&* 8. *Aug.* 1711. *lib.* 61. *decr. pag.* 332. *&* 358. *& in Ferrarien. Applicationis Sacrificii* 11. *Junii* 1729. *lib.* 79. *decr. pag.* 263. Et his additur, nedum facultas tributa Cappellanis sese promovendi ad titulum illarum Cappellaniarum, quæ, dato onere applicationis Missarum etiam per alios celebrandarum, non sufficerent pro congrua synodali, ex adductis per *Piton. discept. Eccl.* 41. *num.* 8. *&* 9., sed etiam modicitas redadituum, qui non sufficiunt consueto stipendio, juxta relationem Episcopi, quatenus Missæ forent applicandæ; unde vel declaranda erit libertas applicationis, vel reducendus erit numerus Missarum.

Perpendendum tamen est primo, quod Missa quotidiana ad rationem eleemosynæ trium regalium, ut calculatur ab Oratore in Instrumento compositionis cum Rev. Fabrica, annuum exigit stipendium ducatorum 99. & sex regalium: quodque, ut retulimus, aliæ Missæ a pio Fundatore præscriptæ fuerunt ad rationem duorum regalium, vel duorum regalium cum dimidio; itaut redditus cujuslibet Cappellaniæ ascendentes ad ducatos 132. longe superarent stipendium Missæ quotidianæ: Et secundo ponderandum, pacifice recipi non posse necessitatem detractionis oneris Missarum a titulo ordinationis, juxta resoluta per Sac. Congregationem in *Ariminen. die* 17. *Julii* 1723. *lib.* 73. *decr. pag.* 333. adhæsive ad affabre extensum discursum san. mem. Benedicti XIV. tunc Sac. Congregationis Secretarii *impressum tom.* 2. *Thesar. Resolut. ejusdem Sac. Congr. ad calcem folii pro eadem Causa distributi sub die* 8. *Augusti* 1722. *pag.* 214. & ad alterum elaboratum folium extensum pro Congregatione diei 24. Apr. 1723. Et his attentis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Missæ sint applicandæ?* & quatenus affirmativè.

II. *An sit locus reductioni onerum, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.

FERENTINA CATHEDRATICI. Excessivam reputans Clerus Terræ Ceccani novam Cathedratici taxam ab Episcopo Ferentino evulgatam, duo proposuit Dubia in Congregatione habita die 19. Aprilis proxime præteriti, quibus quærrebatur -- *I. An & in qua summa debeatur Cathedraticum Mensæ Episcopali, Ferentini a Capitulis S. Joannis Baptistæ, S. Nicolai, & S. Mariæ Fluminis, in casu &c. II. An & in qua summa Eccle-* *Sess.* 24. *c.* 12. *de ref.*

sia S. Sebastiani de jurepatronatus Communitatis Terræ Ceccani, & Cappellæ ibidem sitæ sub titulo S. Francisci Assisii; & Nativitatis Domini teneantur solvere Cathedraticum Mensæ Episcopali Ferentini, in casu &c. &c. -- Et responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Deberi juxta solitum in scuto uno a Capitulo Sancti Joannis, & a Capitulo S. Mariæ Fluminis, & in juliis sex a Capitulo S. Nicolai; Ad II. Quoad Ecclesiam S. Sebastiani teneri juxta taxam præscriptam ab Episcopo: in reliquis dilata, & exhibeantur Instrumenta fundationum Cappellaniarum.*

Mandatis Sacræ Congregationis obtemperans Episcopus, exhibet Instrumenta fundationum Cappellaniarum, aliaque documenta, quibus probare nititur qualitatem ecclesiasticam, & perpetuam utriusque Cappellaniæ. Porrò Cappellania sub invocatione Sanctissimæ Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi fundata est anno 1684. a Francisco Antonio Saltasbarra, qui Capitalia Census annui redditur scutorum viginti pro dote assignavit Cappellæ prædicta a suis Majoribus constructæ, & *Cappellano illius pro tempore existenti, ab ipso Francisco Antonio, & ab ejus Successoribus pro tempore eligendo, nominando, & præsentando*--Subdens -- *Qui census semper stare debeant pro Dote d. Altaris, quod dotavit, Beneficium sit, esseque debeat de jurepatronatus ipsius Francisci Antonii de Saltasbarris, & ejus Hæredum, & successorum quorumcumque* -- injuncto onere Cappellano celebrandi per se ipsum, non autem per interpositum Sacerdotem duas Missas Defunctorum qualibet Hebdomada in suffragium animæ suæ, & suorum Parentum.

Et sequenti anno 1685. Episcopus Ferentinus assensum præstitit dotationi prædictæ, cujus intuitu eidem Fundatori, & Hæredibus concessit -- *juspatronatus super Altare, & Cappella prædicta Sanctissimæ Nativitatis, stantibus constructione, & dotatione prædictis, cum potestate præsentandi Cappellanum, quandocumque casus vacationis evenerit* --, ut legitur in decreto Episcopali; factaque per Fundatorem prima nominatione favore Sacerdotis Antonii Cinfronii, huic institutionem Episcopus concessit per hæc verba -- *per Bireti capiti tuo impositionem authoritate nostra ordinaria tenore præsentium, Cappellanum dictæ Cappellæ instituimus, confirmamus, & creamus* -- Nec dissimiles sunt Literæ provisionis hodierni Cappellani Francisci Antonii Moscardini, qui ad nominationem Patronorum anno 1750. institutionem obtinuit ab Episcopo sub hac formula -- *Cappellaniam, seu Beneficium prædictum etc. authoritate nostra ordinaria tibi conferimus, & de illo providemus; Teque Cappellanum, seu Beneficiatum prædictum facimus, constituimus, & investimus.*

Altera vero Cappellania S. Francisci fundata est anno 1616. a Pertio Giorgi, qui Cappellæ a se ædificatæ plura bona in dotem assignavit -- *riservandosi però esso Misser Persio facoltà per se, e suoi Eredi, e Successori di poter eleggere, e deputare, rimuovere, e sponere il Cappellano in vita, colle Bolle necessarie da spedirsi*

da Monsignor Vescovo di Ferentino &c. e nel tutto si riserba la volontà, e decreto del Vescovo -- ; Et imposito onere Cappellano celebrandi Missam Defunctorum singulis diebus Lunæ, subjunxit - *volendo e commandando, che i suoi Eredi, e successori debbano sempre eleggere, doppo la morte dell' eletto, nuovo Cappellano del Parentado più congionto, e non essendoci del Parentado, lo possano conferire a chi le piacerà, sempre colla presentata, e Bolla del Vescovo* -- .

Decretum erectionis hujus Cappellaniæ non exhibetur, sed afferuntur Literæ institutionis eodem anno concessæ Archipresbytero Virgilio Pandolfi per Fundatorem præsentato, in quibus legitur -- *per Capiti tuo Bireti impositionem, authoritate ordinaria tenore præsentium, Cappellanum dictæ Cappellaniæ S. Francisci immittimus instituimus, & confirmamus* --, Et post obitum Virgilii Pandolfi institutus fuit anno 1625. Sacerdos Altobellus Fideli ad nominationem Patronorum his verbis, *Cappellaniam prædictam &c. cum plenitudine juris Canonici tibi conferimus, & de illa providimus; Teque Cappellanum d. Cappellaniæ facimus, constituimus, & instituimus* -- ; Sequutaque rursus vacatione per obitum dicti Altobelli, Literas Apostolicas pro præsentato expedivit Sacerdos Marcus Antonius Georgeus, in quibus exprimitur -- *Perpetua Cappellania, seu perpetuum simplex Beneficium ecclesiasticum ad Altare sub invocatione S. Francisci in Ecclesia S. Sebastiani*.

Defuncto vero Marco Antonio Georgii præsentatus fuit Sacerdos Joannes Antonius Frezza, qui pariter institutionem ab Episcopo impetravit sub consueta formula -- *Cappellaniam prædictam &c. authoritate nostra ordinaria tibi conferimus, & de illa providemus, Teque Cappellanum perpetuum constituimus, instituimus, & investimus* -; Cumque Canonicus Alexander Frezza institutus post obitum dicti Joannis Antonii, eandem Cappellaniam libere resignasset, Patroni nominarunt Josephum Frezza, quem Episcopus instituit *Cappellanum perpetuum dictæ Cappellaniæ*; Et ipse hodiernus possessor Cappellaniæ Joannes Pertius Lauretti ad nominationem Patronorum institutus fuit ab Episcopo in *Cappellanum perpetuum*.

Ex his autem infert Episcopus, utramque Cappellaniam censendam esse ecclesiasticam, & perpetuam, tum ex lege fundationis, & subsequuta observantia, tum etiam ex præsumptione juris; & propterea contendit, utramque obnoxiam esse solutioni Cathedratici, a quo immunes sunt Cappellaniæ dumtaxat laicales, & ad nutum amovibiles, ut declaravit Cong. Particularis *in Maceraten. Cathedratici* 29. *Aprilis* 1731. *ad* 2. *dub.* Nec censet obstare fundationem Cappellaniæ S. Francisci non esse in forma probanti, & deficere erectionis decretum: sive quia tenor fundationis supra relatus excerptus fuit ex processu Causæ in Curia Episcopali actæ ann. 1737. inter Fratres de Laurettis Patronos, & alios de Ambrosiis super institutione, & jure presentandi Cappellanum, quæ vigore documentorum tunc exhibitorum fuit

fuit per sententiã absoluta favore illorum de Laurettis, a quibus Causam habet modernus Rector Cappellaniæ S. Francisci, qui proinde nequit allegare jurium illegalitatem, sive quia successivæ institutiones longa 144. annorum observantia roboratæ supplent quemcumque legalitatis defectum.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

An & in qua summa Ecclesia S. Sebastiani de jurepatronatus Communitatis Terræ Ceccani, & Cappellæ ibidem sitæ sub titulo S. Francisci Assisii, & Nativitatis Domini teneantur solvere Cathedraticum Mensæ Episcopali Ferentini, in casu &c.

Dilata ad primam.

Sess. 24. c. 12. & Sess. 25. cap. 6. de ref.

NERITONEN. PLURIUM. Indecisa, remansit hæc Causa in Congregatione habita die 7. præteriti Mensis Junii, iterumque illius resolutionem distulerunt Eminentissimi Patres in postrema Congregatione habita die 21. ejusdem Mensis. Denuo nunc proponitur, & reassumpto Folio d. Congregationis habitæ die 7. Junii, dignabuntur EE. VV. definire.

Vid. Dub. XX. relat. in fol. Congr. 7. Jun. pag. 104.

Ad I. dubium provisum in secundo. Ad II. Negative juxta modum nempe ad formam Constitutionum Synodalium anni 1680. Cap. 3. & amplius. Ad III. Affirmativè cum solitis Clausulis, prout in Ferentina anni 1685. & amplius. Ad IV. Affirmativè juxta solitum. Ad V. Affirmativè juxta solitum & amplius. Ad VI. servetur solitum. Ad VII. Affirmativè. Ad VIII. Affirmativè juxta modum, nempe in casu necessitatis, & per Turnum, & Episcopus provideat Ecclesiam de Clericis pro muneribus, de quibus agitur, & amplius. Ad IX. quoslibet teneri in suo ordine, & amplius. Ad X. spectare ad Portionarios, & amplius. Ad XI. Negative ad primam partem Affirmativè ad secundam & amplius. Ad XII. Affirmativè & esse conficienda sedilia expensis massæ communis. Ad XIII. Negative ad primam partem, & Affirmativè ad secundam, & amplius. Ad XIV. Negativè in omnibus. Ad XV. servetur Decretum Episcopi & amplius. Ad XVI. Affirmative in omnibus actibus juxta solitum, & amplius. Ad XVII. Esse computanda singillatim juxta numerum capitularium, & amplius. Ad XVIII. servetur solitum. Ad XIX. Negative ad primam partem, & Affirmativè ad secundam. Ad XX. Esse purganda per viam nullitatis, & pecunias esse reportandas.

Sess. 24. c. 12. de ref.

FERENTINA. Relata fuit species hujus Causæ in Folio Congregationis habitæ die 7. præteriti mensis Junii; & disputatis Dubiis *I. An Canonicus Joannes Baptista Petacci teneatur ad interessendum in Choro, seu potius permittenda sit tempore Divinorum Officiorum ejus interessentia in Organo pro servitio Ecclesiæ,*

siæ, in casu &c. II. An, & quomodo sit cogendus, in casu &c.; responsum fuit ab EE. VV. *Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundum, & amplius : Ad II. Esse cogendum aliis pœnis pecuniariis arbitrio Ordinarii.* Sed impetrata per Canonicum Petacci nova audientia quoad II. Dubium, definiendum nunc erit ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad secundum Dubium, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

CREMONEN. INDULTI. Sacerdos Joannes Cadonici Vir Literarum eruditione clarus, & Auctor operis, cui titulus: *Vindiciæ Augustinianæ ab imputatione Regni Millenarii*, cum annum ageret 44., obtinuit a san. mem. Benedicto XIV. collationem Canonicatus in Ecclesia Cathedrali Cremonensi, cujus nactus possessionem anno 1750., assidua diligentia cæpit Choro interesse; at pedum dolore, & surarum contractione affectus, pari frequentia debitum Ecclesiæ, & Altari servitium continuare non valuit: & juxta documentum in Secretaria dimissum, distributiones pro integra residentia numquam percepit, dum legitur -- 1751. *Residenza intiera lir.* 836. 15. 5., *ha partecipato lir.* 710., & sic in sequentibus annis. Cumque præ nimia doloris acerbitate nequiret amplius pedibus consistere, anno 1756. annuit Capitulum, ut a servitio Ecclesiæ desisteret, durante morbo, & nihilominus quotidianas distributiones perciperet: Eademque de causa anno 1757. impetravit a laudato san. mem. Benedicto XIV. indultum celebrandi in Oratorio privato Nobilis Viri, in cujus Domo a pluribus annis alebatur. *Sess. 24. c. 12. de ref.*

Eumdem nihilominus monuit Capitulum sub initio mensis Septembris 1758., ut in futurum Choro interesset, ne alioquin distributionum ammissione mulctaretur. Illum porro insimulabat, quod *propter assertam pedum debilitatem non detinebatur inter domesticos parietes, sed domo libere egrediebatur baculo non adjutus, neque incedendo claudicationis, aut doloris signa exhibens; quin immo itineribus non parcens Mediolanum, Parmam, & alia dissita loca, vel negotiorum, vel recreationis causa divertebat: Quotidianas etiam deambulationes ex consilio Medicorum ad horam circiter producebat, & in alienam domum non parum dissitam suis pedibus se conferens, ad tardam usque cœnam rigida etiam hyeme solebat inter amicos conversari* --: quodque si difficilior videbatur accessus ad Chorum, ob nimiam distantiam domus, in qua habitabat, a Cathedrali, facile amovere potuisset incommodum, conducendo domum prope Cathedralem, cum haberet sufficientes redditus, quibus honeste viveret.

Hac monitione perculsus Canonicus Cadonici rem omnem detulit ad hanc Sacram Congregationem, precesque obtulit, quibus postulabat indultum dispensationis a servitio Chori, & Ecclesiæ

clesiæ, cum participatione quotidianarum distributionum. Datæ fuerunt Literæ ad Episcopum, ut de more, audito Capitulo, Sacram Congregationem instructam redderet, votumque suum aperiret. Rescripsit Episcopus, & Folium transmisit exhibitum a Capitulo, quod supra expositas referens rationes, quibus motum fuit ad denegandum distributiones Canonico Cadonici, protestatur nolle cum eo judicium suscipere, libentique animo se submittit resolutionibus edendis ab EE. VV.; Medicorum quoque attestationes adjungit Episcopus sibi traditas a Canonico Cadonici, illisque innixus censet, annuendum esse Oratoris precibus, dummodo distributiones ex lege fundationis non sint reservatæ personaliter tantum interessentibus, *ejusque conscientiæ remittendum, Choro identidem interesse iis diebus, & quoties sine gravi incommodo, & periculo id se noverit præstare posse: necnon iis defectibus adhuc perdurantibus, ne tam diuturno tempore Ecclesia debitis careat obsequiis, satagere, ut sibi Coadjutorem irrevocabilem cum futura successione in Canonicatu, & Præbenda eligendum inveniat.*

Causa nunc proponitur, & disputat Canonicus Cadonici, pedum dolorem, & surarum contractionem adeo crevisse, ut impotens factus sit sine aliorum ope erigi, flectere membra sua, aliosque Corporis motus exercere, prout necessarium foret, si cogeretur e domo, quam incolit, discedere, & per unum fere milliare ad dissitam Ecclesiam Cathedralem progredi, ibique in Choro modo stare, modo sedere, modo genua, & corpus flectere, ut constat ex judicio Medicorum, qui eum curarunt, & ex testimonio Episcopi, qui precibus assentitur: quin immo ex facto, & agnitione ipsius Capituli, a quo ratione hujus infirmitatis indulta fuit Oratori venia abessendi, & lucrandi distributiones quotidianas. Proindeque defendit, justam subesse causam dispensationis a servitio Ecclesiæ, cum participatione fructuum, & distributionum durante infirmitate, ut sunt cognitissima jura *in cap.*1. *& tot. fere tit. de Cler. ægrot. & in cap.*1. *de Cler. non resid. in* 6., & consonant resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Eugubina servitii Chori* 5. *Julii, &* 23. *Augusti* 1738. *lib.*88. *dec. pag.*306. *&* 365. *in Acernen. distributionum quotidianarum & jubilationis* 11. *Apr.* 1739. *lib.*89. *decr. p.*99., *& in Aquilana indulti* 13. *Febr.* 29. *Martii, &* 16. *Junii* 1745., in qua disputatis Dubiis- *I. An & quomodo Archid. Francisco de Carolis concedendū sit indultum de quo agitur? II. An & quibus emolumentis perfrui debeat?* rescriptum fuit -- *Ad I. Affirmative, onerata conscientia oratoris durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi: Ad II. Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quæ sive ex dispositione Testatorum, sive ex statuto, & consuetudine Ecclesiæ, debentur tantum actu inservientibus, & amplius -lib.*95. *decr. p.*70. 107. *&* 267.

Neque putat refragari, quod frequentiam Chori parumper intermiserit in ipsis primordiis suæ residentiæ, cum id evenerit ex justa causa tunc superventæ infirmitatis, qua non obstante debitum Ecclesiæ, & Altari servitium præstitit, dum licuit, etiam claudi-

dicando; unde commiſeratione dignus videri debet, cum Sacri Canones vitio corporis impeditos excuſent, etiamſi non fecerint primam reſidentiam, ut tradunt *Barboſ. de Canon. cap. 17. n. 31. & cap. 25. n. 5., Card. de Luc. eod. tract. diſc. 12. n. 4. & 9. Scarfant. ad Ceccoper. Lucubrat. Canon. tom. 1. lib. 2. tit. 9. n. 1. & ſeq.* Contendit pariter nihil obeſſe, quod ſedens in Rhæda Mediolanum, & Papiam (non Parmam) conceſſerit, haud negotiorum cauſa, ſed ad tuendam valetudinem, ne continua quiete in alios incideret Morbos: quodque ex Medicorum conſilio diebus, & horis lenioribus per aliquot paſſus deambulare ſoleat in terreo ſolo extra Mœnia Civitatis, quæ parum diſtant a ſua habitatione, & quandoque ad vicinam Amici Domum accedat; cum inde inferri non valeat, quod poſſit pedibus ſuis incedere ad diſſitamEccleſiamCathedralē per aſperam viam ſilicibus ſtratam. Minuſque cogi poſſe arbitratur ad conducendam Domum prope Cathedralem: tum quia graviſſimum id ferret incommodum, ob neceſſarias, ſuiſque viribus impares expenſas habitationis, famulatus, & victus, quibus nunc liberaliter occurrit Nobilis vir, a quo alimenta recipit; tum inſuper quia inutilis eſſet hæc providentia quoad Sacras actiones juxta rubricam peragendas in Divinis Officiis, quas eo magis explere nequiret ſine evidenti periculo gravioris morbi, & acerbiſſimi doloris, quod minime Sacri Canones exigunt, ad tradita *per Fagn. in cap. licet n. 14. de Præbend. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 591. n. 44. Scarfant. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 2. tit. 9. n. 5. & innuit hæc Sacra Cong. in Caputaquen. participationis 20. Novembris 1751. lib. 101. decr. pag. 513.*

Decernendum idcirco erit ab EE. VV.

I: *An ſit concedendum indultum pro exemptione a ſervitio Chori, & Eccleſiæ in caſu &c.*

II. *An debeantur Canonico Joanni Cadonici diſtributiones quotidianæ decurſæ a menſe Septembris 1758., in caſu &c.*

CAPUTAQUEN. Ordinariam ſibi aſſerit juriſdictionem Epiſcopus Caputaquenſis in Locis *Rhodii & S. Mauri*, ut pote exiſtentibus intra limites ſuæ Diœceſis, licet pertineant ad Bajulivatum S. Euphemiæ Sacri Ordinis Hieroſolymitani; & ultra juris præſumptionem, quæ Epiſcopis aſſiſtit in toto ambitu ſuarum Diœceſum, ad tradita per *Card. de Luca de juriſdict. diſc. 1. n. 14. & 15. & Card. Petra ad Conſtit. 6. Alexandri III. sect. 1. n. 37. tom. 2. pag. 135., & Rota in Paſſavien. viſitationis. 26. Februarii 1731. coram SANCTISSIMO*, coadjuvat ſuam intentionem exhibendo etiam antiquas viſitationes a ſuis Anteceſſoribus peractas uſque ab anno 1635., & ſucceſſivis temporibus renovatas in Eccleſiis utriuſque loci quoad Sacramenta, & Sacramentalia, cum aliis probationibus, ex quibus eruitur, Vicarios Curatos Eccleſiarum Parochialium eorumdem locorum conſuevisse ab Epiſcopo approbari, & ad Synodum vo-

Seſs. 6 cap. 5. Seſs. 7. cap 8. Seſs 12. c. 8., & Seſs. 23. c. 15. de ref.

vocari, aliosque Sacerdotes in eisdem Ecclesiis Sacramentum Pœnitentiæ de illius licentia administrare, ab eodem Episcopo tabellæ casuum reservatorum affixionem in Ecclesiis dictorum locorum demandari, Ordines conferri, & Sacramento Chrismamatis Populum confirmari; Quæ omnia, uti præseferentia exercitium jurisdictionis Episcopalis, coadjuvare arbitratur præsumptionem juris pro subjectione eorumdem locorum ordinariæ jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi sita sunt, ex deductis per *Rotam coram Caprar. dec.* 29. *n.*7., *coram Falcon. de Offic. Ordin. dec.* 22. *n.* 8. & in terminis alterius Commendæ Hierosolymitanæ in *Tuden. Jurisdictionis super Manutentione* 11. *Martii* 1735. §. *Sicut namque coram Eminentissimo Crescentio, &* 16. *Febr.* 1739. §. 2. *cor. clar. mem. Card. Millino*.

Neque censet obesse privilegia Sacræ Religionis Hierosolymitanæ; cum asserat, ea tribuere passivam dumtaxat exemptionem non autem activam jurisdictionem, minusque Territorium separatum, itaut Episcopo competat jurisdictio delegata in Bajulivatus Ecclesiis quoad respicentia curam Animarum, & administrationem Sacramentorum, ordinaria vero quoad Clerum, & Populum, ut explicat *Rota in Mantissa ad de Luca decis.* 13. *&* 14. *tit. de jurisdict.*, *in Tuden. jurisdictionis super manutentione* 11. *Martii* 1735. §. *Eamdemque coram Eminentissimo Crescentio*, *&* 16. *Februarii* 1739. §. *impulit cor. cl. me. Card. Millino*, *& in Conversana jurisdictionis* 2. *Decembris* 1739. §. *Eo nempe ipso coram Reverendissimo P. D. Canilliac Decano*.

Minusque putat verificari Territorium separatum ex privilegio speciali vel expresso, quod non exhibetur, vel tacito præsumpto ab immemorabili, quæ uti interrupta per actus jurisdictionales exercitos ab Episcopo nullius remanet efficaciæ, ut per tentum *in cap. auditis in fin. de præscript.* firmat *Rota in dicta Tuden. jurisdictionis* 16. *Februarii* 1739. §. 12. *cor. cl. me. Card. Millino*, *& in Conversana jurisdictionis* 2. *Decembris ejusdem anni* § *fin. cor. Rmo P. D. Canilliac. Decano*, quæque efficaciter non ervitur ex retentione Tribunalis, & exercitio jurisdictionis intra septa Commendæ, cum hanc habeant potestatem Prælati exempti citra prejudicium Ordinariæ jurisdictionis Episcopi in Clerum, & Populum, juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini *in ss.* 25. *cap.* 11. *de regul.* cui adhærent Constitutiones *la* 136. S. Pii V., & *la* 67. Gregorii XIII., & decretalis S. M. Benedicti XIV. *in Conversana jurisdictionis* inter suas Constitutiones *la* 76. *tom.* 1., & concordant aliæ decretales in *Tusculana la* 33., *& in Spiren. la* 40. *tom.* 2.

Contra vero Bajulivus impugnat ordinariam Episcopi jurisdictionem, etiamsi ipse connumerandus esset inter Prælatos secundæ speciei, quo casu reservarentur Episcopo solum ea, quæ sunt Ordinis, & quæ spectant ad legem diœcesanam, ut probant *Clement. in concordia pastoral. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 85. *& seq. & Card. de Luca de jurisdict. disc.* 1. *n.* 9.: Atque insuper defendit ex testimonio *Ughelii*, diœcesim Caputaquensem coaluisse ex tribus

di-

distinctis dioecesibus, nempe *Pestana*, *Acropolitana*, & *Velina*, unde infert cessare juris præsumptionem favore Episcopi, cum loca prædicta sita esse potuerint inter unam, & alteram ex dd. tribus Dioecesibus, utcumq; modo reperiantur in ambitu Dioecesis Caputaquensis, ad firmata *per Rotam dec.*3. . . 3. *de Offic. Ordin. cor. Falcon.* Pluribus etiam documentis probat, Tribunal, cum Officialibus Curiæ suos Antecessores in eisdem locis ab immemorabili retinuisse, quod innuit Territorium separatum *Card. Petra ad Constit.6. Alexan.III. sect.*1. *n.*72. *tom.*2. *p.*144: Ecclesiam S. Mauri ab extero Episcopo consecratam fuisse anno 1578. de licentia solius Vicarii Bajulivatus, quod minime licuisset in aliena Dioecesi, juxta censuram Sacri Concil. Trident. *Ss. 6. cap.5. de refor.*; Eumdem Vicarium Beneficia erigere, & conferre, Ecclesias visitare, Testimoniales Præsbyteris discedentibus dare, licentias contrahendi Matrimonium concedere, & causas criminales cognoscere, quæ omnia validissimum autumat præbere argumentum Territorii separati, quia minime licuissent Prælatis inferioribus etiam secundæ speciei, ut de erectione, & collatione Beneficiorum docent *Rota in Nuperr. dec.*278. *n.*1. *&* 2. de Visitatione Ecclesiarum *Piton. discept. Eccles.* 128. *n.* 15., de licentiis discedendi *Garzias, de Benefic. p.* 3. *cap.*2. *n.*90., & de cognitione causarum Matrimonialium & Criminalium *Card. Petra ad Const. IV. Calisti III. sect.* 2. *num.*37. *tom.*5. *pag.*109.

Docet etiam, eumdem Vicarium Bajulivatus a quadraginta fere annis Œconomos Parochialium deputare, Confessarios approbare, facultatem concionandi concedere, & indulgentias publicare. Hæc autem, cum respiciant curam animarum, in qua principaliter consistit jurisdictio Episcopalis, expleri nequivisse contendit a Vicario Bajulivatus, nisi hic potiretur Territorio separato, ad tradita per *Piton. discept. Eccl.* 124. *n.*14., *& Rota post Tambur. de jur. Abbat. decis.*65. *n.*1. *& cor. Ansald. decis.*546. *n.*18., junctis præsertim enunciativis, quæ in literis etiam Apostolicis leguntur, quod eadem loca sint *Nullius Dioecesis*: licet cæteroquin aliquando fuerint enunciata etiam *Dioecesis Caputaquen.* Et quoad Visitationes ab Episcopis Caputaquensibus peractas excipit, illas factas fuisse jure delegato. prout in locis *Nullius* fieri mandat ab Episcopo viciniori Sacrum Concilium Tridentinum *sess.*24. *cap.*9. *de ref.*

Proposita vero causa in Congr. habita die 12. Martii 1757., dilata fuit illius resolutio, iterumque dilationem impetravit Bajulivus in Congregationibus habitis die 9. Julii, & 20. Augusti. Et in Congregatione habita die 19. Novembris ejusdem anni, excipiente Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Caputaquen, de illegalitate documentorum Bajulivi, rescriptum fuit -- *Dilata, & fiat extractio documentorum citata Parte* -- *lib.*107. *dec. pag.*427. Bajulivum monuit Promotor Fiscalis, ut exequeretur rescriptum Sacræ Congregationis, & Bajulivus monuit Procuratorem Fiscalem, ut interesset documentorum collationi.

tioni. Sed neglecta jurium compulsatione in terminis intimatis, utraque Pars curat prosequutionē Causæ, quæ descripta est ad instantiam Promotoris Fiscalis in Folio Congregationis habitæ die 19. Aprilis, & iterum in Folio Congregationis habitæ die 7. Junii currentis anni: sed resoluta non fuit.

Denuo nunc proponitur, & definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem Ordinariam in locis Rhodii, & S. Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarij Curati pro Ecclesijs Parochialibus Raedij, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Æconomi Provisionalis ad dd. Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dd. Ecclesijs, quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodij, & S. Mauri privative spectet ad Episcopum Caputaquen, in casu &c.*

Sess. 25. cap. 9. de Ref.

PARMEN. DISPENSATIONIS. Proposita fuit hæc Causa in Congr. habita die 7. Junii præteriti, & Dubio, quod erat — *An sit signanda supplicatio, in casu &c.* responsum fuit: *Affirmativè*. Redit nunc ad examen EE. VV., ut definiatur.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

VICEN. PAROCHIÆ DE LIUSSANO. Species hujus Causæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 12. Januarii currentis anni, sed non fuit proposita. Unde poterit ab EE. VV. reassumpto eodem Folio definiri.

Sess. 21. c. 4. de Ref. *An sint deputandi Sacerdotes pro servitio Parochiæ, & cujus expensis, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 2. Augusti 1760. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUinque sequentes Causæ indecisæ remanserùnt in postrema Congregatione habita die 12. Julii præteriti. Denuo nunc proponuntur; & reassumpto Folio tunc distributo, dignabuntur EE.VV. definire.

FERENTINA CATHEDRATICI.

An, & in qua summa Ecclesia S.Sebastiani de Jurepatronatus Communitatis Terræ Ceccani, & Cappellæ ibidem sitæ sub titulo Sancti Francisci Assisii, & Nativitatis Domini teneantur solvere Cathedraticum Mensæ Episcopali Ferentini, in casu &c. *Sess.24. c.13. de Ref.*

Affirmativè juxta taxam præscriptam ab Episcopo, & amplius.

CREMONEN. INDULTI.

I. *An sit concedendum Indultum pro exemptione a servitio Chori, & Ecclesiæ, in casu &c.* *Sess.24. c.12. de Ref.*

II. *An debeantur Canonico Joanni Cadonici distributiones quotidianæ decursæ a mense Septembris 1758., in casu &c.*

Ad I. Affirmativè durante Infirmitate & onerata conscientia Oratoris. Ad II. Affirmativè juxta votum Episcopi.

CAPUTAQUEN.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem Ordinariam in locis Rhodii, & S. Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?* *Sess.6. cap.5. Sess. 7. cap.8. Sess.12. cap.8. & Sess.23. capit.15. de Ref.*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & S. Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Æconomi provisionalis ad dd. Parochiales spectet ad Ordinarium.*

IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias confessiones au-*

audiendi in dd. Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?

V. *An administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & S. Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquen., in casu &c.*

Ad I. spectare Episcopo Jurisdictionem Ordinariam in Clerum, & Populum, quo vero ad Ecclesias subjective unitas delegatam. Ad II. Affirmativè. Ad III. Affirmativè. Ad IV. Negative. Ad V. Affirmativè.

FERENTINA.

An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad secundum dubium, in casu &c.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

In decisis, & amplius.

PARMEN. DISPENSATIONIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 9. de Ref.

GERUNDEN., SEU VICEN. NULLITATIS MATRIMONII. Vigore dispensationis Apostolicæ Matrimonio copulati sunt die 16. Januarii 1758. Margarita Collell, & Joannes Espinet in secundo, & tertio Consanguinitatis gradu invicem conjuncti. Hujus Matrimonii nullitatem proposuit post paucos dies in Curia Episcopali Vicen. Franciscus Parer Sponsæ Avus Maternus, allegata Dispensationis obreptione; Sed Vicarius Generalis, agnita suæ jurisdictionis incompetentia cognoscendi de viribus Dispensationis, quam Delegatus exequendam esse pronunciaverat, ad terminos Textus *in cap. 2. de confirmat. util. vel inutil.* Partes ad Summum Pontificem remisit. Querelam nullitatis renovavit Franciscus in hac S. Congregatione, a qua auditus est Episcopus Vicensis, eique injunctum, ut assertos Conjuges separaret, quos ille mandatis S. Congr. obtemperans separari jussit die 15. Sept. superioris anni.

Sess. 24 cap. 5. & 6. de Ref. Matr.

Causa nunc proponitur, & disputat Franciscus, Matrimonium inter secundo, & tertio consanguinitatis gradu conjunctos de jure subsistere non posse, neque confirmari dispensatione Apostolica, quæ fuit sub-, & obreptitie impetrata, ut docent *Abb. & DD. in cap. Quia circa 2. de consanguin. & affinit.* Dispensationem porro subreptitiam asserit, tum quia reticita fuit Pontifici altera dispensatio præcedenter extorta sub falsa causa *ob indotatam*, quæ caruit exequutione; tum quia non fuit expressa impubertas Joannis, qui tempore concessæ Dispensationis ætatem

tem agebat annorum tredecim, & mensium octo cum dimidio. Obreptitiam quoque illam fuisse contendit, ob narratam locorum angustiam, quæ uti causa finalis in Dispensatione his verbis exprimitur -- *Cum d. Margarita in locis, ex quibus ipsa, & Joannes prædictus orti sunt in dd. Diœcesibus respective existentibus, & de uno ad alium se transferendo propter illorum angustiam, Virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat* -- istâque non, subsistente subditur, exequi non potuisse dispensationem ad tradita per *Ros. de exequut. Lit. Apost. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 226. *& Corrad. in prax. dispens. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 39. *& cap.* 6. *n.* 3. & 44.

Insubsistentiam autem enarratæ locorum angustiæ depromere nititur Franciscus ex eo, quod testes interrogati super articulis ab Episcopo Vicensi efformatis, & alii a Francisco producti, occasiones nubendi referunt in genere, & in specie, tum in Parochia SS. Acischli, & Victoriæ Diœcesis Gerunden., in qua orta est Margarita, tum in Vicinis Parochiis usque ad Villam Rupit Vicensis Diœcesis, in qua natus est Joannes Espinet Sponsus. Neque his contraponendos autumat alios Testes ad verificandam Dispensationis narrativam examinatos; cum illorum depositiones corruant in forma, & in substantia. Eos namque interrogavit Parochus S. Christophori *de las Planas* Diœcesis Gerunden. subdelegatus non a Vicario Generali Gerundensi, cui dispensatio commissa fuerunt pro exequutione, sed a Notario Actuario Curiæ Episcopalis: & illius subdelegatio facta est, postquam Rector Ecclesiæ Parochialis SS. Acischli, & Victoriæ de *Colltort* prçcedenter subdelegatus retulerat, Testes a se auditos comprobare nubendi occasiones cum aliis paris conditionis, & non consanguineis. Hac igitur priori informatione spreta, vel ejus non expectata notitia, putat Franciscus, nulliter processisse Vicarium Generalem sub fide Testium illegitime examinatorum a secundo Subdelegato. Et nullitati injustitiam addit, quia fidendum non erat Testibus commentitiam allegantibus causam scientiæ, quod Margaritæ suppetere nequivissent occasiones nubendi Viro non consanguineo æqualis conditionis, quin ipsi scirent; cum res improbabilis omnino sit, omnium noscere conditiones in illis Partibus, ubi Parochiani non incolunt Civitatem, Oppidum, aut Villam, sed sparsim degunt in propriis respective dissitis Prædiis, vulgo Casali, & per Parochias dividuntur.

Hçc quoad sub-, & obreptionem; sed magis corruere autumat exequutionem dispensationis, ob defectum alterius conditionis in ea expressæ, nempe -- *Dummodo illa propter hoc rapta non fuerit* --. Margarita siquidem Patre orbata in infantili ætate, Matrem quoque amisit anno 1752.: & post Genitorum obitum morata est in Domo Francisci ejus Avi Materni usque ad annum 1754., quo blandis verbis, & subdolo recreationis prætextu illam abduxit Magdalena Collell ejus Avia Paterna, quæ subreptam Puellam prius Domi suæ retinuit, indeque illam collocavit educatio-

cationis gratia in Rectoria S. Andreæ de Pruyt Diœcesis Vicen. &i postmodum eam traduxit ad Domum Edualdi Espinet Fratris su, cujus Filio Joanni tandem desponsata est Margarita, quin unquam restituta fuisset Avo Materno eam repetenti. Quæ omnia facta fuisse narrantur a Francisco contemplatione, et intuitu Matrimonii postea contracti, & verum raptum innuere, qui gratiam Dispensationis, & Matrimonium infringit. Et ideo, dissoluto Matrimonio, sibi restituendam esse contendit Puellam, quæ et ipsa mandatum dedit pro agenda causa nullitatis Matrimonii.

Sed contrà Joannes Espinet, omnem exulare defendit Matrimonii nullitatem, quæ nequit erui ex fonte consanguinitatis, ubi adest dispensatio Apostolica: subreptionem non inducere reticentiam vel anterioris gratiæ *pro in Dotata*, quæ caruit exequutione: vel impuberis ejus ætatis, quæ narranda non erat pro matrimonio contrahendo post legitimam ætatem, ut notat *Corrad. in prax. dispens. lib.* 4. *cap.*3. *n.*5. *&* 6.: Neque obreptionem evinci a contrariis Testibus, qui nullas referunt occasiones nubendi in Villa Rupit, & duas tantum enunciant in Parochia de Colltort cum Filiis Matthæi Prat, & Hieronymi Sayols, qui nonum, & undecimum annum agebant tempore initi Matrimonii, quod differre non tenebatur Margarita, usquequo illi adolescerent.

Inutilem quoque arbitratur alteram nubendi opportunitatem, quam dd. Testes affirmant, cum Josepho Pinos in Parochia S. Andreæ *de Pruit* Vicen. Diœcesis: quia dispensatio loquitur de locis originis utriusque Sponsi tantum, & non de aliis, ut ponderat *Corrad. in prax. dispens. lib.*7. *cap.*5. *n.*35. *&* 36.; Tres autem has Personas paris conditionis unice indicari subjungit a decem Testibus per Franciscum productis: nec habendam esse rationem generalium verborum, quæ facile cum Personis in specie designatis conciliantur; ideoque magis comprobari veritatem expositæ Angustiæ locorum, cum præsertim de illa rigide nimis non sit inquirendum, quia nec Matrimonii libertas ad paucos restringi patitur, nec æqualitas conditionis metitur a genere, & divitiis, sed spectandi quoque sunt mores, ætas, ingenium, & similes circumstantiæ, ut firmant *Sanchez. de Matrim. libr.*8. *disput.* 19. *n.*14. *&* 15. *& Monacell. par.*2. *tit.*16. *form.* 2. *num.* 33. & hæc S. Congr. in *Bisacciarum Dispensationis Matrimonii* 19. *Junii* 1706., exequendam esse decrevit dispensationem cum simili clausula *ob angustiam loci*, non obstantibus Testibus affirmantibus Mulierem facile in ejus Patria virum sibi conditione invenire posse, ut in *lib.*56. *decr. pag.*196. Et spreta asserta delegatione Parochi *de Colltort*, quæ non exhibetur, ineptam reputat objectam nullitatem contra delegationem Parochi *de la Planas*, & contra exequutionem successive dispensationi datam, quia pro illis militat juris præsumptio, quod factæ fuerint juxta stylum loci, ut etiam innuit Episcopus Vicen. in sua relatione.

Ad raptum denique excludendum ipsis utitur querimoniis Francisci,

cisci, quibus perpetuo fassus est, blandis verbis inductum fuisse a Magdalena Collell, ut sineret Neptem secum abire, & in ejus Domo manere: quadere propria confessione diluit omnem rapti suspicionem, quæ oritur solum, quando Puella sub Parentum Custodia constituta, ex eorum Domo ipsis invitis abducitur, ut probat *Sanch. de Matr. lib.7. disput.12. n.6. & seq.* Præterea animadvertendum proponit, quod Magdalena, quæ Puellam abduxit, est illius Avia Paterna, cui potiori jure debita erat Neptis educatio, *per Text. in auth. Matri, & Aviæ C. quando Mul. tut. off. fung. pot.*: abductio facta est occasione transitus Francisci ad tertia vota cum Magdalena Rovira, ut hæc ipsa fatetur in suo examine; Et Franciscus siluit per integrum quadriennium post Neptis abductionem, nec excitatus est, nisi ut everteret conjugium rite contractum, & fere per biennium servatum cum individua Conjugum consuetudine.

Unde judicandum erit ab EE. VV.

I. *An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.*. & quatenus affirmative.

II. *An & in quo loco collocanda sit Margarita Collell, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. provisum in primo.

VITERBIEN. DOTIUM. Dominicus Guglielmini in Testamento, quod in Oppido Balneariæ condidit die 4. Julii 1728., Hæredem usufructuariam instituit Sentiam Uxorem suam, præcepitque, quod -- *essendoci qualche Zitella nata dalle Sorelle carnali di detto Testatore sino al quarto grado da Marito, debba la detta Donna Senzia dargli a dette Zitelle scudi cento per ciascheduna delli frutti della detta Eredità: e non essendoci frutti, possa darle delli Censi, o Stabili dell' Eredità, come meglio ci è l' accordo* -- Aliud reliquit dotium legatum Puellis consanguineis ipsius Sentiæ Uxoris, eam gravando, quod -- *ancora essendoci Zitelle nate di Sorelle, e Fratelli carnali di detta Donna Senzia da Marito, le debba dare per Dote scudi cinquanta per ciascheduna: ma questi scudi cinquanta li debba dare delli frutti dell' Eredità, e non altrimenti* -- Et in concursu Puellarum utriusque cognationis, voluit Testator, quod -- *sempre siano preferite quelle Zitelle delle sue Sorelle carnali, come di sopra.* *Sess.22. cap.8. de Ref.*

Post obitum vero Sentiæ Uxoris, vel in casu ejus transitus ad secunda vota, substituit in hæreditate, suosque Hæredes nominavit Presbyteros Curatos, qui tres erant, Ecclesiæ Parochialis S. Joannis Oppidi Balneariæ, illorumque pro tempore successores: repetito onere *di Maritare le Zitelle, come di sopra*; Et hoc addidit quoad dictos substitutos, ut ipsis non liceret -- *sminuire cosa alcuna di detta Eredità, ma si facci il Maritaggio delli frutti, se ci saranno* -- Duo etiam videtur Testator separasse tempora, durationis nempe quatuor graduum contemplatorum, & illorum extinctionis. Primo enim edixit -- *E non essendoci Zitella veruna da Marito ne dell' uno, ne dell' altra, li*

frutti subito si debbano mettere a Censo, ed ammassarli colla detta Eredità -- Indeque subjungit -- *che finiti li gradi come di sopra dell' uno, e dell' altra, li detti RR. Preti Curati scieglino dieci Zitelle delle più povere della Terra, e quanto frutto sarà di detta Eredità, cavino a sorte tante Zitelle, con darle scudi cinquanta per ciascheduna: e questo si faccia ogni anno nel giorno del Santissimo Corpo di Cristo doppo celebrata la Santissima Messa grande.*

Et casum prævidens restitutionis Dotium, mandavit -- *che delle sue, quanto ancora della sua Moglie, restituiscano la metà della Dote, quali averanno ricevute: e quelle mettere a Censo insieme colla massa dell' Eredità* --; quoad alias vero Puellas sorte eligendas -- *doppo finite le due Generazioni, come di sopra*, præcepit, quod in restitutione Dotium servarentur Statuta Oppidi, fieretque investimentum in censibus, ut supra. Consuluit tandem rectæ suorum bonorum administrationi; & injuncta Curatis substitutis confectione inventarii, illis tribuit facultatem alienandi stabilia pro eorum arbitrio, & investiendi pretium in Censibus commodo Hæreditatis: constituitque pro illorum labore stipendium scuti unius *per uno l' anno di detta Eredità, e non più*; Et Exactorem eligi jussit, hac lege, *che riscuota, e tenghi cura delli frutti di detta Eredità: ed ogni anno li detti Reverendi Preti Curati riveggbino li conti: e per sua mercede li diano scudi quattro l' anno di moneta.*

Defuncto Testatore, & purificata substitutione, suscepta fuit a Presbyteris Curatis Hæreditatis administratio. Sed in postrema Visitatione Pastorali visum est Eminentissimo Episcopo Viterbiensi, officium ex fide ab illis non impleri, & plures irrepsisse abusus. Duo enim cum sint Parochi, tertio suppresso, tria nihilominus percipiunt scuta quolibet anno, præter julios quinque pro confectione Indicis, quem vacant *il Tabbellino*. Exactori tradunt annua scut.20. pro mercede tenuis exactionis annuorum scut.160. circiter, licet in Civitate Viterbii, Locisque finitimis consueta merces similium exactionum statuatur ad rationem scut.4. pro quolibet centenario. Computorum revisionem negligunt, adeout ultimi Exactoris reliquatus ascenderet ad scuta fere octingenta, pro quibus opus fuit acceptare obligationem repartitæ solutionis in annuas ratas. Onus annuæ præstationis scut.70., quibus jussu san. mem. Clementis XII. taxata fuit Hæreditas erga Hospitale Projectorum Viterbii, nec redimere curarunt, cedendo capitalia æquivalentia, ut factum est a plerisque Locis Piis pari onere gravatis: nec statuto tempore adimplerunt; quadere sæpe Commissariorum subeunt expensas, & binos census passivos singulos capitalis scut.50. imponere coacti fuerunt. Aureos quindecim dispserserunt in litibus temere susceptis anno 1724. contra Magdalenam Antonini, & Felicitatem Polidori, ut eis denegarent subsidia dotalia per Curiam Episcopalem decreta. Et posthabitis ipsius Testatoris Consanguineis pauperibus, & adhuc in quinto gradu existentibus: subsidia arbitrarie largiuntur Consanguineis Sentiæ Uxoris

ris Guglielmini Teſtatoris, quæ ab anno 1709. uſque ad annum 1756. in numero quadraginta quatuor prælectæ aſſeruntur ex primis Balneariæ Familiis, licet non verificata illarum propinqiutate intra quartum gradum.

His malis cupiens occurrere Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis preces obtulit etiam Puellarum nomine huic Sacræ Congregationi, quibus poſtulabat, ut opportuna methodus in poſterum ſervanda ſtatueretur. Et datis de more Literis ad Eminentiſſimum Epiſcopum, ab eo auditi fuerunt Parochi, qui ſcripto reſponderunt, nullam ſubſtinuiſſe litem expenſis Hæreditatis, niſi contra Sorores Menicucci, quæ in Curia Epiſcopali, & in hac S. Congregat. rejectæ ſunt anno 1717., & 1718.: tertium aureum juſte repartiri inter Curatos ſuperſtites, quibus auctus eſt labor tertii Collegæ ſuppreſſi anno 1649.: grave non videri emolumentum obulorum 75., quod ipſi percipiunt in reviſionibus computorum, pro quibus Anteceſſores Epiſcopi mercedem Ratiocinatoribus ſtatuerunt ſcut. 18., aut 20., & etiam ſcut. 45.: ſalarium Exactoris auctum fuiſſe decreto ipſius Curiæ Epiſcopalis anno 1697. (cujus tamen authographum non reperiri in Archivio Epiſcopali teſtatur Eminentiſſimus Epiſcopus): & ſolutionem debiti ultimi Exactoris conventam fuiſſe in ratis, annuente ipſo Eminentiſſimo Epiſcopo.

Tranſmiſit Eminentiſſimus Epiſcopus Folium a Parochis exhibitum; & referens ea omnia, quæ ſupra expoſuimus, ſuam aperit animi ſententiam, quod expediat pro recta Hæreditatis adminiſtratione leges condere, & ſanctiones menti Teſtatoris accommodatas, illiſque ſtatuere ſalarium Exactori, ſeu Œconomo præſtandum ad rationem ſcut. 5. pro quolibet centenario, propter alios labores ultra exactionem eidem Œconomo incumbentes: Parochorum ſtipendium præfinire in annuo ſc. 1. pro quolibet, juxta legem Teſtamenti, cum onere annuatim revidendi computa Exactoris, acceptaſque rationes Epiſcopo deferendi, ut valeat & rationes iterum diſpungere, &, comperta Exactoris fraude, illum removere, novique electionem cum idonea fidejuſſione demandare: Hæreditatem a dicta præſtatione annua ſcut. 70. erga Hoſpitale Projectorum liberandam decernere, vel capitalium ceſſione, vel pecunia etiam per impoſitionem cenſuum comparanda, ea lege, ut, ſub anathematis pœna contra Eccleſiæ bona alienantes impoſita, rata fructuum juxta vires hæreditatis determinanda deponatur in Monte Pietatis Viterbii pro impoſitorum cenſuum redemptione: Et id ipſum præcipere pro extinctione cenſus ſcut. 1000. dudum impoſiti favore Joannis Evangeliſtæ Viglioni, & eidem Hoſpitali Projectorum poſtea obventi.

Quoad Dotes vero declarandum fore inſinuat, Puellas Teſtatoris cognatas, quæ in Curia Epiſcopali probaverint, earum Proavias nuptas fuiſſe ante conditum Teſtamentum, licet in quinto gradu diſtent ab illius Sororibus, admittendas eſſe ad participationem ſubſidii, pro quantitate ſaltem ſcut. 50. relicta Puelli-

omnino extraneis, quibus congruit Testatoris consanguin eas etiam remotiores præferre ; præsertim, cum non sit verisi mile, Testatorem in quatuor contemplatis gradibus computasse Sororum suarum filias jam nuptas tempore conditi Testamenti : Cognatas autem Sentiæ Uxoris, nonnisi cum Extraneis, sine ullo prælationis jure, concurrere posse, quatenus polleant requisitis a Testatore præscriptis, quia de illis quartum gradum nequaquam Testator expressit, ut apparet ex originali Testamento, licet in copia a Parochis exhibita, post verba -- *essendoci Zitelle nate di Sorelle, e Fratelli carnali di detta Donna Senzia* -- addita videantur in margine, hæc alia -- *sino al quarto Grado* -- quæ desunt in originali : Et pro Extranearum concursu, determinandum esse Dotium numerum, juxta quantitatem reddituum debita superantium, & præscribendam esse electionem decem pauperiorum Puellarum Oppidi per Curatos faciendam, cum extractione peragenda in Curia Viterbiensi ad evitandas omnes fraudes, quæ fortasse contingere possent; servata in reliquis, quoad fieri poterit, Testatoris mente.

æc sententia est Eminentissimi Episcopi. Ponderandum tamen num rejectio prælationis quo ad solasSentiæ neptes volita abEminentissimo Episcopo sit consentanea menti Testatoris, ex quo sepositis etiam superadditis verbis -- *sino al quarto grado* --, adhuc dispungi non potest ex testamento conjectura voluntatis elicita ex successiva parte conditionali præseferente verba -- *finiti li quattro gradi come disopra dell' uno, e dell' altra* -- quæ innuere valet tam suas, quam Uxoris consanguineas usque ad quartum gradum predilexisse. Superest nunc ut ab EE. VV. definiatur.

An, & quomodo sit exequendum legatum Dotium relictum a Dominico Guglielmini, in casu &c.

Dilata, & dentur dubia.

Sess. 14. cap. 7. de Refor.

VIRDUNEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Sacerdos Joannes Baptista Herbellet Rector Parochialis Ecclesiæ *de Tebil* in Gallia, die 7. Septembris 1746. percussit lethali vulnere in oculo Jacobum Barrè Parochianum suum, qui post quatuor dies occubuit. Querelam Occisi Uxor detulit ad Judicem Laicum ; is, auditis Testibus, jussit, Reum apprehendi ; sed Occisor patrati criminis veniam a Serenissimo Galliarum Rege impetravit. Preces inde obtulit san. mem. Benedicto XIV., quibus postulabat, secum ab incursa irregularitate dispensari quoad Ordines, & Beneficia : causatus, baculo Jacobum percussisse haud occidendi animo, sed illius ut averteret percussionem ligno comminatam.

Precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, auditus est Episcopus, qui die 24. Decembris 1747. retulit, nequaquam constare, quod Jacobus ligno minatus esset lædere Oratorem : verum ex Testibus coram Judice Laico examinatis evinci, quod Orator ægro ferens animo vulnus mane inflictum Patri suo a quo-

quodam Famulo Jacobi, & injurias ab eo, ejusque Familia jampridem acceptas, cum sero domum rediret, occurrentem sibi eundem Jacobum conviciis primum corripuit, mox, orta rixa, illum *non quidem ex industria, & Homicidii animo, sed præter ejus intentionem* lethali vulnere in oculo percussit, ex quo Jacobus quarto postmodum die vita functus est. Putabat vero Episcopus, dignum videri Oratorem petita dispensatione, ut Pastorali officio demum fungi posset; Sed preces nihilominus rejectæ fuerunt.

Decies iterum supplicavit Orator, semperque inutiliter, licet suas adjunxerint preces Ordinarius anno 1751., Vicarius Generalis anno 1753.,&Vicarii Capitulares Sede vacante anno 1754. qui plurimum insuper commendabant obsequium Oratoris Constitutioni *Unigenitus*, cæterisque Ecclesiæ judiciis dogmaticis, & honestos mores post patratum homicidium servatos: & Vicarii Capitulares testati sunt, eum nihil præter Beneficium curatum *de Theil* aliunde habere, quo victum percipere possit: atque insinuabant, hac tantum lege cum eo dispensandum, *ut numquam in sua dicta Parochia celebret, dictumque Beneficium saltem commutet cum altero alibi sito*.

Pietatem Oratoris commendat quoque Decanus Parochorum. Et hodiernus Episcopus Literis suis datis de mense Majo præterito testatur, eum in meliorem sese recepisse frugem, illum exacte sacris interesse, & Sacramentorum usu frequenti vitam meliorem, & sanctiorem effecisse, nihilque præter dictum Beneficium aliunde habere, ut victum percipere possit: Concludit demum his verbis -- *Qua propter, cum pœnitentiam per decem annos, & amplius delicti sui exegerit, & de commisso per errorem homicidio plurimum condoleat, speramus fore, ut benigne a Sancta Sede Apostolica audiatur, & dictæ irregularitatis suæ dispensationem obtineat, ea lege tamen, ut d. Parochiale suum Beneficium commutet cum altero*.

Novo hujus testimonii præsidio adjutus Orator,clementiam rursus EE. VV. implorat pro exoptata dispensatione, quam differit, post longam quatuordecim annorum pœnitentiam, denegandam non esse Presbytero jam ordinato, & egeno, qui homicidium non voluntarie, sed casu, & præter intentionem commisit in rixa, quæ adimit deliberandi consilium, cum baculo regulariter non apto ad occidendum, & in calore iræ, ob vulnus Patri illatum. Porro ipsum Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.*14. *cap.*7. *de Ref.* distinguit homicidium voluntarium a casuali; & in homicidio voluntario præcipit, ut homicida *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat*: secus vero quoad homicidium casuale, dum pergit -- *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris*

mini-

ministerium, & Beneficia quæcumque, & Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur: committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, ac probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.

Voluntarium autem dici non posse homicidium contendit Orator, cum percussio facta sit calore iracundiæ in rixa, & levi baculo, præter animum occidendi, licet animus nocendi intervenisset: Nec obstare *cap. quia te 50. dist.* ubi sancitum est, quod *si ira Presbyter commotus aliquem interfecerit: etsi animum occidendi non habuerit: perpetuo tamen depositus erit*; cujus dispositionis ratio affertur in *cap. Studeat §. Quod si d. dist.* 50. -- ibi -- *Quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen, & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, & præcipue in Dei Ministris multipliciter inhibetur, atque damnatur*; quia subdit Orator, in his terminis irregularitatem contrahi non tamquam ex homicidio voluntario, sed magis ex homicidio culposo, & ideo ejus reatum venire haud posse sub censura Sacri Tridentini Concilii perpetuo ab Altari, & Beneficiis arcentis Reos homicidii voluntarii.

At quatenus etiam reputandum esset homicidium voluntarium, nihilominus, inquit, locum habere non posse Sanctionem Conciliarē de perpetua exclusione a ministerio Altaris, quia res est de Presbytero Ordinato, non autem de Ordinando, juxta declarationes hujus Sacræ Congregationis relatas per *Fagnan. in Capitul. Henricus de cleric. pugnant. in duello n.* 34., & *Fargn. de jurepatr. part. 1. canon. 5. cas. 11. num. 67. §. Quod procedit.* Et ideo post quatuordecim annorum pœnitentiam meruisse putat dispensationem quoad Ordines, & fortius quoad Beneficia, pro quibus venia facilius indulgetur; ut disponitur in *d. cap. Studeat §. Fin. distinct. 50. & in cap. Henricus in fin. de Cler. pugnant. in duello.*

His stantibus poterit ab EE. VV. definiri.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo super dispensatione ab asserta irregularitate, in casu &c.

Affirmativè post dimissam vel permutatam Parochiam cum alio Beneficio non Curato & dummodo non celebret in loco commissi delicti, & amplius.

Sess. 22. c. 6. de Ref.

AQUEN. ERECTIONIS CAPPELLANIÆ. Canonicus Carolus Antonius, & Constantinus Nicolaus Fratres Marenchi in Testamento, quod simultanee condiderunt anno 1740., Hæredes in usufructu sese ad invicem instituerunt: & electa sepultura apud Ecclesiam PP. S. Francisci Civitatis Aquensis, mandarunt post utriusque obitum distrahi mobilia, pretiumque investiri in Capitalibus, quorum redditus, cum aliis provenientibus ex bonis Hæreditariis, pergunt, *si dovrà erogare in far celebrare tante Messe, detratti li carichi, e la parte Colonica, in suf-*

suffragio della nostra anima in perpetuum agli Altari privilegiati: Et hujus piæ voluntatis exequutionem commiserunt Comiti Alberto Lupi, ejusque Filiis, & Descendentibus Masculis, & Canonico Archidiacono Joanni Dominico Thea, Filiisque Octavii Thea ejus ex Fratre Nepotis, quos exorarunt *ad avere ogni attenzione, che sia adempita la suddetta nostra volontà per formare d. Capitale, e con il reddito di questo assieme alli frutti, che si caveranno da d. Beni, puntualmente siano celebrate tante Messe in perpetuum, come sopra, con la solita elemosina manuale*.

Defunctis Testatoribus, Exequutores anno 1746. supplicarunt san. mem. Benedicto XIV. pro erectione perpetuæ Cappellaniæ unius Missæ quotidianæ ex Bonis hæreditariis facienda, de ipsorum jurepatronatus, in publico Oratorio Confraternitatis Sancti Josephi d. Civitatis. Et remissis precibus ad hanc S. Congr. auditus fuit Episcopus, qui tunc præerat Ecclesiæ Aquensi, qui retulit, Exequutores Testamentarios nondum expresse munus acceptasse: in Oratorio S. Josephi nullum adesse Altare privilegiatum: Hæreditatem pluribus oneribus, & litibus esse obnoxiam: & agnita exequutionis Testamenti difficultate, insinuabat, ut munus Exequutoris Capitulo injungeretur, cum facultate eligendi de consensu Episcopi unum, vel plures Administratores, & ex fructibus celebrare faciendi in Cathedrali tot Missas certis designatis horis, juxta numerum ab Episcopo, & Canonico Capituli Deputato taxandum. Quapropter in Congregatione habita die 28. Jan. 1747. rescriptum fuit -- *Lectum, & Episcopus mandet quamprimum firmari statum hæreditarium activum, & passivum, illumque transmittat; & quatenus Oratores, prævia judiciali intimatione, munus Exequutorum acceptare nolint, alios deputet sibi benevisos arbitrio S. Congregationis: interim vero nonnullas celebrari curet Missas ad Altaria privilegiata in suffragium animarum Testatorum*.

In sequelam itaque hujus rescripti, expresse munus Exequutorum acceptarunt Comes Lupi, & Archidiaconus Thea: obtentoque Apostolico indulto anno 1749., ut sive in dicto Oratorio S. Josephi, sive in alio quocumque loco ad eorum arbitrium celebrarentur Missæ, par suffragium deberent animæ Testatorum assequi, ac si essent celebratæ apud Altare privilegiatum: Missas fructibus Hæreditatis correspondentes hucusque celebrari curarunt; Atque insuper Transactionem de consensu Ordinarii anno 1754. iniverunt cum Clara Castelli, cui cessa fuit quarta pars Hæreditatis cum respectivis oneribus; & sublatis litium anfractibus, statum hæreditarium firmarunt, quo apparet Hæreditatem pluribus corporibus, variisque creditis constitui, in Territorio Aquensi, & Oppido Ponzoni existentibus, & esse annui redditus sc. 162. 39., gravatamque oneribus annui valoris sc. 62. 40., non computato salario Œconomi, seu Administratoris: itaut remaneant in statu activo annua sc. 99. 99.

Omnibus autem adimpletis, preces renovarunt Exequutores Testamentarii pro erectione Cappellaniæ in Oratorio S. Josephi, impe-

impetrato ad hunc effectum consensu Confraternitatis in illo erectæ. Et hodiernus Episcopus a S. Congregatione auditus postulationi non resistit, ut Cappellani vigilantià tutius occurratur conservationi Bonorum, quæ disperdi facile possent negligentià futurorum Exequutorum nullum lucrum ex hæreditate percipientium; putat vero, ut præter Missam quotidianam a Rectore beneficii erigendi in dicta Ecclesia S. Josephi celebrandam, onus eidem imponatur tradendi stipendium alteri Sacerdoti, qui Sacrum pro animabus Testatorum offerat in Ecclesia Cathedrali post Missam Conventualem omnibus diebus Festis, & post Conciones, & Processiones ibidem in decursu anni fieri solitas, ad Populi commoditatem: utque anniversaria die mortis cujuslibet Testatoris, vel, si impedita est, in alia die subroganda, Sacra viginti peragantur pro singulorum anima, præter Missam solemnem de Requie in Ecclesia eorum sepulturæ: & biduo post diem omnium defunctorum duplex Solemne Officium funebre celebretur in Oratorio S. Josephi, cum Missis, & definito cereorum numero, cum *in præsentiarum Beneficii erigendi redditus satis, superque idoneus ad omnium præmissorum onerum exequutionem videri queat*.

Causà nunc proponitur tribus collecta capitibus. Et disputant Oratores, petitæ erectioni Cappellaniæ annuendum esse pro necessaria Bonorum conservatione, ne futurorum Exequutorum negligentià deteriorentur, vel disperdantur, maxime ob eorumdem multiplicia corpora inter se admodum distantia; & plurima debitorum nomina exiguæ quantitatis, quæ exactissimam requirunt vigilantiam nonnisi a Cappellano, ratione proprii lucri, præstandam; utilem quoque defendunt Cappellaniæ erectionem, qua certus statuitur suffragiorum numerus injurià temporis, & tempestatum vicissitudine non minuendus.

Conveniunt porro non de omnibus oneribus insinuatis ab Ordinario, sed de Missa quotidiana, duplici anniversario, & alia Missa perpetuo celebranda in Cathedrali post Conciones, & supplicationes in decursu anni ibidem fieri solitas; quarum eleemosynis addendum inquiunt stipendium pro utensilibus. Proponunt quoque animadvertendum, quod in casu non erectionis Cappellanię urgeret necessitas constituendi salarium Œconomo præstandum saltem in annuis sc.24. pro cura bonorum, quam Exequutores nullum percipientes lucrum ab hæreditate gratuito ferre non debent, ad tradita per *Amostaz de Caussis piis tit. de Missis, & earum stipend. cap.*4. *n.*39. *& seq.*; itaut ex hac salarii detractione, diminuto redditu, imminutionem pateretur etiam numerus Missarum celebrandarum ad rationem eleemosynæ manualis; Et Missæ, quæ ex residualibus fructibus celebrari possent servata testatorum voluntate, facile perequarent eam Sacrorum quantitatem, quæ adimplenda proponuntur ab Episcopo in casu petitæ erectionis Cappellaniæ. Unde ob concurrentem necessitatem, & probabilem utilitatem facile commutandas esse ultimas voluntates prætendunt, ex mente etiam S. Concilii Tridentini *Sess.*22. *cap.*6. *de Ref.*

Et

Et quatenus ad erectionem Cappellaniæ deveniendum sit, improbandam non esse autumant destinationem Oratorii S. Josephi, cujus Confratres assentiuntur, & cujus Altaria pro privilegiatis habenda sunt vigore recensiti indulti Apostolici: ipsisque contendunt denegandum non esse juspatronatus, cum habeant a Testatoribus ipsis facultatem eligendi Cappellanos. Licet cæteroquin advertendum videatur, hujusmodi facultatem non tribuere Oratoribus eas omnes prærogativas, quas præseferret concessio jurispatronatus. Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

I. *An sit locus erectioni Cappellaniæ in Ecclesia S. Josephi de Jurepatronatus Exequutorum Testamentariorum pro tempore, cum onere Missæ quotidianæ a Cappellano celebrandæ per se, vel per alium, in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An, & quæ onera sint Cappellano injungenda ultra d. Missam quotidianam, in casu &c.*, & quatenus non sit locus erectioni d. Cappellaniæ.

III. *An, & quale stipendium sit assignandum Œconomis ab iisdem Exequutoribus Testamentariis deputandis, in casu &c.*

Ad I. Negativè & amplius. Ad II. provisum in primo. Ad III. Affirmativè arbitrio Episcopi.

Die Sabbathi 23. Aug. 1760. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

VICEN. PAROCHIÆ DE LIUSSANO. Dedimus speciem hujus Causæ in Folio Congregationis habitæ die 12. Januarii currentis anni, iterumque illam descripsimus in Folio Congregationis habitæ die 12. præteriti Mensis Julii, sed cum proposita non fuerit; suam nunc renovant instantiam Parochus, & Populus Parochiæ de Llussano, ut a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Barchinonensis, cui unitus est Prioratus S. Mariæ olim habens Curam habitualem, & jus decimandi, stipendium constituatur Sacerdotibus Coadjutoribus, qui deputandi sunt in Ecclesiis Filialibus *S. Christophari de Borraces, & S. Eulaliæ de Podio Oriol*, ob locorum distantiam, asperitatem viarum, & Populi augumentum, ut late expositum est in primo dicto Folio, quod Eminentissimi PP. reassumere dignabuntur.

Sess. 21. cap. 4. de Ref.

In libello autem Capituli Barchinonensis ad manus circumferendo excipitur, vel nullam urgere causam deputandi Cappellanos Coadjutores, vel esse deputandos sumptibus Parochi Actoris, non autem Capituli, ad formam transactionis inter Parochum, & Priorem celebratæ anno 1574., quæ fuit incontinenti approbata per Curiam Episcopalem, & post longam 186. annorum intercapedinem roborata defenditur præsumpta confirmatione Sanctæ Sedis, cujus beneplaciti fuit expressa in Instrumento facta mentio, & reservatio. Ad causam porro excludendam novæ deputationis Cappellanorum disputat Capitulum, quod locorum distantia, & asperitas viarum adeo grave incommodum non afferant Rusticis Hominibus, ut oporteat constituere Filiales Coadjutorias, ad firmata *per Rotam in decis.*240. *n.*4. *cor. cl. me. Card. Tanara*, *& in Burgen. Parochiæ Auxiliaris* 20. *Aprilis* 1742. §. 9. *cor. cl. mem. Card. Calcagnin.*: quodque eadem incommoda, præsertim quoad Ecclesias S. Eulaliæ, & S. Christophari dudum Filiales Ecclesiæ Prioralis, adessent etiam de tempore initæ transactionis, in qua fit mentio de *paupertate Parochianorum illarum*, *eo quia paucissimi sunt numero*, *nempe quatuor vel quinque*, *siti in terra montuosa*, *& nemorosa*, *ac deserta*, *ubi in dies frequentantur facinorosi Homines*, itaut pro causa haud nova, sed antiqua, constituendi non sint Cappellani, quibus opus non esse, duorum ferme seculorum experientia comprobavit, ut observat *Rota in decis.*240. *n.*4. *& decis.*249. *n.*3. *cor. Tanara*.

Et Populi augumentum, licet probatum dici velit Episcopi testimonio, vel Testium depositione, qui affirmant, bis centum viginti Parochianorum Animas computatas fuisse usque ad annum 1625., triginta quatuor Domos inhabitantes: modoque numerari septingentas Animas, in octogintaquatuor Familiis sparsim per Territoriũ distributas; nihilominus defendit Capitulũ, vix justam causam præbere valuisse deputationi unius Coadjutoris, quo nunc utitur Parochus, non autem exigere, ut novæ constituantur Coadjutoriæ, ad quarum erectionem deveniendum non est, si numerus Parochianorum non sit talis, quod Rector cum uno Coadjutore in administratione Sacramentorum non possit supplere, juxta firmata per *Rotam in Marsicana dismembrationis fructuum apud Garz. de benef. par.*12. *cap.*3. *n.*4.

Minusque insufficientiam unius Coadjutoris probari autumat ex iis, quæ in Parochianorum precibus exponuntur, & Episcopi testimonio confirmantur, Filiales a Matrice disjunctas esse longis, præruptisque itineribus, Fluvioque intermedio hybernis mensibus impervio; itaut degentes sub Filialibus Ecclesiis plerumque diebus Festis nequeant Sacrum audire: Puerique, & Puellæ crescant sine Christiana eruditione, & quod pejus est, aliqui ex dd. Suffraganeis ob distantiam Parochi decesserint sine Sacramentis. Negat enim hæc vera esse, vel certè inquit non accidisse post Coadjutoris assumptionem: Et quatenus revera subsisterent, defendit, non prodesse ad perpetuas Coadjutorias instituendas, cum valeat Parochus occurrere, temporaneos Adjutoros assumendo hyberno

tem-

tempore, ut docent *Panimol. annot.2. ad dec. 15. n.29. & Rota dec.51. num.6. post Zacch. de Salar.*

At sive temporaneos, sive perpetuos constituere opporteat Coadjutores, subjungit Capitulum, stipendium illis tribuendum esse ab uno Parocho actore, qui possidet Cappellaniam, sive Beneficium Curatum sub invocatione S.Margaritæ erectum in Ecclesia Prioratus, *& uti ipsius Cappellanus ab antiquo tempore est obnoxius, & habet curam Animarum Ecclesiæ d. Prioratus Monasterii. ac Parochianorum Ecclesiarum de Llussano, & S.Petri del Gran, & Sancti Clementis Duariba, & S.Quirici della Torre de Spar*, ut legitur in præfata transactione anni 1574.:cuique per eandem transactionem Prior cessit *totam illam Curam Animarum, & onus illius, quam, & quod d. suus Prioratus, & Monasterium, ipseque ejus nomine habet, & tenet prædict. Ecclesiarum suffraganearum Ecclesiæ d. sui Monasterii, S. Eulaliæ de Puigoriol, & S. Christophari de Borraces d. Diœcesis Vicen, necnon omnia, & singula Emolumenta, & commoda, tam comestionum, sive meniars, oblationum, anniversariorum, & jurium Sepulturarum Ecclesiarum prædictarum: Et totum jus, & quidquid, & quantum juris habeat, sibi, dictæque ejus Monasterii Ecclesiæ competat, & de cætero competere possit, & valeat in & ad prædicta, tam vigore d. Curæ, quam aliàs quibusvis rationibus, sive Causis &c. ita, & taliter, quod d. Franciscus Gonfaus, & d. sua Cappellania, & sui in ea Successores in jure, & ad jus prædictum d. auctoritate subrogentur, & admittantur.*

Ex hoc enim infert, omnem Curam actualem, & habitualem residere penes Cappellanum, sive Beneficiatum S. Margaritæ, tum in Ecclesia Parochiali ex primæva d. Cappellaniæ institutione, tum in FilialibusEcclesiis vigore cessionis contentæ in transactione, ut innuere prætendit recitata verba. Idque putat manifestius comprobari duplici argumento; tum quia scilicet Prior expresse convenit in transactione, quod ipse tempore suæ residentiæ *Celebrare valeat omnes Missas Conventuales, & præferatur in omnibus, & per omnia, in omnibus præeminentiis, & admissionibus Ecclesiæ d. Monasterii*, & post transactionem exercuit jus nominandi Parochum: itaut Cura habitualis, & quidquid aliud ad certum tempus tantum reservatum legitur, eo elapso censeatur in Parochum fuisse translatum; tum etiam quia progressu temporis Parochia libere consuevit provideri per Datariam, vel Ordinarium prævio Concursu, quod non leve argumentum est totalis Curæ actualis, & habitualis Parocho competentis, ut hæc omnia firmari asserit per *Rot. in Imolen. Vicariæ super Petitorio* 11. *Maii & 10. Decembris* 1759. *coram R. P. D. Herreros*.

Onus itaque præstandi Salarium Coadjutoribus in ipsum Parochum actorem refundit, ob curam habitualem ei competentem, ex deductis per *per Rotam in Asculana contributionis Congruæ* 28. *Aprilis* 1755. §. 2. *coram Eminentissimo Elephantutio*. At multo fortius gravari, contendit, Parochum hoc onere vigore d. transactionis, in qua cessa illi fuerut emolumenta Curæ, aliaque sti-

pendia, quorum intuitu ipſe *promiſit, ſe debitum ſervitium per ſe, & ſuos idoneos Presbyteros a cætero facere, & eiſdem Eccleſiis impendere ſuis laboribus, & expenſis, & ſumptibus alimentare, atque alia adimplere, ad quæ ratione ejus Cappellaniæ ſit obligatus*. Ideoque Popul: actionem pro habendis Sacris Miniſtris dirigendam fuiſse, putat, contra Parochum ſpeciali contractu obligatum Coadjutores ſuis expenſis conducere; & quatenus Parochi congrua non ſufficiat, ſupplendum eſse ab ipſo Populo, ut firmat *Barboſ. de offic. & poteſt Epiſcopi p.3. alleg.63. n.15. in fin.*

Neque gravari ſe poſse autumat Capitulum, ratione Decimarum, & Primitiarum, quas percipit in Parochia de Lluſſano, & quas parum excedere annuas mille libras Barchinonenſes probare nititur vigore Inſtrumenti locationis factæ anno 1749. Exhibet namque vetuſtiſſimum Inſtrumentum ſtipulatum anno 1370. quo conſtat, Priorem Monaſterii S.Mariæ *ab antiquo* percipere conſueviſſe tertiam partem *in decimo Parochiarum Eccleſiarum S. Eulaliæ de Podio Oriol, & S. Chriſtophari de Borraces ſuffraganearum Monaſterii, & Manſorum etiam de Turri, de Ceſparra Parochiæ Monaſterii ſupradicti, unacum Primitia totius decimi omnium, de quibus dari debet decima*: & duas alias tertias partes dudum poſſeſſas a Dominis Caſtri de Lluſſano jure Feudi illis conceſſi ab Eccleſia, & Epiſcopo Vicenſi, acquiſitas per Monaſterium fuiſſe titulo emptionis ſub annuo canone pendendo Curiæ Epiſcopali in recognitionem directi Dominii. Quocirca pro Decimis, quas percipit non jure Parochiali, ſed jure Feudi, minime arbitratur teneri ad Salairum Coadjutorum, quod a ſolo Parocho præſtandum eſt, ex firmatis per *Rotam in Pampilonen juriſpatronatus, & Præeminentiarum 16. Junii 1755. §. fin. cor. Rmo P. D. de Canilliac., & 11. Maii 1759. §. 21. cor. R. P. D. Frangipane, & 13. Junii currentis anni §. fin. cor. R. P. D. Ratta*.

Verum advertendum, quod præſatum Inſtrumentum anni 1370. non videtur comprehendere omnes decimas totius Parochiæ, ſed duarum filialium tantum: quodque in locatione an. 1749. enunciatur altera tranſactio cum Parocho, ſeu Vicario perpetuo de Lluſſano inita anno 1709. ſuper emolumentis ei præſtandis per Capitulum. Hiſque perpenſis dignabuntur EE. VV. judicare, num juſta ſit poſtulatio Vicarii Curati, ac Parochianorum de Lluſſano, & an ſe valeat ſubtrahere Capitulum a prætenſa ſubminiſtratione congrui ſtipendii pro novis Presbyteris Coadjutoribus in Eccleſiis ſuffraganeis conſtituendis, & definire.

An ſint deputandi Sacerdotes pro ſervitio Parochiæ, & cujus expenſis, in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem in reliquis dilata & Coadjuventur Probationes juxta Inſtructionem Domini Secretarii.

MACERATEN. APERITIONIS ORIS. Species hujus Causæ repetenda est ex Folio Congregat. habitæ die 22. Sept. superioris anni, in qua proposita fuit Causa, & prodiit rescriptum -- *Dilata, & ad Mentem, & scribatur Episcopo Viciniori*. Datæ idcirco fuerunt literæ ad Episcopum Camerinensem præælectum vigore alterius rescripti editi die 8. Martii currentis anni, qui Maceratam adventus, Peritiam efformari curavit super statu Ecclesiæ Cathedralis, viresque scrutatus est piorum Legatorum *Ulissi*, & *Accursi*: & illorum rationes cum Peritia transmittens, retulit -- *Inspexi ocular iter, tam pia legata superextantes habere redditus, super quibus variæ pendent prætensiones: quàm Ecclesiam, & Episcopium reparatione indigere*. *Sess. 7. c. 8. & Sess. 21. c. 7. de Ref.*

Instat itaque Communitas Maceratæ, Causam pro aperitione oris definiri; quia ex nova Peritia jussu S. Congr. confecta resultat, Ecclesiæ Cathedralis restaurationes modicam exigere impensam sc. 350., quibus occurrendum esset, vel de quarta reddituum Episcopatus, ut per *Textum in can. quatuor* 12. *q*. 2. docent *Barbos. de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 64. *sub n.* 5., *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.* 13. *n.* 16. *& seq.*, vel ope mediæ annatæ fructuum omnium Canonicatuum, & Beneficiorum, quam pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis instituendam edixit Episcopis Italiæ S. M. Benedictus XIII. in sua Constit. *Pius, & misericors la* 59. *in Bull. nov. typis Mainard. tom.* 11.

Et ideo putat, non verificari gravia illa damna, quæ relata fuerunt S. M. Benedicto XIV., & quorum intuitu Summus ille Pontifex asseruit in suo Chirographo, quod motu-proprio signavit, Ecclesiam Cathedralem reperiri *in stato rovinoso*. Ac propterea corruente supposito, defecisse quoque censet voluntatem Pontificis, qui alioquin veritate præcognitâ non demandasset, novam ædificari Cathedralem in opposita, & dissita Civitatis Regione, cum maximo Parochianorum incommodo: & in eam cæteroquin inutilem causam erogari pium legatum Canonici Ulissi, cum evidenti Pauperum detrimento, in quorum levamen relictum fuit pro erectione Montis Pietatis; cum non soleant piæ Morientinm voluntates a Summo Pontifice commutari, sine justa, rationabili, & necessaria causa publicæ utilitatis, ut cohærenter ad censuram Sacri Conc. Trid, *sess.* 22. *c.* 6. *de Refor.* probant *Fagnan. in cap. relatum n.* 36. *ne Cler. vel Monac.*, *Monet. de Commut. ultim. volunt. cap.* 6. *n.* 26., *& Rota in Romana, seù Bononien. Collegii* 24. *Martii* 1732. §. *Secluso cor. clar. mem. Card. Aldrovando*.

Precibus Communitatis Maceratæ adhærent etiam Cappellani *Accursi*, ne priventur ea Hæreditatis parte, quæ, tamquàm nulli usui per Testatorem destinata, in Chirographo applicatur Fabricæ novæ Cathedralis, & qua indigere asserunt pro nova Ecclesia sibi ædificanda in Oppido Montis Miloni. Defectum namque voluntatis Pontificiæ, etiam hujus hæreditatis respectu insinuare conantur, ex quo Summo Pontifici minime innotuerit lis pendens in hac S. Congr. inter ipsos, & Communitatem Mon-

Montis Miloni super applicatione sc.3000. ejusdem Hæreditatis pro erigenda Collegiata, quæ proposita fuit in Congr. habita die 5.Julii 1749., prodiitque rescriptum -- *Dilata, firmetur status multiplici, & transmittatur*. Et ex reticentia tum hujusce litis, tum necessariæ erogationis pecuniarum superextantium hæreditatis Accursi in ędificationem novæ Ecclesiæ in locum alterius in minus decenti loco,& forma a Testatore ædificatæ, concluditur, ratione individuitatis gratiā in totum corruere debere.

His igitur attentis decernendum erit ab EE. VV.

An intret arbitrium pro aperitione oris, in casu &c.

Affirmative & amplius.

Sess.22.decr.de observ.& evit. in Sacrif.Miss.

MEDIOLANEN., SEU LAUDEN. Hæc quoque Causa descripta fuit in Folio Congr. habitæ die 22. Septembris superioris anni; sed definita non fuit, ob superventam notitiam obitus Joannis Baptistæ Gambaja Cappellani, qui controversiam excitaverat. Sed Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Laudensis Hæres Comitis Moroni Cappellaniæ Fundatoris, cupiens quæstionem definiri pro futuris casibus,in jus vocavit coram hac Sacra Congregatione Cyprianum Arrigoni Successorem Cappellanum, speciali citatione contra eum exequuta die 28. præteriti Mensis Februarii: Et post longam moram, illo adhuc non comparente, urget pro Causæ decisione, non obstante contumacia.

Et disputat, Comitem Moroni nudum scripsisse legatum Missarum -- *Si celebri una Messa quotidiana sino in perpetuo nella Chiesa di S. Nazaro* --; Et vacationes ex causa infirmitatis limitasse ad decem dies, præscribendo, ut -- *caso, che il sudetto Sacerdote, o Sacerdoti, che per tempo si elegeranno, non potesse, o non potessero celebrare la sudetta Messa per malattia, o altro impedimento, per dieci giorni sarà scusato, e non altrimente: ed ivi nantì sia tenuto dirla, o farla dire; altrimenti il mio Erede non sia tenuto darli l'elemosina, e la possi far celebrare da altri Sacerdoti*. Quocirca infert, longiores vacationes non esse Cappellano infirmo indulgendas, tum ex dispositione juris, ad tradita *per Barbos. de Offic. & potest. Episc. par.2. alleg.24. sub n.31.* tum fortius attenta voluntate Fundatoris, quæ adamussim servanda est, ut firmat *Piton. discept. Eccles. 2. n.4.*

Nec obstare censet, prædictum Legatum Missarum fuisse in Cappellaniam Choralem erectum authoritate Ordinaria, ex voluntate Parochi Joannis Baptistæ Corbella, qui dotem auxit de bonis suis, quique facultatem acceperat a Comite Moroni eligendi Sacerdotē pro celebratione, *concedendogli ancora ampla facoltà di poter eleggere doppo la di lui Morte Persona, Famiglia, Capitolo, e loro discendenti, o in che modo più li piacerà, di celebrare o di far celebrare la sudetta Messa* --. Putat enim, Cappellanum infirmum eatenus non teneri alium substituere in celebratione Missarum

sibi

sibi incumbentium, quatenus onus habeat celebrandi per se ipsum, quod non constat fuisse injunctum in erectione hujus Cappellaniæ, ut explicant, *Fagnan. in cap. significatum n. 9. de præbend. Monacell. in append. ad tom. 1. formul. legal. adnot. ad decret. de celebr. Missar. pag. 355. n. 6., & San. Mem. Benedict. XIV. in discurs. relat. per Rigant. ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 63.*, & quatenus infirmitas longo tempore non sit duratura, ut rejecta opinione *Amostaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 6. n. 30. ad 36.* de veriori sententia hujus Sacræ Congregationis testantur *Passarin. de stat. hom. tom. 2. quæst. 587. art. 4. n. 1120., Monacell. d. adnot. ad decret. de celebrat. Miss. n. 7., Rigant. ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 65. & S. M. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 7. cap. 72. n. 5., & instit. Eccl. 26. n. 6.*

Præterea defendit, erectionem Cappellaniæ nullo in pretio habendam esse; quia non erat in potestate Ordinarii commutare voluntatem Pii Testatoris, qui simplex Legatum Missarum reliquerat, ut ex censura Sacri Concilii Tridentini *Sess. 25. cap. 5. de reform.* tradunt *Garz. de Benefic. par. 1. cap. 2. n. 105., & Lara de Anniversf. & Cappell. lib. 2. cap. 1. n. 23.* itaut erectio in eo, quod repugnat voluntati Fundatoris, substineri nequeat etiam ex consensu Patroni, & ex augumento Dotis, ut firmat *Piton. de contr. Patron. alleg. 34. n. 23.*

Quod eo fortius, subditur, in hypothesi urgere, ex quo Cappellaniæ erectio demandata fuit a Parocho Corbella relative ad Testamentum Comitis Moroni -- *conforme la pia mente del Signor Maestro di Campo Morone, aderendo alla di lui Testamentaria volontà, e facoltà da esso a me conferita nel suo Testamento, al quale si abbia relazione.* Ideoque extraneas esse generales regulas de Cappellaniis præscriptas; quia relative ad Testamentum Comitis Moroni, vacationes ex causa infirmitatis ad decem dies limitantur, & obligatio Cappellani sumenda est non in abstracto, sed juxta legem fundationis, ut monent *Barbos. de Offic. & potest. Episc. d. par. 2. alleg. 24. n. 28., & Amostaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 6. num. 2.*

Verum Eminentissimus Archiepiscopus, auditus super precibus Cappellani Gambaja, inclinabat pro validitate erectionis Cappellaniæ Ecclesiasticæ, ob facultates a Testatore tributas ut supra Parocho Corbella, cum plena fiducia suæ voluntatis; & ex ejusdem erectionis efficacia ei videbatur habere locum censura *Text. in cap. significatum de præbend.* quod Cappellanus durante infirmitate non teneatur celebrare per alium: attento præsertim, quod in ea Diœcesi *quoties quis ordinatur ad titulum* Cappellaniæ *manualis, seu laicalis, idonea exigitur fidejussio alicujus aptæ personæ, quæ suppeditet Ordinato alimenta in casu infirmitatis &c. nulla autem exigitur fidejussio pro casu infirmitatis de quo supra, quoties quis ordinatur ad Titulum Beneficii Ecclesiastici, in qua quidem ordinatione hic non detrahuntur onera Missarum ex redditu Beneficii, & proinde annuus redditus sc. octo supra quadraginta monetæ Romanæ sufficit pro titulo Ordinandi, etiamsi adnexum habeat onus Mis-*

sæ

ſæ quotidianæ. Hinc Ordinati ad titulum Beneficii Eccleſiaſtici, caſu, quo infirmentur, ex inveterata conſuetudine vigente apud quoſcumque timoratæ conſcientiæ, ſupplere non faciunt Miſſas, quas Infirmi omittunt.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare per ſe, vel per alium, poſſit pro tempore infirmitatis ultra decem dies omittere celebrationem, & nihilominus Eleemoſynam prætermiſſæ celebrationis conſequi, in caſu &c.

Negative.

Seſ.24. c.1. de Reform. Matrim.

POSNANIEN. MATRIMONII. Definita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 21. Junii proxime præteriti: & tribus illius Dubiis, quæ erant -- I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 4. Maii, & 24. Aprilis* 1754., *in caſu &c.* II. *An ſit locus ſeparationi Thori, itaut Marianna ſit collocanda in aliquo Monaſterio Civitatis Poſnaniæ Clauſuram ſervante, in caſu &c.* III. *An ſervandum ſit decretum R. P. D. Secretarii diei* 16. *Sept.* 1755. *quoad alimenta; ſeu potius obſtet tranſactio anni* 1756., *in caſu &c.* -- reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Ad I. In deciſis. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative ad primam partem, Negative ad ſecundam.* Sed impetrata per Mariannam nova audientia, iterum ab EE.VV. expendendum erit.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Ad I., & II. in deciſis, & amplius. Ad III. previo receſſu a deciſis partes utantur jure ſuo coram judicibus competentibus.

Seſs.22.c.6. de Ref.

LISBONEN. Preces obtulit defuncto Summo Pontifici Benedicto XIV. Rector Cœnobii S.Egidii Congregationis Canonicorum Regularium S. Joannis Evangeliſtæ, quibus, narrata ſui Cœnobii, & Eccleſiæ ruina, ob Terræmotum, & Incendium Lisbonæ ſequutum anno 1755., poſtulabat ſuſpenſionem, vel reductionem Sacrorum Onerum, uſquequo perficerentur nova ædificia Eccleſiæ, & Conventus: cum abſolutione quoad præteritum pro quibuſcumque eorumdem onerum omiſſionibus. Remiſſis precibus ad hanc S. Congr., auditus fuit cl.mem. Card. tunc Patriarcha, qui petitæ abſolutioni annuendum putavit ob paſſa infortunia: in reliquis vero, attentæ qualitate onerum. illorumque reductione aliàs impetrata, & inſpecta quantitate redditùum, definiri poſſe cenſuit tempus duodecim annorum ad nova Eccleſiæ, & Conventus ædificia perficienda, *ac pro interim, quod Rectori pro tempore liceat celebrationem transferre ipſa-*

ipsarum obligationum in alias Congregationis domus, ne unquam contra Institutorum mentem hæc pia sic redacta legata suspendantur.

Quamobrem relata instantia per summaria precum in Congregatione habita die 15. Aprilis 1758., sequens prodiit rescriptum - *Sacra &c. attenta relatione Eminentissimi Domini Cardinalis Patriarchæ Lisbonen., benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis, Oratorem super præfatis ommissionibus quoad præteritum pro suo arbitrio, & prudentia misericorditer absolvat juxta petita: in reliquis vero super præmissis pro suo itidem arbitrio, & prudentia procedat, & provideat, juxta enunciatum ejus votum.*

Post annum vero iterum supplicavit huic S. Congr. præfatus Rector pro suspensione onerum, allegata illorum adimplementi in aliis Congregationis Ecclesiis difficultate ob renuentiam localium Superiorum; datisque de more literis ad hodiernum Eminentissimum Patriarcham pro Informatione, & voto super novis precibus, Eminentissimus Patriarcha in mitiorem inclinavit sententiam, quod possent recensita onera ad duodecim annos, juxta tempus reædificationi Ecclesiæ præfinitum, commutari *in unum officium annuum cantandum novem lectionum, cum sua Missa cantata, & absolutione, ut Orator supplicat, ac insuper in alteram Missam quotidianam recitatam, applicandam pro suffragiis, ad quæ ipsimet tenentur*: cum facultate, injunctum onus adimplendi tum in Cœnobio Lisbonensi, tum alibi arbitrio Rectoris.

In Congregatione nihilominus habita die 10. præteriti mensis Maii, rescriptum fuit -- *Lectum, & gaudeat impetratis*. Verum editæ resolutioni non acquiescens Rector, Dubium subscribi curavit, quod nunc proponitur; & disputat, justam adesse caussam petitæ suspensionis, seu commutationis onerum, aliàs reductorum, ad unicam Missam cum cantu, officium Defunctorum, ac absolutionem, ob necessitatem construendi novam Ecclesiam, cujus Fabricæ, si alia desint, posse applicari legata pia Missarum tenent *Amostaz de Caus. Piis lib.*1. *cap.*14. *n.*36., & *lib.*2. *cap.*12. *num.*35., & *Episcopus Braschius de libert. Eccles. tom.*3. *cap.*24. *num.*8. 14. & 26.

Alia vero deesse media ad occurrendum reparationi Ecclesiæ, probari autumat judicio Eminentissimi Patriarchæ, qui censuit annuendum optatæ commutationi, & cujus authoritati plurimum tribuitur, ad tradita per *Rot. cor. Ansald. decis.*246. *n.*1.; nec præfatorum reductorum onerum implemento suppleri posse censet per translationem eorumdem in alias Congregationis Domus, juxta Votum Antecessoris Patriarchæ, quia Superiores locales aliis obligationibus gravati nolunt pro extraneorum onerum receptione consensum præstare. Eo addito quod si ipsis in hanc causam congruum stipendium præstandum esset, hoc esset detrahendum Fabricæ Ecclesiæ.

Et quoniam in priori relatione Antecessor Patriarcha testatus est, quod *re ipsa superest sufficiens summa redditum &c. ad novam Ecclesiam sensim construendam, sed minoris amplitudinis, moderati orna-*

ornamenti, & absque ulla pompa: deducendo semper eam partem redditiuum, quæ satis foret pro quotidiana, & necessaria manutentione modicæ Familiæ, quæ ibi existere poterit, & quam augere par foret usque ad num. 12. Sacerdotum; Idcirco defendit Orator, quod non deceat, sine pompa restaurari Ecclesiam, sed expediat ad excitandam, & fovendam Populi fidem, & devotionem, ut Templa magnifice construantur, & exornentur, ex adductis per *Thomasin. de vet. & nov. Eccl. discipl. tom. 3. par. 3. lib. 1. cap. 4. n. 4.*, & *Brasch. de libert. Eccles. tom. 3. cap. 24. n. 8.* Reliquum est, Emnentissimos Patres animadvertere ad sufficientiam redditũ pro implemento onerum aliis reductorum, & pro decenti licet minus magnifici Templi constructione necessariorum, in relatione Patriarchæ decessoris præsuppositam, & in nova Eminentissimi moderni Patriarchæ informatione non exclusam, ut consueta eorum maturitate definire possint.

An sit locus suspensioni onerum, itaut sit recedendum a Decisis, in casu &c.

Relique non proposita.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

VIGILIEN. SERVITII CHORI. Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Vigiliensis, cum unum supra vicenarium numerum excederent, ut impetrarent a S. Sede indultum vacationis alternis Hebdomadis Ministrorum numerũ augendum putarunt, ne debitis Ecclesia fraudaretur obsequiis. Et cum adessent in Ecclesia Cathedrali sex Cappellani, qui ex pia Fundatorum voluntate Chorum ejusdem frequentare tenebantur solum diebus festis, tribus postremis Majoris Hebdomadæ, perque totam Octavam Sanctissimi Corporis Christi; publico celebrato Instrumento deliberarunt, stipem annuam ducatorum trium illis assignare ex redditibus communis Massæ Capitularis: aliasque duas fundare Cappellanias, tributa cuique dote quindecim ducatorum in annos singulos: & cunctis onus imponere interessendi Divinis Officiis alternatim, fungendique Diaconi, & Subdiaconi munere in Festis primæ, & secundæ classis, atque, si alii dessent Cappellani, vel Clerici, in Dominicis etiam quibuscumque, & festis diebus.

Probavit Episcopus captam deliberationem; illamque Canonici authoritate S. hujus Congregationis confirmari postularunt. Sed rogatus clar. mem. Card. Lanfredini ea de re sententiam dicere, abnuendum censuit precibus Canonicorum; cum petita prisci moris immutatio non pertineret ad augumentum Divini cultus, sed majorem respiceret illorum commoditatem. Laudati Cardinalis sententia placuit S. Congr., quæ propterea die 17. Decembris 1740. mandavit, *servari solitum*; Iterumque ad repetitas Canonicorum preces Summo Pontifici porrectas, & Sacro eidem Senatui remissas die 17. Februarii 1742. stetit *in Decretis*,

tis : tametſi in iis oblatio contineretur, duas alias fundandi Cappellanias ſupra numerum in enunciato Inſtrumento comprehenſum.

Tertio nihilominus ſupplicarunt Canonici ; inſuperque paratos ſeſe obtulerunt, non modo promiſſum aſſignare augumentum ducatorum trium cuilibet ex ſex Cappellaniis in Cathedrali Eccleſia jam exiſtentibus, verum & alias ſex Cappellanias fundare, impoſita omnibus lege Divinis Officiis, & Sacris incumbendi miniſteriis: unde fieret, ut, ſervata licet alterni ſervitii forma, ſexdecim Capitularium, ex Canonicis nimirum, & Cappellanis conſtans numerus ſemper Choro eſſet adfuturus. Diſputato igitur Dubio -- *An Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Vigiliarum ſit concedenda gratia inſerviendi eidem Eccleſiæ alternatim, & per Hebdomadas, in caſu &c.* die 18. Maii 1743. Sacra Congregatio perpenſis facti, ac juris momentis late deductis in folio tunc diſtributo reſpondit -- *Facta erectione ſex Cappellaniarum, permittendas eſſe vacationes ad tres menſes; ita tamen, ut Canonici iis frui nequeant tempore Adventus, & Quadrageſimæ, aliiſque diebus excipi ſolitis: & duæ ſaltem ex tribus partibus Choro ſemper interſint* -- ut in *lib.*93. *decr. pag.*223.

Elargitum autem indultum nondum habuit effectum; quia tribus erectis Cappellaniis, aliarum trium erectio omiſſa eſt, ſub prætextu inſufficientiæ Maſſæ Capitularis. Novis idcirco precibus oblatis, flagitant Canonici, ut loco trium Cappellaniarum erigendarum, ſibi facultas indulgeatur augendi ſtipendium tribus ex Cappellaniis in Cathedrali exiſtentibus, quas valeant Chori ſervitio mancipare, ut habeatur præſcriptus numerus ſex Cappellaniarum. Epiſcopus de more auditus hæc refert -- *In hac Cathedrali Eccleſia erectas, & fundatas reperiri alias Cappellanias meæ liberæ collationis, & ad mei nutum amovibiles, ſubjectas tantummodo ſervitio Chori diebus Feſtis ſine punctatura, & cum facultate in Fundatione Epiſcopis pro tempore tributa, illarum onus augendi, vel diminuendi, quando caſus id exegerit, & ipſi Epiſcopi ita judicaverint* -- Et Oratorum precibus adhærens, ſuum præſtat conſenſum, ut illarum tres, ſi dos a Capitulo augeatur, Chori ſervitio ſub punctatura addicantur: nec diſſentire illarum Poſſeſſores teſtatur.

Urgent itaque Capitulares, juxta vota reſcribi; & differunt, ſex Cappellaniarum erectionem demandatam fuiſſe, ne, abſentibus vacationum tempore Canonicis, deficeret in Eccleſia Miniſtrorum numerus; ideoque par eſſe, novas Cappellanias erigere, vel jam erectas Eccleſiæ obſequiis ſubiicere; cum effectus augendi Miniſtrorum numerum utroque modo habeatur. Duplici præſertim attenta animadverſione, quod numerus Canonicorum hodie auctus reperitur ex nova Fundatione aliorum duorum Canonicatuum de jurepatronatus Laicorum facta poſt decretum anni 1743., quodque trium Menſium vacationes, de quibus nunc agitur, minime repugnant diſpoſitioni Conciliari, ubi vigeat Conſuetudo requirens aſſiduum totius anni ſervitium, juxta de-

clarationem hujus Sacræ Congregationis in *Astoricen.* relatam *per Garz. de Benef. par.3. cap.2. n.311.* & consonat *Barbos. de Offic. & potest. Episcopi alleg. 53. n.121., & in advot. ad Concil sess. 24. cap. 12. n.64.*

Cæterum ponderandum est, quod Sacra Congregatio in decreto anni 1743. videtur voluisse erectionem sex Cappellaniarum, ut illarum Possessores Ecclesiæ inservirent, ultra alios sex Cappellanos jam existentes, quibus onus incumbebat interessendi Ecclesiasticis Functionibus Festis, alisque certis anni diebus, itaut per admissionem suppletoriæ subrogationis trium ex sexCappellaniis præexistentibus, in locum trium erigendarum, Ecclesiæ servitium imminutionem pateretur quoad obsequiū præstari solitum a tribus ex sex Cappellanis antiquis;Et rursus animadvertendum, num liceat hodierno Episcopo consensum præstare impositioni novorum onerum Cappellaniis suæ liberæ collationis in præjudicium suorum Successorum: & num id expediat, contra censuram Sacri Concilii Tridentini *Sess. 25. cap. 5. de reform.* de quo late *Garz. de Benef. par.7. cap.1. n.107. & seq.*

Quibus perpensis, definiendum erit ab EE. VV.

An sit consulendum Sanctissimo pro indulto Vacationum ad tres menses, juxta novas Capituli preces, in casu &c.

Sess. 24. c. 18. de Ref.

PINNEN. THEOLOGALIS. Sacerdos Ioannes Octavius de Sanctis Civis Pinnensis reprobatus in concursu habito ad Præbendam Theologalem illius Ecclesiæ Cathedralis, appellatione in tempore interposita, nunc disputat in hac S. Congregatione de mala relatione Examinatorum; quia licet rationem de Concurrentium scientia tantum habuerint in peracto scrutinio, in quo solum *perpensis resolutionibus, & responsionibus ad Dubia proposita, nemine discrepante, fuit approbatus R. D. Franciscus Fonzi: & D. Jo: Octavius de Sanctis fuit ab eisdem reprobatus*; nihilominus retulerunt Episcopo, Concurrentium peritiam expendisse, &, notula compendiaria requisitorum accepta a Cancellario, parem nisi forte majorem solertiam adhibuisse in perscrutando *morum honestatem, gravitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinæ arcto fœdere consocianda*: hisque omnibus conjunctim expensis, Franciscum Fonzi approbasse, & idoneum judicasse.

Quantum sane discrepat hæc relatio a tenore scrutinii, in quo nihil de his meritis actum est; tantum prætenditur adversari formæ traditæ in Constitut. *Cum illud* san. mem. Benedicti *XIV, la 68.* §.4. *tom.1.*, quæ præcipit, ut Examinatores in Scrutinio ipso perpendant scientiam simul, & merita Concurrentium, *bisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, & idoneos Episcopo renuncient*; itaut ommisso meritorum examine, scrutinium de sola scientia peractum irritum reddatur, ad tradita per *Rotam in Cassanen. Parochialis* 8.*Martii* 1751. §.3. & 8. *cor. Reverendissimo Migazzi.* Præ-

Præter querelam autem expositam contra relationem Examinatorum, irrationabile quoque prædicat judicium Episcopi, qui eamdem relationem limites judicii super sola idoneitate excedentem sequutus Franciscum Fonzi præelegit, licet minus dignum. Et contendit, suam reprobationem non sustineri, quia scientià, ex majori, vel saltem æquali suarum responsionum congruitate erutà, & meritis inspectis, debuisset magis approbari; ideoq; procedendum esse ad novum examen, cum præsertim doceat de laurea Doctorali licet post annum susceptæ, quam præscribit Const. *Pastoralis* S.M.Bened.XIII. relata in *Append. ad Concil. Roman. n.2. pag.* 170.

Excipit contra Franciscus Fonzi de Canonicatu Theologali provisus, legem non verbis, sed rebus dictam esse: & sive in Scrutinio, sive in relatione testati sint Examinatores perpendisse concurrentium merita, satisfactum videri Constitutioni Benedictinæ, quæ revera nil aliud præcipit, nisi ut Examinatores de meritis non minus, quàm de scientia ferant judicium. Exploratum id fieri censet, tum ex litera S.Conc. Trid. *sess.*24. *c.*18. *de ref.*, ubi meritorum judicium in relatione edenda exprimendum præcipit, ut nimirum *peracto examine*, *renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate*, *moribus*, *doctrina*, *prudentia*, *& aliis rebus ad Ecclesiam gubernandam opportunis*: tum ex mente hujus S. Congr., quæ in *Monopolitana Concursus* 28. *Apr.*1759., *& in Salernitana*, *seu Caputaquen. Parochialis* 9. *Februarii*, *&* 8. *Martii currentis anni*, definivit, rite processisse Examinatores, licet in scrutinio de singulis concurrentium meritis non judicassent, sed genericam de illis mentionem habuerint in relatione Episcopo facta.

Cum ergo non defecerint Examinatores in perscrutando singulorum Concurrentium merita, ut testimonium perhibent in sua relatione, recte illos reprobasse, defenditur, Jo: Octavium de Sanctis, qui aliquibus ex propositis dubiis inepte respondit, quique solum requisita exhibuerat comprobantia, ipsum Sacerdotem esse, in ætate vigintiquinque annorum, Studiis Theologicis incumbere in Collegio Divi Thomæ de Urbe, & in Curia Episcopali Pinnensi non inquisitum, nec processatum fuisse; dum e contra Franciscus Fonzi docuerat testimonio Curiæ Episcopalis, se Sacerdotem esse, & Canonicum in Ecclesia Collegiata Planellæ: annum agere trigesimum octavum: non inquisitum, nec processatum, sed insuper bonis, & exemplaribus moribus imbutum: in facultate Theologica licentiatum, Theologiam legisse in Seminario Civitatis Theatinæ; Concionatoris, & Confessarii munere functum in Civitate, & Diœcesi Theatina, & fungi adhuc in Diœcesi Piennensi; & Catechismum publice exponere singulis diebus Dominicis in Ecclesia Collegiata Planellæ. Unde collatis utriusque meritis, etiamsi Joannes Octavius de Sanctis scite respondisset, non inde resultaret injustitia suæ reprobationis, cum potuerit aliis carere qualitatibus, ad quas Examinatores in concursu respexisse censentur, ut firmat *Rota*

coram

coram Lancett. decis.24. n.9., *& in recent. decis.*219. *n.*7. *p.*11.

Et minime vertendum esse ad vitium scrutinii putat Franciscus Fonzi, quod concurrentium requisita non originaliter, sed in epitome inspecta fuerint ab Examinatoribus, cum id fieri expresse decernat prælaudata Constitutio S. M. Bened. XIV. *la* 68. §. *Eveniente tom.*1.; nihilque prodesse Joanni Octavio de Sanctis, vel superventam Lauream Doctoralem, quia merita debent præcedere Concursum: vel suam originem in Civitate Pinnensi, quæ suffragari solum potuisset in æqualitate meritorum.

Judicium demum Episcopi nequaquā irrationabile dicendum asserit, ex quo præfatum de Sanctis postposuit; quia cum ille fuisset reprobatus ab Examinaroribus, non poterat Episcopus de ipso rationem habere, ut notat *Pignatell. consult canon. tom.*2. *consult.*149. *num.*5. Ideoque autumat, ineptam esse instantiam pro novo examine, quia nec constat de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Episcopi; neque novo examini locus est, quando concurrentium responsiones, prout in casu, datæ fuerunt in scriptis, & oculis judicantiu n subiiciuntur, ut præscribitur in Literis Encyclicis huius S.Congreg. datis anno 1721., & approbatis a Summis Pontificibus Clemente XI., & Benedicto XIV. Ponderandum insuperest num obstaret admissioni Joannis de Sanctis, quod tempore concursus nondum compleverat Cursum Theologicum.

Definiendum idcirco erit ab EE.VV.

An constet de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili Judicio Episcopi. itaut reprobatio Sacerdotis de Sanctis non subjlineatur, in casu &c.

*Sess.*21. *cap.*4. *de Reform.*

NOVARIEN. DIVISIONIS, SEU DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. In hac Causa, quæ descripta fuit in folio Congregationis habitæ die 19. Aprilis proxime præteriti, Eminentissimi Patres annuentes precibus oblatis nomine Parochi, rescripserunt - *Dilata*, iterumque dilatio concessa est in Congregatione habita die 21. præteriti mensis Junii. Denuo nunc proponitur ad instantiam Communitatis Locarni, quæ supplicat, reassumpto dicto folio, ab EE. VV. definiri.

I. *An sit locus divisioni, & dismembrationi Ecclesiæ Parochialis S.Dionysii Locarni ab altera Paroni, in casu &c.*& quat. Affir.

II. *An decimæ, & obventiones, quæ solvuntur ab Hominibus Locarni, sint adjudicandæ novo Parocho Ecclesiæ Sancti Dionysii, in casu &c.*

*Sess.*22 *cap.*8. *de Ref.*

MONTIS FALISCI ERECTIONIS CAPPELLANIÆ. Testamento, quo decessit anno 1671., Barbara Alfonsi Hæredes instituit Evangelistam, & Archangelum filios suos ex Egidio Fanelli viro susceptos, cum onere perpetui fideicommissi favore descendentium ex eis: quorum linea extincta, substituit duas, quas habebat, filias fœminas Joannam, & Gabriellam, & na-

& nascituros ex linea earumdem: addens postremo -- *E caso che fossero finite le dette linee (lo che Dio non voglia) sostituisco la Cappella di S. Barbara nella Chiesa di S. Biagio di questa Terra di Marta: le quale debba avere il peso, e nomina del Cappellano, ad elezione di detti miei Eredi, come sopra instituiti.*

Post Testatricem, objerunt Evangelista, & Joanna; Et superstite adhuc Archangelo altero ex filiis hæredibus institutis, anno 1721. Gabriella una de filiabus substitutis Testamentum condidit, manu Notarii Joannis Baptistæ del Monte scriptum, quo Hæredem instituit Agatham Benedetti: præcepitque vigore Testamenti materni, *che doppo la sua morte si erigga la Cappella, o sia semplice Benefizio laicale sotto l' invocazione di S. Barbara nella Chiesa di S. Biagio di questa Terra, in conformità dell' ultima disposizione, e Testamento della quondam Barbara Alfonsi Vedova relitta del quondam Egidio Fanelli sua Madre*: & reservato bonorum Maternorum ususfructu favore Archangeli Fratris, qui enunciatur præsens, & consentiens, certos constituit Procuratores ad petendam coram Ordinario *l' erezione della Cappellania per detta quondam Barbara sua Madre disposta, colle clausole, e riserve in detto Testamento contenute, e particolarmente con il peso di celebrarsi una Messa la Settimana per l' Anima di detta Testatrice sua Madre, conforme l'intenzione di essa Esponente &c.: lasciando, e concedendo il Juspatronato di nominare, e presentare in detta Cappellania, a tutti li Descendenti maschi del quondam Gio: Benedetti in infinitum, ed in loro mancanza debbano succedere le Femine, e Descendenti maschi da quelle in infinitum.*

Cum autem defecerint Descendentes Masculi Joannis Benedetti, Philippus, & Carolus Joseph del Monte illius ex Ursula filia nepotes, in jurepatronatus substituti, anno 1758. in jus vocarunt coram Episcopo Montis Falisci Victoriam Costa, & Augustinum Pasquali Conjuges, tamquam Donatarios Agathæ Benedetti Hæredis Gabriellæ, & Cappellaniam Ecclesiasticam unius Missæ hebdomadalis, ex bonis a Barbara relictis, erigi postularunt, sibique reservari juspatronatus ad formam Testamenti prædictæ Gabriellæ. Renuit Episcopus petitis annuere, quia Testamentum Barbaræ Fundatricis unice spectandum nequeCappellaniæ Ecclesiasticæ erectionem, nec Missarum determinatum numerum præcipit, neque juspatronatus alicui reservat; Idcircò prædicti Fratres del Monte recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, quæ Episcopum de more audiri, terminumque præfigi mandavit Donatariis Agathæ Benedetti, & Promotori Fiscali Curiæ Episcopalis, ut jura sua coram EE. VV. deducerent.

Omnibus itaque adimpletis, Causa nunc proponitur, & suadere adnituntur Fratres del Monte, non erectionis modum, sed improbam lucri cupidinem adversos reddere Donatarios Agathæ Benedetti, ne cogantur dimittere bona ab utraque Testatrice relicta Cappellæ S. Barbaræ, & inconsulto illis adhærere Promotorem Fiscalem, cum pro debito sui officii debuisset magis, post jamdiu purificatam substitutionem, incumbere exequutioni pii

lega-

legati favore Cappellæ, quæ juxta Reorum Testes interdicta manet a tempore, cujus non extat memoria forsan ob carentiam dotis,& suppellectilium; quocirca modis omnibus adigendos esse prædictos Agathæ Donatarios, incunctanter dimittere Cappellæ S. Barbaræ bona a Barbara Alfonsi relicta, tum vigore illius dispositionis jam purificatæ per extinctionem linearum ejus Filiorum, tum vigore Testamenti Gabriellæ ipsorum mediatæ Authricis, cujus voluntati, quæcumque ea sit, contradicere non possunt.

Et quoad modum erectionis Cappellaniæ defendunt, claram esse dispositionem Barbaræ, quæ bona sua reliquit Cappellæ non simpliciter, sed passive ei superaddito disertis verbis *il peso, e nomina del Cappellano*;quibus innuis se videtur,Cappellaniam erigendam esse, a qua nomen accipit Cappellanus: Missasque celebrandas, ut præsefert Cappellani Officium: & juspatronatus alicui reservandum, ob geminata verba *il peso*, *e nomina*, quæ indicant gravamen, & servitutem nominandi, juxta naturam jurispatronatus. Et hæc omnia, quæ implicite, & generaliter a Testatrice jubentur, determinationem accipere, subdunt, a sequentibus Testamenti verbis -- *ad elezione de miei Eredi, come sopra instituti*- quæ conferunt arbitrium in Hæredes, itaut declaratio Hæredum non minus efficax sit, quàm expressa Testatricis voluntas, juxta censuram *Textus in cap. cum tibi* 13. *de Testam.*

Ideoque arbitrantur,ad formam Testamenti Gabriellæ, quæ de consensu Fratris Maternam voluntatem explicavit, erigendam esse Cappellaniam unius Missæ hebdomadalis in titulum Ecclesiastici Beneficii, cujus qualitas non est incongrua Cappellaniæ volitæ in Testamentariis dispositionibus, ex deductis *per Panimol. decis.* 21. *numer.* 13.: & juspatronatus reservandum esse ipsis Actoribus, non obstante dissensu Ordinarii, cum ejus consensus, ubi injuste denegetur, mereatur per Superiorem suppleri;potissimum quia non agitur de jurepatronatus Gabriellæ competenti, & per legatum alicui relicto, sed res est de executione piæ voluntatis,cujus explicatio quasi per modum Fiduciæ a Testatrice collata est *ad elezione de miei Eredi*, pro qua nunquam denegatur Episcopi authoritas. Et demum spernandas autumant contrariorum Testium assertiones, quod Familia Alfonsi nunquam habuerit juspatronatus in Cappella S. Barbaræ; quia modo contenditur de jurepatronatus non Cappellæ, sed Cappellaniæ erigendæ, quod ex dotatione legitime acquiritur.

Verum Promotor Fiscalis, & Donatarii Agathæ differunt, neminem unquam post obitum Gabriellæ instetisse ante motam hanc litem pro erectione Cappellaniæ; nec ideo promoveri potuisse exequutionem pii legati, quod ignorabatur. Contendunt insuper solam Barbaræ piæ Fundatricis voluntatem spectandam esse, nec licuisse Gabriellæ, quæ nihil de suo contulit, onera superaddere per Fundatricem non imposita, & Cappellaniæ, sive Benefici;erectionem demandare præter voluntatem Fundatricis, mediante dispositione --*si erigga la Cappella, o sia semplice Benefizio Lai-*

Laicale -- ad tradita per *Rotam in dec.* 1030. *n.* 1. & 2. *cor. Lancetta* : minusque relinquere potuisse juspatronatus Familiis extraneis, quod Fundatrix nec sibi, nec suis Hæredibus reservaverat.

Nec obstare censent verba, quæ leguntur in Testamento Barbaræ post substitutionem Cappellæ -- *la quale debba avere il peso, e nomina del Cappellano* -- ; quia tam verbum -- *peso* -- jus passivum præseferens, quàm alia verba -- *e nomina del Cappellano* -- indicantia jus activum, omnia diriguntur ad Cappellam, ut ostendunt verba - *la quale debba avere* -, unde ne dicatur juspatronatus inutiliter relictum ipsi Cappellæ, quæ nequit sibi servire adjudicandum putant, vel Rectori Ecclesiæ S.Blasii, in qua sita est Cappella, vel Confraternitati, ad quam Ecclesia pertinet, ut notant *Piton. de Controvers. Patron. allegat.*34. *n.*8. & *Rot. cor. Peutinger. decis.*201. *n.*1. & *seq.*

Reliqua vero Testamenti verba -- *ad elezione di d. miei Eredi, come sopra instituiti* -- conantur demonstrare, quod si in eorum latitune sumantur, non sint magis referenda ad Gabriellam substitutam post defectum Masculorum, quàm ad ipsam Cappellam æque substitutam post extinctionem Fœminarum ; & cum Cappellaniæ substitutio, & Cappellani nominatio collata sit in tempus totalis deficientiæ Filiorum Testatricis, proinde electionem non ipsis Filiis, sed magis Cappellæ substitutæ relictam videri : & ideo ad evitandum intellectum, quod juspatronatus ipsi Cappellæ fuerit relictum, intelligi posse præfatam dispositionem de electione primi Cappellani facienda ab ultimo moriente ex Hæredibus institutis. Ac demum corruere asserunt legatum jurispatronatus favore actorum, quia scriptum fuit a Joanne Baptista del Monte eorum Patre, contra censuram *S. C. Liboniani*, de quo *in l. Divus* 15.*ff. ad leg. Cornel. de fals.* & *in l.*2. *C. de his, qui sibi adscrib. in Test.*

Perpendendum itaque erit ab EE. VV.

An sit erigenda Cappellania cum reservatione jurispatronatus ad formam Testamenti qu.Gabriellæ Fanelli, in casu &c.

Die Sabbathi 20. Septem. 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 30. præteriti menſis Auguſti, ob alia plura negocia diſcuſſa, defuit tempus proponendi quinque ſequentes Cauſas, quas iterum ſubijcimus Sapientiſſimo EE. VV. Judicio, ut, reaſſumpto Folio tunc diſtributo, dignentur illas expedire.

Seſs. 22. c. 6. de reſ. LISBONEN.

An ſit locus ſuſpenſioni onerum, itaut ſit recedendum a deciſis, in caſu &c.

In Deciſis & amplius.

Seſs. ref. 12. de24.c. VIGILIEN. SERVITIJ CHORI.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro indulto Vacationum ad tres menſes, juxta novas Capituli preces, in caſu &c,

Affirmative facta per Epiſcopum formali ſubiectione trium Cappellaniarum quotidiano ſervitio Chori cum onere punctaturarum accedente conſenſu Capituli.

Seſs. 24. c. 18. de ref. PINNEN. THEOLOGALIS.

An conſtet de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Epiſcopi, itaut reprobatio Sacerdotis de Sanctis non ſubſtineatur, in caſu &c.

Negative in omnibus, & Amplius.

Seſs. 21. c. 4. de ref. NOVARIEN. DIVISIONIS, SEV DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ.

I. *An ſit locus diviſioni, & diſmembrationi Eccleſiæ Parochialis S. Dionyſii Locarni ab altera Paroni, in caſu &c.*, & quatenus Affirmativè.

II. *An*

II. *An Decimæ, & obventiones, quæ solvuntur ab Hominibus Locarni, sint adjudicandæ novo Parocho Ecclesiæ S. Dionysii, in casu &c.*

Ad primum. Attentis peculiaribus Circumstantiis Affirmative. Ad secundum Negative, & ad Episcopum pro executione juxta instructionem.

Sess. 22. c. 8. de ref.

MONTIS FALISCI ERECTIONIS CAPPELLANIÆ.
An sit erigenda Cappellania cum reservatione Jurispatronatus ad formam Testamenti quondam Gabriellæ Fanelli, in casu &c.

Affirmative.

Sess. 24. c. 4. & 6. de ref. mat.

BENEVENTANA MATRIMONIJ Anna Ricci Nicolai Filia die prima Julij 1757., circa horam secundam noctis, inopinato recessit a paterna Domo, & jussu Archiepiscopi Beneventani collocata fuit in Conservatorio Santissimæ Annuntiatæ. Præcibus inde oblatis huic Sacræ Congregationi, duplicem exposuit causam sui recessus: invisam nempe consuetudinem Mariannæ de Marco sibi a Patre imperatam: & stuprum acceptum a Vincentio Rè jam suæ Domus familiarissimo. Veniam itaque postulabat, Matrimonium cum eodem Vincentio contrahendi: licet Pater obsisteret, ob disparem illius conditionem; & Patris dissensum injustum prædicabat, eo quod ipsa annum ageret vigesimum sextum, nec Virum alium invenire posset post evulgatam famam læsi honoris. Audito, ut moris est, Archiepiscopo, Causa proposita fuit in Congregatione habita die 15. Aprilis 1758.: & contradicente Nicolao Patre, prodijt rescriptum -- *Dilata, & ad Mentem* --. Mens autem fuit, *ut Archiepiscopus referret, an dicta Anna compleverit ætatem annorum viginti quinque, & de quo tempore: atque an circa ipsam aliqua orta esset per Civitatem diffamatio.*

Paruit Archiepiscopus; & Causa reproposita est in Congregatione habita die 23. Septembris ejusdem anni; Et quoniam objiciebatur Canonicum impedimentum, ob copulam scilicet inter Annam, & Philippum Santori Vincentij Fratrem uterinum sequutam; ideo rescriptum fuit -. *Dilata ad primam post aquas: & scribatur Episcopo Viciniori, qui se transferat Beneventum ad explorandam voluntatem Annæ, & capiendam informationem super asserto impedimento* -- Anna vero impatiens moræ, denuo redijt ad Congregationem habitam die 2. Decembris dicti anni, & institit pro Causæ definitione, licet nondum advenisset relatio Episcopi Viciniori; quocirca

circa fuit rescriptum -- *Dilata*, *& dentur Episcopo Viciniori Literæ urgentiores* --.

Accessit tandem Beneventum Episcopus, qui tunc præerat Ecclesiæ Abellinensi, cui tamquam Viciniori redditæ fuerant Literæ Sac. Congregationis; illiusque adventa relatione, quæ Advocato Riccio objecti impedimenti excogitationem tribuebat, quarto proposita fuit Causa in Congregatione habita die 28. Aprilis 1759., Matrimonium rursus oppugnantibus Promotore Fiscali ratione asserti impedimenti, & Nicolao Ricci ratione disparis conditionis Vincentij; sed rescriptum fuit -- *Archiepiscopus procedat ad proclamata*: *& ad Mentem*. *Et mens est, quod in casu alicujus oppositionis, conficiat Processum formalem usque ad sententiam exclusive, & transmitat ad Sacram Congregationem* --. Factæ idcirco fuerunt publicationes in tribus distinctis Parochijs, tum scilicet in illis Paternæ Domus Annæ, & Conservatorii, in quo degebat, tum in illa consueti domicilij Vincentij; & Testes, qui comparuerunt aliquid de asserto impedimento asserentes, omnes interrogavit Curia Archiepiscopalis, completumque Processum transmisit ad Sacram Congregationem.

Interea die 23. Novembris 1759. Anna fugam arripuit a Conservatorio SS. Annuntiatæ Beneventi, & Neapolim se contulit, ubi collocata est in Conservatorio nuncupato *S. Maria Succurre Miseris*. Novus itaque de mandato Sacræ hujus Congregationis compilatus fuit Processus in Curia Archiepiscopali super hoc emergenti; & alia orta est controversia circa expensas factas pro collocatione Annæ in Conservatorio Neapolis, & circa alimenta illi subministranda, pro quibus jussu Eminentissimi Domini Cardinalis Secretarij Status appositum fuit sequestrum super bonis Nicolai Ricci. Opus idcirco fuit tria superaddere dubia, quæ omnia nunc proponuntur; & Promotor Fiscalis de duobus primis tantummodo sollicitus est, super Matrimonio, & fuga: Nicolaus autem sua jura tuetur quoad alia duo super expensis, & alimentis.

Disputat ergo Promotor Fiscalis, permittendum non esse Matrimonium Annam inter, & Vincentium, ob illicitum commercium Annæ cum Vincentij Fratre uterino, quod parit impedimentum affinitatis in primo gradu, juxta censuram Sacri Concilij Tridentini *sess*. 24. *cap*.4. *de refor. mat.*, cui adhæret Constitutio S. Pii V. relata per *Corrad. prax. dispens. lib*.7. *cap*. 1. *sub num*.24.; Et assertum commercium probari autumat Viginti Testium depositione, quos in Processu compilato post publicationes Curia Archiepiscopalis examinavit, quique promiscue narrant familiarissimam Amasij consuetudinem in Domo Annæ, & aliquos reciprocos actus amatorios, etiam impudicos, copulæ præsumptionem inducentes, ad sensum *Rotæ in decis*.19. *num*. 19. *par*. 10. *Recent.*, *& cor. Arguell. decis*.8. *num*.49., *& seq.*: referuntque confessiones implicitas, vel explicitas tum ipsius Vincentij, tum ejus Fratris, & Matris, quæ, licet sint extrajudiciales, coadjuvant

juvant copulæ præſumptionem ; ut firmat *Rota deciſ.* 337. *num.* 9. *part.* 12. *Recent.* atque illorum duo, Thereſia Panichella, & Marianna de Marco teſtantur actus ipſos concubitus de proprio viſu, quo perfecta conſtituitur probatio, ad tradita per *Farinac. in prax. crimin. quæſt.* 136. *num.* 35., *&* *Rot.* ſ*cor. Emerix jun. deciſ.* 1194. *num.* 1., *&* 2.; & demum omnes conveniunt de publica diffamatione, quæ ſola ſufficeret ad impediendum Matrimonium, ut habetur *in cap. præterea* 27. *ibique gloſ. verb. de auditu de teſtib.*, *& in cap. ſuper eo* 2. *ubi gloſ. verb. fama de conſang.*, *& affin.*, & late *Guttier. de Matr. cap.* 36. *num.* 23. Putatque non eſſe deferendum teſtibus ab Epiſcopo Abellinenſi auditis, vel uti inimicis Nicolai Riccij, vel uti conquiſitis, & expiſcatis a Philippo Santori, qui contenditur curaſſe avertere ab examine Teſtes informatos de diffamatione ſuborta ex illiberali ejus conſuetudine cum Anna ſervata.

Sed Anna defendit, poſt compilatum Proceſſum juſsu Sacræ Congregationis, deſpiciendos eſſe Teſtes omnes, quos in præteritum adduxerant ſive Pater, ſive Promotor Fiſcalis, quique in eodem Proceſſu non leguntur examinati: Viginti autem Teſtes in proceſſu examinatos nullam mereri fidem ob perſonales graviſſimas exceptiones contra eoſdem cumulatas a Teſtibus reprobatorijs, & ob falſitatem eorum depoſitionis apprime comprobatam a Teſtimonialibus Archiepiſcopi Beneventani expeditis die 8. Aprilis 1758., quibus commendatur aſſerti Amaſij *morum probitas*, teſtando, *eundem nullius criminis infamia unquam fuiſſe, & eſſe notatum, ſed bonis moribus præditum, & virtutum merito ornatum*: idemque confirmant unus & octoginta qualificati Teſtes, qui die 24. Octobris 1758. ampliſſimam ediderunt declarationem de optimis illius moribus ſine ullo ſcandalo unquam dato, & de falſitate imputationis illiciti commercij cum Anna ab hujus Patre promulgatæ, quin fidem inveniſſet apud cultiores, & probos Cives, & apud ipſos ſubſcriptos Teſtes.

Excipit inſuper, Parochum Franciſcum Xaverium de Sapiis, qui in Proceſſu denunciationum majora ſcandala prædicat, alterum eſſe ex octogintauno Teſtibus, qui prædictam declarationem emiſerunt cujuſcumque ſcandali excluſivam, licet eam ſucceſſive ad alium finem ſubſcripſiſſe confinxerit; ideoque reputandum eſſe ſeductum a Nicolao Ricci, tum in contraria poſteriori declaratione edita die 28. Januarij 1759., tum in ſucceſſivo examine occaſione denunciationum expleto, in quo & ſcandala de viſu, & publicam diffamationem aſſeruit: præſertim cum debuiſſet ex officio prætenſis ſcandalis ſuæ Parochiæ occurrere, ſi vera fuiſſent.

De Sacerdote Aloyſio Petrella, & de Canonico Sebaſtiano Altieri olim Parocho, ea excipit, quæ ab ipſo Nicolao Ricci deducta ſunt in ſecunda Cauſæ propoſitione ad proſternendam aliam illorum declarationem præcedenter factam de familiari conſuetudine Vincentij cum Anna: quod nempe

 idem

idem Petrella inhonestam, atque improbam duceret vitam, & cum Birruariis publice incederet, variaque furta perpetraverit: & quod Sebastianus Altieri facultate audiendi confessiones privatus fuerit ob demerita, & Parochiæ Curam neglexerit. Et Parochum Cherubinum Cisolfi, qui diffamationem viguisse ante fugam Annæ deposuit in Processu denunciationum, fallum asserere probat ex alia præcedenti ejus declaratione a Promotore Fiscali data in Summario anteactæ propositionis, qua testatur, ante fugam Annæ nihil mali audivisse de ipsa, & asserto Amasio.

Quoad Parochum Ignatium Pallante, & Æconomum Franciscum Cotone, prout etiam quoad Angelum, & Bartholomæum Pignatelli, Ignatium de Rosa, Michaelem Martini, & Theresiam la Peccerella, irrelevantes putat illorum depositiones, quibus testantur solum de prætensa diffamatione exorta ob familiarem asserti Amasij consuetudinem in Domo, quæ cum non esset clandestina, sed publica, & Parentibus accepta, nonnisi apud nequiores Homines excitare poterat spicionem illiciti commercij. Nicolaum Limata suspectissimum esse defendit, ob summam ejus familiaritatem cum Nicolao Ricci, prout ipse fassus est in altera ex octo depositionibus illius favore subscriptis: immo falsum deprehendi ex eadem depositione, qua testabatur, Vincentium non accessisse ad Domum Ricci a septem retro annis, licet omnes Testes conveniant, & a relatione Archiepiscopi evincatur, quod Vincentij absentia a domo Ricci acciderat per annum circiter ante fugam Annæ. Et Subdiaconum Dominicum Fasulo, Josephum Cardillo, & Horatium Vilei attendendos non esse autumat, quia sunt singulares in dicto, & deponunt simpliciter de auditu, unus a pretenso Amasio, alter a Vincentio Rè, & tertius ab eorum Matre.

Penitus autem falsos asserit quinque, qui supersunt Testes: nempe Mariannam de Marco, ejusque Virum Antonium Santopietro, & illius Amitas Dianam, & Margaritam de Marco, ac Theresiam Panichella. Ipse namque Antonius Santopietro fatetur in postremo examine suam affinitatem spiritualem cum Nicolao Ricci; & inter plures, quæ de mala eorundem testium qualitate allatæ sunt probationes, in primis numeratur supplex libellus ab Antonio porrectus Curiæ Archiepiscopali, dum reperiebatur carceratus pro querela stupri contra eum exposita a Marianna, in quo diserte narrat vilem, & inopem conditionem Mariannæ de Marco nunc ipsius Uxoris, ejusque, & Amitarum diffamationem, & inhonestam vitam, atque commercium ab ea habitum cum pluribus, & præsertim cum Horatio Vilei altero ex Testibus supradictis. Et contra propriam Antonij confessionem, plurium testimonio comprobatam, nihil relevare contendit declarationem honestatis eorundem Conjugum subscriptam a Parocho, & quadraginta sex Testibus, sed magis exinde argui præpotentiam Nicolai Ricci, qui Testes eosdem seduxit

ad

ad falſum deponendum favore mulieris,cujus indecoram conſuetudinem non averſabatur.

Mariannam inſuper ſibi inviſam narravit Anna in primo ſupplici libello, illamque cauſam fuiſſe, ut e domo paterna aufugeret, dum illa cum Patre Cænæ accumbebat. Falſam quoque demonſtrat hujus Mariannæ depoſitionem, quia in ſecreto examine exhibito in anteacta propoſitione, & in denunciatione Parocho facta, retulit aſſertam copulam de viſu; in Proceſſu autem denunciationum ſuam concludit depoſitionem ſine ulla mentione hujus actus, quem narravit ſolum poſt ſuggeſtivam lecturam antecedentis denunciationis ei factam. Et aliam demum notat falſitatem in depoſitione Thereſiæ Panichella, quæ pariter in ſecreto examine aſſeruerat vidiſſe Concubentes, & eos minime turbaſſe, ſed quiete retroceſſiſſe, illoſque per horam cum dimidio prorogaſſe moram in Coquina: cum in Proceſſu denunciationum rem aliter narraverit, quod ſcilicet Amaſij in ſuo ingreſſu rumore perterriti, alter non ſine veſtigiis proximi concubitus aufugerit in Manſiunculam Coquinæ proximam, altera veſtes compoſuerit.

Ex his autem ſublata Teſtium fide quoad actus poſitivos, nihil obeſſe putat diffamationem, quæ apud probos homines fidem non invenit, quæque poſt introductam litem propalata eſt ab ipſis contradictoribus Matrimonii, ut illud impedirent; & propterea reijciendam eſſe hanc malitioſam imputationem, illaque non obſtante declarandum, licite contrahi poſſe Matrimonium, juxta praxim, quam tradit *Corrad. in prax. diſpenſ. lib. 7. c. 5. n. 66., & 67.*, et ſequuta eſt hæc Sac. Cong. *in Pientina Metrimonij* 20. *Martij* 1734. *lib.* 84. *decret. p.* 125.

Ad fugam autem, quod attinet, ſecutam die 23. Novembris 1759. e Conſervatorio Sanctiſſimæ Annunciatæ Beneventi, ubi Anna reperiebatur, eiuſque traductionem ad domum Advocati Thomæ Simonetti poſitam in Civitate Neapolis, licet Promotor Fiſcalis contendat raptum ea mediante patratum fuiſſe, raptique authores eſſe Vincentium Rè, ejuſque Fratrem uterinum; attamen excipitur, nequaquam adſtrui poſſe raptum ex fuga, cui cauſam dedit non fomes libidinis, ſed neceſſitas famis, cum Nicolaus Pater denegaret Annæ alimenta, nequaquam obſtantibus declarationibus Joſephi Galaſsò de aſſerto depoſito alimentorum in ſuis manibus facto, quia non conſtat, eum fuiſſe unquam Officialem Conſervatorii: & ipſi Teſtes Fiſcales probant, alimenta recepiſſe Annam non a Conſervatorio, ſed pietatis intuitu a Matre Vincentii. Minuſque, prætenditur, auctores fugæ dicendos eſſe Vincentium, & Fratrem, qui negativam coarctant probando ſuam permanentiam Neapoli, dum fuga ſequuta eſt.

Et demum Alimentorum, & expenſarum onus, quod Patri incumbit, toto titulo *ff. de liberis agnoſcendis vel alendis a Parentibus*, reſpuere tentat Nicolaus Ricci non ſolum ob exceſſum, qui excluſus cæteroquin fuit coram Judice Magnæ Curiæ Vicariæ, ſed etiam ob ſuam inopiam, licet alias extuliſſet ſuas divi-

divitias ad magnificandam disparem conditionem Vincentii . Advertendum tamen, num complicitas [quidquid sit quoad Sacerdotem Philippum Santori proferentem attestationem celebrationis Missarum factæ in Ecclesia S. Georgij majoris Civitatis Neapolis diebus 22. 23., & 24. Novembris d. anni 1759.) satis elidatur a Vincentio Rè e conspectu tum testis asserentis ipsum vidisse in finitimis fugæ circumstantiis, tum concursus in eo causæ congruæ delinquendi, quæ in aliis verificari non poterat, ut mature judicari valeat an in Patrem per filiæ traductionem injuria affectum refundi debeant expensæ, quas ea cessante non subiisset, seu potius Advocato Simonetti Puellæ receptori, & ad subministrandas expensas, & alimenta Conservatorio *S. Maria succurre Miseris* in magna Curiæ Vicariæ damnato, reservanda sint jura, eas recuperandi contra complicem in fuga Annæ.

Omnibus itaque perpensis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sit locus exequutioni Matrimonij in casu &c.*

II. *An constet de raptu, & quomodo, & contra quem sit procedendum, in casu &c.*

III. *An sit locus subministrationi expensarum, & sumptuum litis, in casu &c.*

IV. *An sit locus prætensæ solutioni ass. expensarum factarum pro collocatione Annæ in Conservatorio Neapolis per Aavocatum Simonetti, sive potius revocationi sequestrorum, in casu &c.*

Ad I. affirmative, & amplius ad II. Negative Ad III. Negative reservatis partibus Juribus pro refectione expensarum in fine litis prout de Jure -- Ad IV. Affirmative juxta modum, nempe pro summa, quæ solvi debuisset pro Victu, & Vestibus in Conservatorio Beneventano, & ad D. Gubernatorem Beneventi pro liquidatione, & executione.

Sess. 25. c. 19. de Reg. LYCIEN RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Regularem professionem, quam in Cænobio Lyciensi Congregationis Cælestinorum emisit die 11. Februarii 1749., P. Franciscus Paulus Fookovitz simulatam, & nullam proclamavit coram san. mem. Benedicto XIV. ex defectu consensus, ob vim, & metum sibi illatum a Vitrico; Et oblatis precibus, quæ ad hanc Sacram Congregationem remissæ sunt, postulavit, ut in integrum restitueretur adversus lapsum quinquennij. Datæ idcircò fuerunt Literæ die 4. Martij 1758. ad Episcopum Lyciensem, ut Processum de more conficeret, servata forma Constitutionis 47. *tom.* 2. ejusdem Summi Pontificis, quæ incipit *Si datam Hominibus fidem*. Paruit Episcopus: Primùmque Matrem, & Vitricum Oratoris interpellavit, qui suis quibuscumque juribus cesserunt, etiam in exonerationem propriæ conscientiæ: ac, undecim examinatis Testibus, Processum rite completum ad Sacram Congregationem tranmisit, suum aperiens animi sensum his verbis -- *Acta perscrutando facile mihi persuasi, vi, metuque prædictum Pa-*

trem

trem coactum fuisse ad solemnia vota nuncupanda: nec non aversum semper animum habuisse a Regulari instituto: constantemque fermè adeò coluisse voluntatem, suam verbo tenus emissam irritandi professionem, ut tum sæpe privatim coram amicis, honestisque Viris, tum aliquando etiam publice reclamare non desierit --. Causas autem, cur tandiu protracta fuerit querela nullitatis, omnino non probat; *sed*, inquit, *pluribus attentis circumstantijs, ipsi restitutionem in integrum ex Apostolica benignitate concedendam in Domino expedire censerem*.

Ex Testibus examinatis, tres, qui sunt Incolæ Oppidi Castellanæ, narrant, Franciscum Paulum, ejusque minorem Fratrem Leopoldum, Patre orbatos in infantili ætate, id etiam infortunij expertos esse, quod Mater ad secundas transierit nuptias cum Paulo de Rubeis ejusdem Oppidi Castellanæ Viro truci, & pecuniarum cupido, qui secum habebat duos non dissimiles Fratres, quique infelices Privignos Domi excepit, sed eo animo, ut, cum pervenissent ad legitimam ætatem, eos detruderet in Monasterium aliquod, ut illorum substantia, juxta unius dictum, potiretur.

Pergunt Testes, quod ad optatum finem assequendum sævissima adhibuit media Vitricus, ut reluctantes Pueros flecteret; & illos immanissimis verberibus, & injurijs sæpe afficiebat: abjectisque vestibus indutos vilioribus ministerijs occupabat. Pari sævitia cum eis agebant duo Vitrici Fratres; suasque Mater adjungebat importunas suasiones, & minas, ut Viro assentiretur; eaque omnia agebantur, ut publica vox erat, *per indurgli a farsi Religiosi*, ut iis de medio sublatis pinguius remaneret consultum commodo filiorum ex novis nuptiis progenitorum. Nihilominus induci haudquaquam potuit Franciscus Paulus, ut deponeret animum aversum Regulari instituto; suamque reluctantiam, quam Vitrico, & Matri exponendo, crudelissimis verberibus afficiebatur, continuo coram Amicis repetebat inter fletus, & ululatus, querelas in Vitricum effundendo, quod immanissime vim faceret suæ voluntati, quæ adeo aliena erat a statu Regulari, ut mortem potius, & alia quæcumque mala pertulisset; fugamque non semel tentavit a Domo, licet fractus animo in impuberi ætate, & fame percitus, ad illam postea redierit.

Pubertatem aut non attigerat, aut parùm excesserat Franciscus Paulus, cum Vitricus exequutus est suum consilium recludendi Privignos in Monasterium. Suis enim sub oculis miseros Iuvenes truci ejus aspectu territos, recisa coma, indui fecit habitu Cælestinorum: perperam reluctante Francisco Paulo ululatibus, & lacrymis: & primus Testis accedens ea die ad illum invisendum, vidit, *che il medesimo piangeva, e si potestava a tutte le Genti, che non voleva farsi Monaco, e che s' induceva a ciò fare, per la violenza usatali*. Et eodem habitu induti missi fuerunt sequenti die ad Cænobium Cælestinorum Lycij, educationis prætextu, usquequo pervenissent ad legitimam ætatem, ut inde, peracto tyrocinio

cinio, ſolemnem ſuo tempore emitterent profeſſionem.

Siluit nunquam Franciſcus Paulus educationis, & Novitatus tempore, ſemper deteſtando ſtatum Regularem, & violentias, quibus a Vitrico mancipatus fuerat ordini Monaſtico: ut referunt octo ejuſdem Ordinis Profeſſi, qui ſimul tyrocinium egerant, & quorum unus Frater ipſius eſt Leopoldus. Continuo repetebat paſſam coactionem, ſuamque repugnantiam ſtatui Regulari. Et Literas dabat ad Matrem, & Vitricum, ut domum redire poſſet, incaſſum licet, reſpondentibus illis, quod amplius exceptus non fuiſſet Domi, & quod alia non ſupererat via deſerendi Monaſterium, niſi mendicæ vitæ ſe addicere per Orbem vagando.

Fugam ſemel arripuit, dum in tyrocinio manebat, reverſus inde animi mærore perculſus. Et crebro coram Socijs proteſtabatur, quod nil intactum reliquiſſet, ut irritam, & nullam redderet profeſſionem vi, & metu emittendam. Eaſdem repetiit proteſtationes immediante tum ante, tum poſt emiſſam profeſſionem -- *dichiarandoſi il medeſimo primo di profeſſare avanti di me, e de noſtri Compagni, con ſoſpiri, e con lagrime, che era a ciò indotto da una aperta violenza, e ſuggezione, e che non avrebbe mancato di promovere le ſue raggioni; ripetendo tali, e ſimili parole prima, e doppo la ſua profeſſione* -- ut per eadem fere verba deponunt quintus, & ſextus Teſtes: & per verba parum diſſimilia concordant quartus, ſeptimus, nonus, & undecimus; immo ſextus Teſtis ſubjungit aliam illius declarationem tunc emiſſam, *che ſebbene faceva la ſua profeſſione, queſta ſolamente la proferiva colla bocca, per fare la formalità: non eſſendo affatto ſua intenzione di profeſſare.*

Nec immediate ſolum poſt emiſſam profeſſionem, ſed ad tempus uſque porrectæ ſupplicationis pro reſtitutione in integrum, jugiter conqueſtus eſt P. Franciſcus Paulus de paſſa coactione, & de nullitate ſuæ profeſſionis, ut omnes conveniunt Teſtes. Anxius continuo fuit, ut querelam nullitatis proponeret: Sæpiſſime vel Fratrem, vel Amicos rogabat, ut pecuniis, & officijs ad promovendam nullitatem neceſſariis ei opitularentur, omnibus exponendo conſtantem ſuam voluntatem dimittendi habitum: Itinera ſuſcepit vel Romam, vel Caſtellanam, ut Cauſam inſtrueret, ut a Matre ſubſidium aliquod impetraret: Honorem Cathedræ a Superioribus Ordinis, ut in Religione detineretur, oblatum reſpuit, ne ratam profeſſionem habere videretur: Et Sacros Ordines ſuſcipere, quandiu potuit, diſtulit, ad eorum tandem ſuſceptionem impulſus, ut ex eleemoſyna Miſſarum, poſt dimiſſum habitum, haberet, unde viveret; quemadmodum referunt Teſtes, de quibus ſupra meminimus.

Ex his autem, arbitratur Pater Franciſcus Paulus, concludentem erui probationem ſuæ coactæ voluntatis ob vim, & metum a Vitrico illatum, qui profeſſionem irritat, ut ob metum ſimiliter a Vitrico illatum reſpondit *Rota in deciſ. 276. coram Vbaldo*. Metumque aſſerit, non vanum, ſed gravem, & caden-

cadentem in constantem Virum induci, ob sævissima verbera, & ob minas ejectionis a Domo; suum ulterius dissensum evinci contendit ex toto rei gestæ contextu, & ex protestationibus perpetuo factis, & repetitis immediate tum ante, tum post emissam professionem, quibus detegitur animi simulatio, ut firmant *Pignatel. consult.* 173. *n.*68.*&* 69. *to.* 9., *Piton. discept. eccles.* 110. *num.*7., *& sequ.*, *& Ursaja discept.*1. *n.*65. *tom.*4. *par.* 1.. & simulationem ex justa causa metus irritare professionem probat ex *Glos. in cap. quod interrogasti verb.*, *& finxit* 27. *dist.*, *in cap. perlatum verb. simulavit. de his quæ vi met. caus. fun.*, *& in cap. vidua verb. licet de regul.*, *Rota decis.* 798. *num.*7., *& seq. coram Molin.*, & innuisse videtur hæc Sac. Cong. in *Asten. nullitatis professionis* 24. *Augusti* 1709. *lib.*59. *decr. p.*208., *&* 20. *Septembris* 1710. *lib.*60.*decr.pag.*368. ubi tamen adarat protestatio judic. cor. Judice Laico emissa.

Nihilque censet conferre ad tacitam ratificationem suadendam vel Ordines, quos suscepit, præmissa protestatione, ut post dimissum habitum vivere posset ex eleemosyna Missarum. vel lapsum quinquennij frequentissimis protestationibus interruptum, quibus tollitur præsumptio elicita ex diuturno silentio *Card. de Luca de regul. disc.*45. *num.* 5., *& in adnot. ad Concil, Trid. disc.*41. *num.* 8.; præsertim attenta egestate, qua premebatur, & difficultate congregandi Testes Religiosos in variis Provinciis degentes, ut ponderat *Ursaja d. discept.* 1. *nu.* 14. *tom.*4. *par.* 1. & admisit hæc Sacra Congregatio *in Panormitana restitutionis in integrum* 26. *Sep.* 1739.*lib.*89.*decr.p.*134.

Verum Defensor Professionis excipit, ex Testibus reijciendum esse P. Leopoldum, uti Fratrem Oratoris: alios vero plerumque deponentes de auditu nullam mereri fidem, *Pignatell. consult.* 181. *num.*10. *tom.*9., *& Sperell. dec.*79. *num.*46.: & querelas, ac protestationes solas non sufficere, quia non constituunt, sed coadjuvant metus probationem, *Rot. dec.* 205. *num.*15. *coram Burat.*, *& dec.*870. *num.*12. *coram Emerix jun.*; Metum insuper ad irritandam professionem requiri gravem, & cadentem in constantem Virum *cap. Cum dilectus de his quæ vi metusve*, *& Leg. Metum* 6. *ff. de eo quod met. caus.*, ac directe illatum ad extorquendum Profitentis consensum *Sperell. decis.*79. *num.*41., *& Rot. decis.*798. *num.* 59. *coram Molin.*. Et neutrum in casu verificari, quia Vitricus potius agebat, ut se eximeret ab onere alendi Privignos: & quia gravem metum intulisse non videntur, tum Vitricus, quem non constat minas exequi consuevisse, *leg. Metum Cod. de his quæ vi metusque causa fiunt*, *Pyring. in jus Canon. lib.*1. *tit.*40. *num.*6., *Sanchez. de Matr. lib.* 4. *disput.* 1. *num.* 19., *&* 20., *& Rota decis.*154. *num.*4. *par.*13., tum Mater, cujus suasiones etiam importunæ poterant impellere, sed non cogere, *Passerin. de stat. homin. quæst.*189. *art.* 10. *inspect.*3. *num.*78., *& Rot. dec.*798. *num.* 62. *tom.*3. *par.*2. *cor. Molin.*

Præterea simulationem nec probari contendit ex protestationibus, quæ ægreferentiam, non dissensum ostendunt, & elidun-

duntur contrario facto professionis solemniter emissæ, *Sperel. d. decis.79. num.56.*, *& Rot. cor. Molin. d. dec.798. num. 36., & seq.*; Nec probatam relevare ob defectum causæ honestæ, quæ cessat, secluso metu, *cap. quod interrogasti 6. dist. 27., can. Vidua 27. quæst.1., & cap.1. de his quæ vi metusve causa fiunt, & Rot. cor. Molin. d. decis.798. num. 14., & 29.*, & ob successivam ratihabitionem per decennalem permanentiam in Regulari observantia, & per emensumReligionis studiorum cursum, cum susceptione Sacrorum Ordinum tituloMonasticæ paupertatis, *Fagnan. in cap. Vidua nu.17., & in cap. significatum num.17., & 40. de regular. Pignatel. consult. 146. nu.40., & seq. tom.1., & Card. Petra ad Constit. 9. Sixti IV. num. 7., & seq. tom.5. pag.525.* adversus quam subditur nullam recipiendam excusationem, ne compendium quis consequatur ex fraude qua se gessit erga religionem, & Ecclesiam *Rot. in d. dec. 798. num.14. coram Molines*.

Pertinet nunc ad EE. VV. decernere.

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 22. c. 6. de ref. FERRARIEN. SVBSDIORUM DOTALIUM. Testamento, quod Ferrariæ condidit, Joannes Surchi hæredem instituit Thaddæam Filiam, illique decedenti sine Filiis substituit transversales Agnatos, Joannem nempe Surchi in medietate Hæreditatis, & in alia medietate Filios Jacobi Surchi, onere iniuncto in casu purificatæ substitutionis, *che de frutti della sua Eredità si maritino ogni anno dodici Zitelle povere, e native Ferraresi, dando a ciascheduna di esse lire* 130.: *due delle quali dovranno essere della Villa di Gradizza, e l' altre dieci native Ferraresi come sopra povere, & onorate di buona vita, e fama: la nomina delle quali starà in petto del Signore Governatore, ed altri Officiali della Congregatione della Stimmate di questa Città &c. gravando in ciò la Coscienza loro in nominare Donzelle meritevoli, senza guardare ad altro interesse* --.

Decessit Thaddæa sine liberis; ideoque purificata substitutione, factus fuit locus distributioni subsidiorum dotalium, quæ ob diminutos redditus Hæreditatis reducta asseruntur ad quantitatem scut. 16. 50. pro quolibet. Supplicarunt autem huic Sacræ Congregationi quatuor Puellæ de Agnatione Testatoris, ut congrua eis dos constitueretur ex prædictis Subsidiis, & die 19. Junij 1717. prodiit rescriptum -- *Affirmative quoad decem annua subsidia dotalia pro qualibet ex Oratricibus, Puellis Ferrariensibus distribuenda, ita tamen ut firma remaneat distributio aliorum duorum subsidiorum Puellis Villæ Gradiscæ; & subsidia Dotalia decursa, & decurrenda deponantur in æde sa-*

cra

cra, neque consiguentur, nisi in actu Dotationis -- ; ut *in lib.* 67.*decret.pag.*249. Alia quinque Subsidia assignari mandavit Sacra Congregatio duabus Testatoris Cognatis pro habitu regulari assumendo, scilicet Margaritæ Mini die prima Septem. 1736., & Barbaræ Albanelli die prima Junij 1737. *lib.* 68. *decret. pag.* 326., *& lib.* 78. *decret. pag.* 228.; Et die 18. Julii 1744. rescripsit favore duarum Filiarum Constantij Surchij -- *Pro gratia, pro quinque dotibus tantum pro qualibet* --, ut *in lib.* 94. *decret. pag.* 401.

Aliarum exemplo excitata Theresia Poletti, quæ Filia est Antoniæ Surchi Testatoris agnatæ, preces obtulit S. M. Benedicto XIV., quibus postulabat, ut sibi assignarentur in causam Dotis scuta quingenta ex præfatis subsidijs. Præcibus ad Sacram Congregationem remissis, auditus fuit Eminentissimus Archiepiscopus, qui Testamentum, & Folium rationum a Confraternitate exhibitum transmittens, retulit, *quod respectu Theresiæ Poletti, cujus Pater nuper decessit ære alieno gravatus, & plene decoctus, decem tamen superstitibus Filiis, constat proculdubio de extremo paupertatis; cumque ulterius promptam habeat nubendi opportunitatem, crederem proinde concedi eidem posse subsidium scutorum centum, quæ ad effectuationem Matrimonij unice desiderantur* -- Iterum datæ fuerunt Literæ ad Eminentissimum Archiepiscopum, ut terminum Confraternitati præfigeret ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione; & termino præfixo, novum Confraternitas exhibuit Libellum in Congregatione habita die 22. Septembris superioris anni.

Urget nunc Thæresia pro Causæ decisione, & disputat, annuendum esse suis precibus, quia pauper est, & Consanguinea Testatoris, ideoque Extraneis præferenda ex præsumpta illius voluntate, ut firmant *Card. de Luca de dot. disc.*100. *num.*5., *& Rot. coram Durano decis.* 171. *numer.* 10.; & prælationem sibi deberi contendit non pro unico subsidio, sed pro quantitate congruæ Dotis, ut hæc Sacra Congregatio indulsit aliis ejusdem Testatoris Consanguineis, juxta relata Exempla, quæ statum firmant pro similibus casibus, ad tradita per *Fagnan. in cap. quoniam n.*80., *& seq. d. Constit.*

Confraternitas autem in Foliis Eminentissimo Archiepiscopo, & huic Sacræ Congregationi exhibitis excipit, Antonium Surchi nuper defunctum, & olim administratorem hujus Hæreditatis pecunias in suos usus consumpsisse, itaut eo detecto debitore scutorum fere tercentum plura remaneant subsidia solvenda Puellis jam nuptis, quæ uti habentes jus quæsitum præferendæ sunt quibuscumque Testatoris Consanquineis: Cognationem Testatoris adeo numerosam esse, ut si foret singulis illius Puellis danda prælatio pro pluribus subsidiis, vix hodie attingentibus summum scut. sexdecim, & obulorum quinquaginta proquolibet, facile subverteretur pium relictum quoad alias pauperes Puellas a Confraternitatis Officialibus nominandas, quibus Testator prospexit: Rursus Testatorem

sub-

substituisse in hæreditate suos agnatos, absque eo quod eos exemerit a patienda diminutione redditumm pro subsidiorum distributione favore pauperum puellarum, hinc inferendo noluisse Testatorem quoad summam pro istis necessariam favere Agnatis, & ideo non posse in eo subintelligi implicitam voluntatem præferendi Fæminas descendentes ex ejus familia contentiva, ubi potissimum quoad controversa subsidia nullam mentionem fecit nec de ipsis descendentibus a suis hæredibus; Et tandem Oratricem omnino pauperem non esse, cum supersit Dos Materna sc.2000., & illius Patruus Sacerdos possideat fundum annui redditus ferme sc.100.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

An, & in qua summa sit assignanda Dos Theresiæ Poletti in casu &c.

Sess. 24. c. 1. de refor. Matr.

CORDUBEN. DISPENSATIONIS. Nobilis Vir Joseph Perez de Guzman Cordubensis anno 1758. proposuit coram Ordinario querelam nullitatis Matrimonii, quod per Procuratorem die 17. Februarij 1728. celebraverat cum Anna Ponze de Leon æque nobili genere nata Civitatis Beatiæ, ob defectum consensus Sponsæ, quam dementem tunc fuisse asserebat. Sed mutato consilio, preces deinde obtulit S. M. Benedicto XIV., quibus postulabat dispensationem super eodem Matrimonio tamquam rato, & non consumato: illisque remissis ad hanc Sacram Congregationem, datæ fuerunt Literæ ad Episcopum, ut audita Muliere Sacram Congregationem instructam redderet, votumque suum aperiret.

Delegavit Episcopus suum Vicarium, ut opportunas caperet informationes, qui propterea Medici, & Chirurgi Testimonio edoctus de Annæ dementia, illi in primis Curatorem ad lites deputavit, quo citato admissi fuerunt articuli a Josepho exhibiti, & super illis interrogati viginti Testes, qui affirmarunt, paucis noctibus Josephum communem habuisse thorum cum Anna, suoque judicio putare numquam consumatum fuisse Matrimonium, ob reluctantiam Annæ ex insania reputantis se esse Monialem. Audita fuit Anna, quæ fatue, & ineptè respondit, licet requisita subscripserit; inspectumque fuit illius corpus a tribus electis Obstetricibus, quæ olei violacei, & tubi experimento, aliisque perpensis signis retulerunt, eam esse incorruptam. Et suum addidit juramentum Joseph, numquam se Matrimonium cum Anna consumasse.

Post completum Processum, decretamque ab Episcopo illius transmissionem ad Sacram Congregationem, comparuit in Curia Episcopali Comes de Garzies Frater Annæ, qui vigore mandati Procuræ ab illa subscripti audiri in Causa postulabat;

labat; diuque certatum est super hoc incidenti; donec Vicarius Generalis, declarata irrelevantia hujus mandati Procuræ ob insaniam Annæ, jura Comiti reservavit, ut peteret illi deputari Curatorem ad lites. Tres itaque Processus transmisit Episcopus cum sua relatione, quam his verbis concludit -- *Sentio, quod in præsenti facto intersunt plurimæ ex Causis exactis ab A. A. Canonistis ad dispensandum in Matrimonio rato, & non consumato Sanctissimum D. N. excitantibus, & allicientibus* --. Et Joseph, emissa apud acta Sacræ Congregationis renunciatione liti super nullitate Matrimonii, urget nunc Causam definiri quoad petitam dispensationem.

Supremam hanc esse defendit Summi Pontificis potestatem, dispensandi super Matrimonio rato, & non consumato, ex collectis per *Ursajam discept.* 3. *n.* 5. *& seq. tom.* 2. *part.* 1.: Et ad hunc effectum duo solum probanda esse, Matrimonium scilicet numquam consumatum extitisse, & graves adesse causas animum Pontificis impellentes, ut admissum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Urbanien.* 12. *Januarij* 1726. *lib.* 76. *decret. pag.* 2.. Probationemque non consumationis leviorem exigi pro gratia dispensationis, quam pro nullitate per viam justitiæ declaranda, *Ursaja discept. Eccles. tom.*3. *part.* 2. *dispen.* 20. *num.* 130., imo extrajudicialem requisitam fuisse *in Januen. dispensationis* definita 27. *Januarij* 1720. *lib.* 70. *decret.pag.* 23.: nec deesse concludentem probationem, cum ea eruatur ex relatione Obstetricum præferenda iuramento etiam consumationis, juxta censuram *textus in cap. proposuisti* 4. *de probat.* ubi *DD.*, & definivit *Rota in Mantiss. ad ae Luc. lib.* 14. *decis.* 10. *&* 11., & hæc Sacra Congregatio in dicta *Januen. dispensationis* 27. *Januarij* 1720., *& in altera Januen. Matrimonij* 14. *Januarij* 1741. *lib.* 91. *decret. pag.* 1.

Et licet aliqui sint, qui negant ulla adesse virginitatis signa, & Obstetricum Manus, & oculos falli posse; attamen contrariam opinionem veriorem probari autumat tum Medicorum, tum Canonistarum testimonio, juxta Sententiam Sacræ Rotæ *in decis.*23. *num.*23. *part.*12. *Recent.*, *& decis.* 10. *num.*9., *& decis.*11. *n.*37. *lib.*14. *in Mantis. ad de Luca*, & Sacræ hujus Congregationis in præfata *Januen. Dispensationis* 27. *Januarii* 1720.; præsertim cum Obstetrices opportunas adhibuerint cautiones, & aptissima referant inditia, juxta votum Medico-Chirurgicum duorum Urbis Professorum: neque ex parte Mulieris suspicari liceat fraus, tum quia insana est, tum quia ejus potius intererat violatam deprehendi, ut Matrimonij firmitatem, pro qua pugnat, tueretur. Et fidem Obstetricum relationi augeri putat ex juratis Testibus, & ex juramento a se præstito de Matrimonio numquam consumato, juxta notata per *Ursaja tom.*2. *part.* 2. *dispet.* 21. *num.*28., *& seq.*

Contendit insuper tres satis fuisse Obstetrices: Septimamque manum requisitam *in cap. laudabilem* 5. *de frigid.* suppleri oculari inspectione, & aliis probationibus *Jo: Georg. Simon.*

de-

de impotent. Conjug. *cap.7. thes.3. num.6.*, *& Ursaja dissept.* 12. *tom.* 1. *part.* 1. *num.* 85.: præsumptionem rursus Copulæ ex condormitione resultantem elidi per contrariam Virginitatis probationem *Ursaja discept.* 3. *num.* 45. *tom.* 2. *part.* 1., *& discept.*21. *num.*147. *tom.*3. *part.* 2., & concordant resolutiones hujus Sacra Congregationis *in Jannen. dispensationis* 20. *Maij* 1719. *lib.* 69. *decret. pag.* 255., *& in Mediolanen. Matrimonij* 12. *Januarii*, *&* 24. *Maij* 1732. *lib.*82. *Decret. pag.* 1. & 251.: nec obstare tricenarium silentium, cum appareat mulierem esse incorruptam, *Anchar. in cap.* 1.*num.* 1., *&* 8. *de frig.*, & constet sub initium matrimonij Virum pertæsum repulsa Conjugis nomen dedisse Regiæ militiæ, ejusque stipendia ad plures annos cum laude inItalia meruisse: Minusque officere alterius conjugis dissensum, si tamen hic in dementi muliere considerari poterit, quoties justæ, & urgentissimæ suppetunt causæ dispensandi, *Sanchez de Matrim. lib.*2. *disput.* 15. *num.* 7., *Clericat. de Sacram. Matrim. dec.*15. *n.*51.

Causas vero ad petitam dispensationem impetrandam plures cumulat: dementiam scilicet Annæ tempore initi Matrimonij a testibus affirmatam, quæ vix per Ancillam instigata sensum suum porrecta manu coram Parocho explicavit; itaut dubitari possit de primævo illius consensu, *cap. Neque furiosus* 32. *q.*7., *& c. dilectus* 24. *de sponsal.*; illius continuatam insaniam sine spe alicujus resipiscentiæ: repugnantiā Maritalibus amplexibus: & graveolentiam intolerabilem; quæ cum impediant finem Matrimonij, justam præbent causam petitæ dispensationi *can. quod proposuisti* 32. *quæst.* 7. *ibique Barbos. num.* 2. *Abbas in cap. Fraternitatis*, *& in cap. ex literis de frigid.*, *Ursaja tom.*3. *part.*2. *discept.* 21. *num.*99.: & periculum tum incontinentiæ, tum inimicitiarum, & scandalorum, quæ justè timeri possunt ob deceptionem possam a Josepho, qui Mandatum Procuræ dederat suo Familiari Beatiam deferendum ea lege, ne illud consignaret Comiti de Garzies Sponsæ Fratri, & Procuratori constituto, nisi prius agnovisset falsitatem insaniæ Annæ, dequa rumor advenerat Cordubam, qua lege spreta infidus Familiaris donis corruptus illud consignavit, non obstante dementia; & propterea ad succurrendum decepto, ad evitandum rixas, locum esse contendit dispensationi, ut *notant. Pagnan. in c. verum n.*11. *de convers. conjug.*, *Sanchez de Matr. lib.* 2. *disput.* 16. *nu.*2., *& Ursaja tom.*3. *part.*2. *dispcep.* 21 *nu.*60.: Præterea adducit præclaram sui generis nobilitatem, & affluentiam divitiarum, quæ faciliorem reddere putat dispensationem, ne pereat Nobilis Familia, ad firmata *per Corrad. prax. dispens. lib.*8. *cap.* 7. *num.* 35.: Ac demum favorabile votum Ordinarii plurimi æstimandum.

Dispensationi nihilominus obsistunt Mulieris, & Matrimonij Defensores, qui disputant fidem nullam mereri probationes in Curia Episcopali compilatas, sine deputatione defensoris Matrimonij, juxta constitutionem *Dei miseratione* san. mem. Benedicti XIV. in ejus *Bullar. la* 33. *tom.* 1.: consumationis vehe-

vehementissimam præsumptionem oriri ex cohabitatione, & condormitione, *cap. literis*, *& cap. tertio loco de præsumpt. Pignatell. consult.* 148. *num.* 21. *tom.* 1., *Zacch. quæst. medico-Legal. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 3. *num.* 12., *&* 14., præsertim post diuturnam triginta annorum acquiescentiam, *cap.* 1. *&* 5. *de frig.*, *Angel. de confes. quæst.* 49. *num.* 16.: Obstetricum relationem adminiculum, non probationem facere, quia facile decipiuntur, *can. nec aliqua* 27. *quæst.* 1. *cap. causam* 14. *de probat.*, & practice testantur *Eugen. Epist. Medic. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5., *& Bajard. ad* Clar. §. *fin. quæst.* 4. *num.* 7.: & quia non dantur signa certa virginitatis *Cujac. in c. penult. de frig.*, *& malef.*, *Zacch. quæst. Medico leg. lib.* 4. *quæst.* 1. *nu.* 14., *& seq.* immo fallax in casu judicandum esse Obstetricum judicium ex ineptitudine inditiorum, juxta votum Chirurgicum Duorum Professorum Urbis: Testes vero de propria credulitate deponentes non esse attendos, nec standum juramento viri, *Glos. in cap. accepisti verb. probat. de frigid.*, *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 45. *quæst.* 4. *num.* 33.: Et in dubio pronunciandum esse contra dispensationem, juxta exempla relata per *Ursajam tom.* 2. *part.* 1. *disput.* 3. *num.* 34., *&* 54., *& apud de Just. in append. de dispens. Matr. cas.* 23., & concordant rescripta edita in *Pragen. Matrimonij* 26. *Januarij* 1732. *lib.* 82. *decret. pag.* 35., *in Vormatien. Matrimonij* 23. *Januarij* 1734. *lib.* 84. *decret. pag.* 42., *& in Hispalen. dispensat.* 14. *Martij* 1739. *lib.* 89. *decret.. pag.* 73.

Justam quoque autumant deesse Causam, quia dementia non probatur adfuisse tempore initi Matrimonii, juxta depositionem unius Testis, qui tamen in toto suæ depositionis contextu refert fatuitatis intervalla Matrimonio præcedentia: & quia insania superventa non irritat Matrimonium *can. si Uxorem* 32. *q.* 3., *& can. hi qui Matrimonium* 32. *quæst.* 7. Rixas, subiungunt, in Privatis imperio Magistratus comprimi posse; timorem incontinentiæ sero nimis allegari post transactam juventutem seorsim ab uxore. Et cum reliquæ desint Causæ, nihil prodesse autumant solam Nobilitatem, quia nec etiam Magnis Principibus conceditur sine causa *Corrad. in prax. dispens. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 33.

Et denique arbitrantur obstare dispensationi defectum consensus Uxoris, ad tradita per *Fagnan. in cap. ex pacto num.* 26. *de convers. conjug.*, præsertim ob illius præjudicium, ex quo alias nuptias contrahere nequiret, *Ursaja discept.* 21. *num.* 58. *tom.* 3. *part.* 3.

His autem perpensis definiendum erit ab EE. VV.

An constet de Matrimonio rato, & non consumato, itaut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Die Sabbathi 22. Novem. 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs. 22. cap. 6. de Ref.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Cauſa hæc deſcripta fuit in Folio præteritæ Congregationis habitæ die 20. ſuperioris menſis Septembris, ſed propoſita non fuit. Dignentur itaque EE. VV., reaſſumpto dicto folio, definire.

An & in qua ſumma ſit aſſignanda dos Thereſiæ Poletti, in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Eminentiſſimi Archiepiſ. & Amplius.

Seſſ. 24. c. 1. de Ref. Matrim.

CORDUBEN. DISPENSATIONIS. Species hujus Cauſæ repetenda eſt ex folio poſtremæ Congregationis habitæ die 20. præteriti menſis Septembris, in qua ob alia plura negocia diſcuſſa defuit tempus hanc quoque cauſam proponendi. In pervigilio tamen anteactæ Congregationis exhibita fuerunt in Secretaria pro parte Annæ Ponze de Leon nova documenta de partibus tranſmiſſa; ſcilicet examen ad perpetuam cujuſdam Cubiculariæ ipſius Annæ, quæ a famulatu diſceſſit triennio poſt ſequutum Matrimonium Annæ cum Joſepho Perez de Guzman, quæque teſtatur, eo tempore notoriam fuiſſe in Familia, & tota Civitate Cordubenſi prægnantiam Annæ, & abortum ab ea paſſum, ipſamque Teſtem fortuito ingreſſam in Cubiculum vidiſſe jacentes Conjuges ſimul coeuntes, & præſentem fuiſſe cum aliis pluribus Familiaribus, quando Anna paſſa eſt abortum: nec non ſimile aliorum trium Teſtium Examen, qui hæc omnia audiviſſe narrant a dicta Cubicularia tempore ejus diſceſſus a Famulatu viginti novem ab hinc annis ſecuti.

Præterea contenditur ad inſtantiam Annæ, quod pendente lite ſuper fædere Matrimonii Vir ſubminiſtrare debeat Uxori alimenta, & ſumptus litis, ex juribus relatis per *Rotam in deciſ.* 1299. *n.* 1. *& ſeq. cor. Lancet.*, quodque, licet anno præterito decreta fuiſſet contra Virum ſubminiſtratio ſc.300., attamen nec integra ſumma ſoluta unqnam fuerit, nec illa ſufficere poſſit pro expenſis traductionum, impreſſionum, & honorarii Defenſorum, ac pro alimentis ipſius Annæ. Quapropter flagitatur præfinitio certæ quantitatis anticipate ſubminiſtrandæ quolibet menſe, juxta indigen-

digentiam uxoris collitigantis, & dignitatem Familiæ, allegata ad hunc effectum *Rota in decis.422. n.4. & 5. cor. Roxas*, ubi decreta fuit subministratio sc.40. singulis mensibus pro alimentis Ducissæ Costamassimæ litigantis cum viro super validitate Matrimonii.

Utraque igitur controversia nunc proponitur, ut definiatur ab EE. VV.

I. *An constet de Matrimonio rato, & non consumato, itaut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, in casu &c.*

II. *An sit locus subministrationi sumptuum litis, & alimentorum, in casu &c*

Ad I. Negativè & Amplius. Ad II. Affirmativè & Amplius & ad D. Secretarium tam pro liquidatione expensarum quam pro taxatione alimentorum.

CALARITANA. Ad dirimendam litem vertentem in Sacr. Rituum Congr. inter Canonicos, & Beneficiatos Cathedralis Ecclesiæ Calaritanæ, concordia inita est inter Partes, juxta insinuationem cl. me. Cardinalis Sabelli Causæ Ponentis, illiusque confirmatio a S. M. Urbano VIII. commissa fuit Archiepiscopo Calaritano, qui die 11. Augusti 1629. inhærendo Literis Apostolicis, & Partium conventioni, suppressit in Ecclesia Cathedrali sex Beneficia, *& illorum loco erexit in eadem Ecclesia sex Canonicatus, totidemque Præbendas de solio, seu de sede nuncupandas*, quarum obtentoribus concessit *Stallum in Choro, & postquam Sacris Ordinibus initiati fuerint, vocem in Capitulo, & in aliis Capitularibus actibus, non tamen vocem passivam in electione, seu deputatione Vicarii Capitularis*. Illis autem pro eorum dote assignavit redditus omnes Beneficiorum suppressorum, ex quibus Massam constituit a Mensa Capitulari antiquorum Canonicorum omnino distinctam, novosque Canonicos, servata inter ipsos præcedentia juxta ordinem receptionis, nullam præcedentiam habere decrevit supra Canonicos antiquos, illorumque successores; & illos gravavit hastas argenteas gestare, *& Invitatoria intonare, aliaque omnia & singula, ut præfertur, concordata omnino facere, & adimplere, ac dictæ majori Ecclesiæ inservire, Missisque, & aliis Divinis Officiis tam nocturnis, quam diurnis de more interesse*. *Sess.24. c.12. de Ref.*

In ipso tamen novæ hujus erectionis limine altera orta est controversia de præcedentia inter novos Canonicos, & Coadjutores, illorum favore definita per Sacr. Congregationem Rituum, quæ die 18. Augusti 1629. declaravit, *Coadjutores, viventibus Coadjutis, non esse veros Canonicos, & ideo illis nullam deberi ab aliis Canonicis præcedentiam*. Hujusmodi præcedentiæ prærogativam illis denegavit Capitulum quoad Canonicatum S. Barbaræ ex fun-

ex fundatione Josephi Fortezza erectum in Cathedrali an. 1705.: & rursus in erectione alterius Canonicatus sub titulo B. M. de Mercede fundati anno 1722. a Juliano Caddelo, nihilque profuerunt novorum Canonicorum protestationes, quin Capitulum decerneret favore illius obtentoris præcedentiam in loco immediato post ultimum ex antiquis Canonicis, quos vocant de Præbenda, reservata novis Canonis de Stallo nuncupatis facultate deducendi in posterum jura sua, si quæ habuissent, ad vindicandam præcedentiam supra Canonicos novissime admissos.

Alias quoque injurias accepisse conquesti sunt Canonici de Stallo; ideoque precibus huic Sacræ Congregationi oblatis postularunt, ut ipsis debitus honor servaretur. Auditus de more Archiepiscopus, folium transmisit ab antiquis Canonicis exhibitum, ipse tamen votum suum non aperuit. Quinque igitur subscriptis Dubiis, causa nunc proponitur.

Et primo disputant Canonici de Stallo, ipsos esse veros Canonicos, non obstante quod de Stallo nuncupentur, & Massam habeant distinctam a Mensa Capitulari antiquorum Canonicorum; quia adjunctio nominis ad indicandam diversam erectionem nihil detrahit juribus veræ Canoniæ, ut firmant *Barbos. de Canon. cap.* 12. *n.* 18., *Card. de Luca eod. tit. discurs.* 37. *num.* 2. *&* *Scarfant. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 14. *n.* 51.; & de essentia Canonicatus non est, ut ejus dos, & Præbenda uniatur mensæ communi, ut probat *Rota in dec.* 115. *n.* 25. *cor. Crispo*. Quamobrem sibi deberi præcedentiam contendunt supra Canonicos, quorum Canonicatus fuerunt successive erecti, vel in posterum erigentur, quia ratio servandæ æqualitatis exigit, ut quemadmodum ipsi cedunt antiquis Canonicis, ita cedere ipsis debeant Canonici posterioris erectionis.

Prætenduntque quoque arceri non posse ab officio nuncupato *Sisenarii*, scilicet a numero sex Canonicorum, qui eliguntur, ut insurgentes controversias dirimant sine Capitulo: quia semel admissi ad consortium Canonicorum debent participare de omnibus juribus, & præeminentiis Canonicalibus, quibus non resistit lex fundationis, ut explicant *Card. de Luca de Canon. disc.* 6. *n.* 12. *& Rota post Scarfant. tom.* 2. *decis.* 28. *n.* 2., *& dec.* 36. *n.* 3.; Et ob eandem rationem sibi jus esse affirmant canendi Antiphonas, & invitatoria in propriis Stallis, quemadmodum fieri solet a Canonicis antiquis; Et parem cum illis habere autumant facultatem vacandi a Choro tribus mensibus indultis a Sacro Concilio Tridentino *in Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*; Et percipiendi in absentia duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum, quæ cum absorbeant integros fructus Canonicales, loco Præbendæ accipiuntur, & tertia tantum pars inter veras distributiones recensetur, juxta sententiam hujus Sacræ Congregationis, de qua *Pignatell. consult.* 115. *n.* 42. *tom.* 9., *& Scarfant. ad Ceccoper. tom.* 3. *addit.* 3. *n.* 9.

Verum circa præcedentiam advertendum est, caveri in erectione Ca-

Canonicatuum de Stallo, quod illorum possessores *non possino precedere ad alcuno degli altri Canonici ne adesso , ne in altro qualunque tempo* ; Et rursus in Literis Apostolicis exprimitur , quod iidem Canonici de Stallo , *eorumque successores nullo unquam tempore antiquos ejusdem Ecclesiæ Canonicos nunc existentes , eorumque successores præcedere possint*: & cum Literis prædictis concordat decretum exequutoriale Archiepiscopi Calaritani latum pro confirmatione Concordiæ ; quocirca cum alter ex novissimis Canonicatibus, post seriam discussionem in Capitulo habitam super illius acceptatione facienda in ordine Canonicatuum de Stallo, seu potius de præbenda, fuerit capitulariter acceptatus cum prærogativa Canonicatus supranumerarii *di prebenda*, inquirendum est , num præcedentia reservata antiquis Canonicis de præbenda competere valeat etiam isti illorum cætui cooptato , ut innuere videtur *Ceccoper. Lucubrat. Canonic. lib. 1. tit. 4. n. 51. & seq.* Et circa officium *Sisenarii* ponderandum occurrit, num officiat Canonicis de Stallo , quod post erectionem numquam electi fuerunt ad illud exercendum in longo decursu centum triginta annorum .

De Cantu autem Invitatorii , & Antiphonarum conventum fuit in concordia , quod iidem Canonici de Stallo *siano obligati intonare l'invitatorio negli Vfficii Canonicali, e Ponteficali , nelli quali canteranno solo li Canonici le Antifone da suoi Stalli ; però negli altri Vfficii doppii scenderanno due de* Canonici *nuovamente eretti ad intonare le Antifone seconda , e terza , uno per parte ; e nelli semidoppi l'intoneranno li Beneficiati , scendendo da suoi Stalli al Faldistorio* : Et in Literis Apostolicis eadem reputuntur onera , ut præfati Canonici de Stallo *Invitatorium in Canonicalibus , & Pontificalibus officiis , in quibus Canonici dumtaxat Antiphonas ex eorum Stallis decantabunt , intonare ; in aliis vero Officiis duplicibus duo ex Canonicatus , & Præbendas noviter erigendas obtinentibus ad secundam , & tertiam Antiphonas , ex utraque parte videlicet unus , & in semiduplicibus Officiis hujusmodi Beneficia obtinentes Antiphonas ad Faldistorium accedendo intonare teneantur* . Cùm itaque Archiepiscopus Calaritanus in decreto exequutoriali injunxerit cantum Antiphonarum , & Invitatorii nullo designato loco , sed relative ad modum concordatum, inspiciendum est , num prædictis Canonicis liceat illas intonare ex propriis Stallis , seu potiùs teneantur ad Faldistorium accedere , prout etiam fuit hactenus observatum .

Quoad vacationes demum nulla fuit allata probatio consuetudinis, quam dumtaxat præservare voluit Sacrum Concilium Tridentinum in citata *Sess. 24. cap. 12. de refor.*, ubi consuetudo vacationum restringitur ad tres Menses , non tamen indulgentur novæ vacationes , si non adsit in Ecclesia illarum consuetudo .

Omnibus itaque ponderatis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An sex Canonici nuncupati de solio , sive de stallo , sint veri Canonici ?* & quatenus Affirmativè .

II. *An iidem Canonici semper , & quandocumque præcedere possint*

Ca-

Canonicis, quorum Canonicatus fuerunt post erectionem Canonicatuum de Stallo fundati, vel deinceps fundandi?

III. *An d. Canonici jus habeant assequendi Officium vulgo nuncupatum* Sisenarii, *& alia, quæ per turnum obtinentur?*

IV. *An prædicti Canonici possint canere Antiphonas, & invitatoria ex propriis Stallis, seu potius teneantur in iis canendis accedere ad Faldistorium?*

V. *An prædicti Canonici gaudere possint annua vacatione trium Mensium a Choro; & duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum percipere, in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

S.22. c. 11. & S. 25. c. 9. de Ref.

FANEN. EXEQUUTIONIS DECRETORUM SACRÆ VISITATIONIS. Juspatronatus Ecclesiæ Curatæ S. Sebastiani quod anno 1502. authoritate ordinaria reservatum est Hominibus Villæ Belloculorum illius Fundatoribus, aliudque ab ipsis in posterum acquisitum cujusdam Cappellæ nuncupatæ *Gioventù* in eadem Ecclesia erectæ, ammissum ab eis fuisse censuit Episcopus Fanensis ob ingerentiam Officialium Communitatis d. Villæ in perceptione fructuum Ecclesiæ, & Cappellaniæ prædictæ, & ob Simoniacas pactiones initas cum Cappellanis in eorum electione, vel confirmatione. Postquam itaque vigore præcepti pœnalis in Sacra ejusdem Ecclesiæ Visitatione editi die 25. Julii 1759. acceperat a prædictis Hominibus libros comprobantes gestam administrationem, & pactionatas nominationes, Fanum reversus die 5. Septembris ejusdem anni decretum promulgavit, quo restituta Cappellanis administratione bonorum, damnatur Communitas Ecclesiam dotare, illataque damna sarcire, & utroque jurepatronatus privatur, nisi paruisset infra tres menses, legitimamque obtinuisset absolutionem a censuris incursis ob Simoniam. Reclamavit Communitas ad A. C.; Sed Causa ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi remissa ad hanc Sacram Congregationem, decem concordata fuerunt dubia, quæ sapientissimo EE. VV. judicio nunc subjiciuntur.

Decretum suum defendit Episcopus quoad demandatam adversus Communitatem Ecclesiæ dotationem ex lege fundationis, qua ejus Decessor anno 1502., reservando juspatronatus Hominibus, & Massariis Villæ Belloculorum declaravit, *dictos Homines, & Massarios teneri ad decimas persolvendas dictæ Ecclesiæ, & illam dotandam*: dictæque legi satisfactum non fuisse contendit per decimarum præstationem, quoniam dotis vicem supplere nequeunt decimæ cumulativè debitæ. Et quo ad injunctam damnorum emendationem justificari arbitratur suum decretum, ex quo Communitas in confirmatione Cappellani Curati anno 1747. illi per

per pactum ademit prædium, quod fertur emptum fuisse ex pecuniis Ecclesiæ Legatis a Paterniano Bellochi cum onere quinque Missarum in annos singulos celebrandarum; & quia in aliis Cappellani Curati confirmationibus anno 1749. 1754., & 1755. nedum abstulit illi emolumenta Sacrorum Utensilium, quæ solvuntur in annuis sc. 3. 40. a præfata Cappella *Gioventù*, & ab illis de Abundantibus, non obstante subministratione Ceræ, Vini, & Hostiarum cum annua expensa scut. 1. 50. ab eodem Cappellano Curato expleta, ut ipse testatur: sed etiam eidem imposuit onus expensarum Sacræ Visitatis, & solutionis census reservati Mensæ Episcopali in Consecratione Ecclesiæ, quibus ob dotem nondum præstitam gravari unice debuisset ipsa CommunitasPatrona, ut firmant *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.*64. *num.*16., *Piton. de contr.patr.alleg.*12.*num.*7.*& Sperell. decis.*68. *num.*11.

Hinc autem putat Episcopus, Communitatem & Simoniaca labefœdatam fuisse ob supradictas conventiones initas cum Cappellanis Curatis in illorum confirmatione, & in pœnam incidisse ammissionis jurispatronatus ob prædictam ingerentiam in administratione bonorum Ecclesiæ, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *in Sess.*22. *cap.*11., *& Sess.*25.*cap.*9. *de refor.*, de qua *Card. Petra ad Constit.* 7. *Gregor. IX. num.* 62.*tom.* 2. *pag.*545.

Et ob eandem rationem autumat privandam esse Communitatem altero jurepatronatus Cappellæ nuncupatæ *Gioventù*, quatenus infra terminum trium mensium non impetraverit absolutionem a Censuris, ac emendaverit damna eidem quoque illata per incisionem Arborum factam anno 1743., & per improvidum investimentum pecuniarum dictæ Cappellæ in censu anno 1752. empto sine interventu Cappellani, ac a debitoribus obæratis constituto super fundo obnoxio anteriori hypothecæ alterius census sc. 165.: & quatenus non dimiserit in manibus illius Cappellani usurpatam possessionem bonorum ad Cappellaniam pertinentium, ad formam decreti a Commissario Rev. Fabricæ S. Petri editi anno 1721., quo præcipitur, quod *annuos fructus, & redditus debeat libere, & propria authoritate totaliter, & integraliter percipere Cappellanus pro tempore*.

Verum excipit Communitas, nulliter hæc omnia decreta fuisse ab Episcopo in Civitate Fani, post peractam Visitationem Villæ Belloculorum, & nulla servata judicii forma, juxta firmata per *Rotam in decis.* 249. *num.* 19. *&* 20. *part.* 9. *recent.*; Nullitate subjungit graviorem esse injustitiam decreti Episcopalis, quia onus dotationis Ecclesiæ assumptum fuit per Homines Villæ Belloculorum non simpliciter, & absolutè, sed conditionaliter *quam primum eis aderit facultas*, ut legitur in Instrumento erectionis, & fundationis Ecclesiæ; quocirca purificatam non videri obligationem, nisi probata supervenientia facultatum. Prætereaque lapsum 257. annum, quot effluxerunt post fundationem Ecclesiæ, præsumptionem inducere conventionis, etiam authoritate Apostolica confirmatæ, quod loco dotis Cappellanus

nus Curatus percipiat decimas ex tribus ſpeciebus frumenti - muſti, & lini, & Communitas ære ſuo teneatur ſupplere cæteris Eccleſiæ indigentiis, ut hactenus fuit ſervatum.

Aſſertam vero uſurpationem bonorum, & labem prætenſæ Simoniæ excludi arbitratur, ob qualitatem Cappellaniæ Curatæ, quæ amovibilis ad nutum ipſius Communitatis declaratur in Deciſione *Fanen. juris nomidandi* 2. *Julii* 1745. *coram Eminentiſſimo D.Card.Buſſio*, modo ſupponenda ob emiſſam a ſuccumbente renunciationem liti; ad hunc effectum propugnando, Cappellanum ad nutum amovibilem nec Rectorem Eccleſiæ dici, nec Titulum habere Beneficii; ideoque adminiſtrationem Œconomicam bonorum Eccleſiæ, cum erogatione fructuum in illius utilitatem, non uſurpativam, ſed legitimam cenſendam eſſe penes Patronos Laicos: & conventiones initas in electione Cappellani circa quantitatem ſalarii illi præſtandam nequaquam ſubjacere vitio Simoniæ, ad tradita per *Garz. de benefic. part.* 1. *cap.*2. *num.*93., *Reinfeſtuel. in jus Canon. lib.*1. *tit.*3. §.11. *num.* 273., *& Caſtro Paleo de Simon. diſp.*3. *punct.*25. *num.*1. Additur quoque, circa adminiſtrationem prædii empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi nihil decerni potuiſſe ab Epiſcopo, non inſpecto Legantis teſtamento *arg. textus in l. 6. ff. de tranſact.*; expenſas vero Viſitationis, & Cenſus Epiſcopo debiti ſubeundas eſſe a Cappellano Curato juxta veterem conſuetudinem, & juris diſpoſitionem, ad tradita per *Zecch. de Paroch. cap.* 38. *num.*4.: & Utenſilium Emolumenta, poſthabita Cappellani atteſtatione facta ad proprium commodum, ſolvenda fuiſſe Officiali, qui curam habet Eccleſiæ, quique expenſis Communitatis omnia ſubminiſtrat Utenſilia, *ſenza che il Signor Cappellano Curato debba ſpendere un bajocco per li ſuddetti utenſilj*, ut legitur in deliberatione conſiliari anni 1749.

Ceſſante itaque objecto crimine Uſurpationis, & Simoniæ, manifeſtam eſse, clamat Communitas, injuſtitiam decreti Epiſcopi quoad privationem juriſpatronatus dictæ Eccleſiæ, quod Communitati pleniſſime addicitur in prædicta Deciſione, & re judicata Rotali; & æque injuſtam eſse defendit privationem juriſpatronatus Cappellæ *Gioventù*, cui nullum damnum irrogaſſe putat per inciſionem Arborum coacte factam anno 1743. occaſione ſtationis exterorum Militum, quia in cenſu empto anno 1752. erogatæ fuerunt pecuniæ adamuſſim *provenientes ex pretio faſcinarum, quercus, & almi ejuſdem Cappellæ*: minuſque per emptionem ejuſdem Cenſus, quæ non improvide, ſed conſultiſſime facta prædicatur a Communitatis Officialibus prævio aſsenſu Curiæ Epiſcopalis cum Perſonis tunc reputatis fide, & facultatibus idoneis.

Et circa adminiſtrationem bonorum ejuſdem Cappellæ, perperam traduci aſseritur decretum Commiſsarii Rever. Fabricæ vel numquam exequutum, vel ſolum tribuens Cappellano facultatem percipiendi fructus propria authoritate, juxta recenſita illius verba, non autem exercendi bonorum adminiſtrationem

quæ

quę moraliter impossibilis redditur Cappellano amovibili ad nutum Communitatis, quæque a pio Fundatore tributa videtur ipsi Communitati, quam pleno jure instituit universalem hæredem, cum onere solum *di mantenere in perpetuo un Sacerdote Cappellano amovibile a beneplacito della suddetta Communità* pro celebrandis Missis *tante volte, quante volte li sarà imposto dalla suddetta Communità, e Consiglio, quali dovranno regolarsi a proporzione delle rendite*; adstipulante præsertim longæva observantia centum & ultra annorum decursorum post Testamentum dicti pii Fundatoris conditum anno 1657., quibus semper administrata fuerunt per Communitatem illius bona.

Demum flagitat Communitas restitutionem Libri resolutionum Consiliarium, qui detinetur in Cancellaria Episcopali in comprobationem asertarum conventionum Simoniam redolentium, ex quo seclusa Simonia nulla suppetit ratio pro illius retentione, ac retardatione restitutionis ejusdem favore Communitatis.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire

I. *An decretum S. Visitationis factum anno* 1759. *pro libera administratione Prædii empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi tributa Parocho pro tempore, cum simplici Communitatis Villæ Belloculorum facultate invigilandi super satisfactione oneris Missarum, & manutentione dicti prædii, sit exequendum, in casu &c.*

II. *An applicatio annuorum utensilium, quæ solvuntur ab illis de Abbondanti, & a Cappella* Gioventù, *facta eidem Parocho relative ad quantitatem subministrationis Ceræ, Vini, & Hostiæ, substineatur, in casu &c.*

III. *An onus solvendi annuatim Canonem promissum in prima Ecclesiæ fundatione, & onus expensarum Sacræ Visitationis impositum Communitati substineatur, in casu &c.*

IV. *An Communitas & Homines Villæ Belloculorum teneantur assignare Dotem Ecclesiæ Parochiali, in casu &c.*, & quatenus affirmative.

V. *An suspensio jurispatronatus dictæ Ecclesiæ quousque Communitas, & Homines prædicti dotaverint eandem Ecclesiam, & reportaverint absolutionem a prætensis censuris, substineatur in casu &c.*, & quatenus affirmative.

VI. *An privatio Jurispatronatus dictæ Ecclesiæ inflicta dictæ Communitati, & Hominibus, quatenus infra præfixum terminum dotationem non impleverint, & absolutionem a Simonia non impetraverint, substineatur, in casu &c.*

VII. *An suspensio, & interina devolutio jurispatronatus Cappellæ* Gioventù, *substineatur, in casu &c.*

VIII. *An totalis administratio bonorum Cappellæ* Gioventù *tributa Cappellanis pro tempore, relicto penes Communitatem jure tantum invigilandi super cultura, & manutentione dictorum bonorum, substineatur, in casu &c.*

IX. *An demandata recuperatio Census, illiusque fructuum, & resititu-*

ſtitutio pretii lignorum, & arborum cæſarum, ſubſtineatur, in caſu &c.

X. *An ſit locus reſtitutioni libri, in caſu &c.*

Ad I. Dilata, & exhibeatur particula legati Paterniani Bellocchi. Ad II. & III. Affirmativè. Ad IV. Negativè firmo remanente onere Communitatis pro manutentione tam Eccleſiæ juxtà ſolitum, quam congruæ Parocho debitæ. Ad V. Negativè. Ad VI. Proviſum in 4. & 5. Ad VII. & VIII. Negativè. Ad IX. Negative & Epiſcopus procedat prout de jure ſervatis ſervandis. Ad X. Affirmativè facta obligatione per communitatem de cuſtodiendo & exhibendo ad omne mandatum.

Seſſ.23. cap.6. de Ref.

NERITONEN. ABBATIÆ. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 19. Aprilis proxime præteriti, qua diſpenſationem ſuper defectu ætatis petitam a Bartholomæo Maſſa Patroni Filio denegandam eſſe contendebat Didacus Maſſa, uti paſſive vocatus ex lege fundationis in caſu deficientiæ Clerici habilis de linea Patronorum. Quia vero capacitas Clerici requiſita in Inſtrumento fundationis repetita non erat in decreto erectionis controverſi Beneficii, nec appoſita aſſerebatur in Indulto S. M. Urbani VIII., cujus vigore fundatio ſequuta fuerat, ideo reſcripſerunt EE. VV. -- *Dilata, & exhibeatur Indultum Apoſtol.* Territus autem Didacus gravi impenſa quadraginta ducatorum aureorum de Camera, quæ requirebatur pro habenda publica copia dicti Indulti ab Archiviſta Datariæ Apoſtolicæ, & forſan diffidens de ſuis juribus ſuper meritis Cauſæ, liti ſolemniter renunciavit. Urget itaque Bartholomæus, Cauſam ſui favore definiri; quia deficiente legitimo contradictore, facile concedi ſolet diſpenſatio favore Deſcendentium a ſanguine Fundatorum, vel Patronorum, etiamſi in Infantili ætate ſint conſtituti, juxta exempla relata in Folio dicta die 19. Aprilis diſtributo, & benigne reaſſumendo, quibus addi poſſunt alia exempla ſimilium diſpenſationum ab hac Sacra Congregatione conceſſarum Puero bimo *in Melevitana* 12. *Februarii* 1735. *lib.* 85. *decr. pag.* 72., Puero trimo *in Aretina* 16. *Decembris* 1747. *lib.*97.*decr.pag.*503. *terg.per ſum.præc.*& Puero quinquenni præſentato ad Canonicatum Cathedralis *in Monaſterien., ſeu Oſnabrugen. Canonicatuum* 7. *Aprilis* 21., *& Julii* 1753.*lib.*103. *decr. pag.*148. *&* 294. Expediendum nunc erit ab EE. VV.

An ſit relaxanda ſupplicatio, & reſpectivè concedenda diſpenſatio, in caſu &c.

Affirmativè & amplius.

MU-

MUTINEN. CAPPELLANIÆ, SEU LEGATI PII. Testamento, quod condidit die 29. Maii 1688., Joannes Franciscus Bondì de Castro Flumalbi Mutinensis Diæcesis hæredem universalem instituit Peregrinum Filium suum, cui sine Liberis decedenti substituit in universa hæreditate suas Filias Fœminas innuptas, & post obitum earumdem præcepit, quod *detta Eredità decada al un Altare da nominarsi da due Seniori della Casata de Bondi, affinchè sia Fondato un Benefizio a pro, e favore de Figliuoli delle Figliole Feminine Maritate di detto Testatore, durante la linea Mascolina di esse Femine, ed il Maggiore di esse, che sarà Prete, o vero il primo che si farà Prete, sia nominato, come al presente ora per alloro nomina al godimento di detto Benefizio, con aggravio di celebrare Messe 24. annualmente a d. Altare per l' anima di d. Testatore, e suoi descendenti. E deficiente la linea Mascolina di d. Femine Figliole come sopra di d. Testatore, torni ad un Prete della Famiglia de Bondì di buona vita, e Fama, da eleggersi da due Seniori della Famiglia de Bondì, coll' aggravio sudetto di celebrare Messe 24. come sopra.* Sess.22.c.8. de Ref.

Purificata est novissimis temporibus substitutio operis pii per obitum tum Peregrini sine Filiis tum ejus Sororum innuptarum, & Angelus Santi Testatoris ex Francisca Filia Nepos supplicavit S. M. Benedicto XIV. ut declarare dignaretur qualitatem laicalem operis pii substituti, ejusque immunitatem ab onere assumendi titulum Ecclesiastici Beneficii. Remissis autē precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Vicarius tunc Capitularis Mutinensis, qui retulit, duos Seniores Familiæ Bondi vigore facultatis per Testatorem ipsis tributæ nominasse Altare S. Peregrini in Ecclesia Parochiali Flumalbi, ut in eo purificaretur substitutio, & erigeretur Beneficium: atque ad illius assequutionem præsentasse Sacerdotem Basilium Bondi; cæterum Beneficii erectionem nondum sequutam fuisse ob lites pendentes in Tribunali Laico cum Hærede ultimi Gravati super detractionibus quotativis, & quantitativis faciendis ex bonis hæreditariis pii Testatoris: Et præscriptas Missas interea celebrari de mandato ipsius Vicarii in eodem Altare S. Peregrini per Sacerdotem Jacobum Raynaldum Pagliaj.

Datæ rursus fuerunt Literæ ad Neo-electum Episcopum, qui parendo mandatis, terminum duorum Mensium assignavit die 3. Martii proxime præteriti Senioribus Familiæ Bondi ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, & votum suum nequaquam aperiens, transmisit folium oppositionum a dd. Senioribus exhibitum, cum sententia Curiæ Laicæ promulgata die 13. Novembris 1759., qua conceditur immissio Sebastiano prædicti Angeli Santi Filio ad bona hæreditaria pii Testatoris, *ad effectum fundandi Beneficium, juxta piam mentem, & ultimam voluntatem Joannis Bondi*, postquam tamen sequutæ fuissent detractiones competentes Hæredi ultimi Gravati: monuitque, dictam sententiam suspensam fuisse per Appellationem ab Angelo Sebastiani Patre interpositam, litemque adhuc pendere indeci-

ſam in Ducali Juſtitiæ Conſilio. Dudum itaque elapſo termino, & nemine comparente pro Familia Bondi, ſubſcripta fuerunt duo dubia, quorum deciſionem nunc urget Sebaſtianus Angeli Santi interim defuncti filius.

Et diſputat, erigendum non eſſe Beneficium Eccleſiaſticum ex pia diſpoſitione Joannis Bondi, ſed conſtitui debere ſimplex legatum pium, & Cappellaniam mere Laicalem, quia Teſtator non requiſivit in fundatione auctoritatem Epiſcopi, quæ eſt Cauſa efficiens Beneficii Eccleſiaſtici, & qua deficiente numquam verificatur Beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi concurrant cætera requiſita ad illud conſtituendum neceſſaria, ut per *Textum in cap. ad hæc de relig. domib.* firmant *Garz. de Benef. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 111., *Rota apud Piton. de contr. patr. poſt alleg.* 33. *n.* 28., *& in Mantiſſa ad de Luca lib.* 13. *tit. de jurepatr. deciſ.* 5. *n.* 4., & concordat reſcriptum hujus Sacræ Congregationis *in Ferentina Cappellan.* 22. *Aug. &* 19. *Nov.* 1750. *l.* 100. *decr. p.* 324. *&* 488. Multo vero magis, quia in hoc caſu deficiunt etiã alia requiſita: quoniam Teſtator nec titulum expreſſit, ſub quo erigendum eſſet Beneficium, nec certum Altare deſignavit, ſed illius nominationem reliquit Senioribus Familiæ Bondi, quod repugnat qualitati Beneficii Eccleſiaſtici requirentis expreſſum titulum, & certum locum erectionis, *Can. nemo de conſecr. diſtin.* 1. *Lotter. de re benef. libro primo quæſtione* 4. *numero* 55. *& Rot deciſ.* 1020. *n.* 12. *&* 13., *cor. Lancet.*, & definivit Sacra hæc Congregatio *in Romana ſeu Anagnina* 1. *Martii* 1755. *lib.* 105. *decr. pag.* 44.

Nec cenſet obeſſe verba per Teſtatorem adhibita -- *affine che ſia fondato un Beneficio*; tum quia Beneficii vocabulum non ſemper interpretatur de Beneficio Eccleſiaſtico *Lotter. de re Benef. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 54. & fundationis verbum æque verificari poteſt de Cappellania mere laicali ad tradita per *Lara de Cappell. lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 22., *Piton. de contr. Patr. alleg.* 33. *n.* 29., *& Rotam dec.* 422. *n.* 15. *tom.* 2. *cor. Molin.*; tum inſuper quia recenſita verba conciliandа ſunt cum toto contextu Orationis, qua Teſtator innuit contemplaſſe pro fruitione pii relicti univerſam deſcendentiam maſculinam ſuarum Filiarum, cum ſubſtitutione Agnatorum Familiæ Bondi in ſolo caſu totalis deficientiæ lineæ Maſculinæ earumdem Filiarum: & ideo intelligendam eſſe diſpoſitionem de ſimplici legato pio, & de Cappellania mere laicali, ut illa frui poſſint ſinguli de Familia per Teſtatorem contemplati. Adſtipulante præſertim obſervantia alterius Fratris Sebaſtiani Oratoris, qui bona controverſa poſſedit titulo legati pii, ſeu Cappellaniæ Laicalis, ut teſtatur Procurator ad capiendam poſſeſſionem conſtitutus.

At quatenus etiam ex recenſitis bonis erigendum eſſet Eccleſiaſticum Beneficium, defendit nihilominus Sebaſtianus, ſibi illud conferendum eſſe, uti Clerico deſcendenti a Filia Teſtatoris, & per Teſtatorem ipſum vocato, non autem Sacerdoti Baſilio Bondi nominato a Senioribus Agnatis, quorum ſubſtitio collata eſt in caſum deficientiæ lineæ Maſculinæ Filiarum Teſta-

ſtatoris. Nec obſtare arbitratur Presbyteri mentionem factam in Teſtamento, quia cum deficiat onus celebrandi per ſe ipſum numquam Beneficium reputatur Sacerdotale, ut late firmant *Urſaya diſcept. Eccleſ. part. 1. diſcept. 4. n. 14., & 15., & Rot. in Tridentina Beneficii 26. Januarii, & 4. Junii 1759. cor. R. P. D. Ubaldo.*

Seniores autem in Folio oppoſitionum, quod Epiſcopo exhibuerunt, negant poſſeſſionem controverſorum Bonorum reſediſſe unquam penes Fratrem Sebaſtiani, quod probari aſſerunt ex ſententia Curiæ Laicalis lata ſuper immiſſione favore ipſius Sebaſtiani; Defendunt pariter, Teſtatoris voluntatem apertam eſſe pro erectione Eccleſiaſtici Beneficii, quia ſatis certum videri debet Altare ſubſtitutum, dum illius nominatio relicta eſt duobus familiæ ſenioribus, & ab illo titulum quoque deſumere debere Beneficium: Ordinarii auctoritatem non obſcure volitam cenſeri per demandatam fundationem Beneficii, cujus vocabulum, niſi repugnet expreſſe voluntas Teſtatoris, intelligendum eſt de Beneficio Eccleſiaſtico, ut firmant *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſ. 5. n. 50. Piton. de contr. part. alleg. 49. num. 27., & ſeq., & Rot. deciſ. 13. num. 10., & 25. part. 6. recentiorum*; & definivit hæc Sacra Congregatio *in Romana ſeu Viterbien. 15. Decembris 1725. & 23. Februarii 1726.* Dotem denique non deficere conſtitutam ex univerſa Teſtatoris Hæreditate ſpecialiter relicta Altari *affinchè ſia fondato un Beneficio*; Et hæc omnia, juncta contemplatione presbyteratus in nominando a Teſtatore enunciata, concludere votum Teſtatoris, ut erectio fiat de Beneficio Eccleſiaſtico, juxta firmata per *Piton. de Contr. Patr. alleg. 49. num. 9., & Rot. coram Pamphil. deciſ. 87. n. 45.*

Nihilque officere putant vocationem univerſæ deſcendentiæ Maſculinæ Filiarum Teſtatoris, quia intelligenda eſt contemplata vel pro jurepatronatus activo, vel pro deſignando certo genere paſſive vocatorum, ex quibus fieri debeat nominatio Perſonæ cæteroquin habilis, & idoneæ. Immo cum Teſtator ſubjunxerit -- *il magiore di eſſe, che ſarà Prete, o vero il primo, che ſi farà Prete ſia nominato* -, ex hoc inferunt, Beneficium reputandum eſſe Sacerdotale, & propterea conferendum Baſilio Bondi actu Sacerdoti, non autem Sebaſtiano Santi ſimplici Clerico.

His ſtantibus definiendum eſt ab EE. VV.

I. *An pium relictum Joannis Bondi haberi debeat tamquam legatum pium, & Cappellania laicalis: ſeu potius erigendum ſit in Beneficium Eccleſiaſticum, in caſu &c.*

II. *An ad illius aſſequutionem admittendus ſit Sebaſtianus Sancti, vel potius Baſilius Bondi, in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

PLA-

Sess. 22. c. 6. de Re

PLACENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Nicolaus Soprani Placentinus in Testamento, quod condidit anno 1639., pium legatum Missarum reliquit, his verbis -- *Instituisco un salario ogni anno in perpetuo di settantacinque scudi, da darsi per il mio Erede ad un Prete Sacerdote, con carico di celebrare una Messa quotidiana nella Chiesa della Madonna del Carmine di Piacenza, all' Altare privilegiato per l' anima de miei Morti, in questo modo però: il primo giorno della settimana per l' anima di mio Padre: il secondo giorno per l' anima di mia Madre: il terzo giorno per l' anima di mia Sorella Angela: il quarto giorno per l' anima mia: il quinto giorno per l' anima di mia Zia: dipoi comincerà da capo* -- Et ad hunc effectum mandavit, ut ex fructibus suæ Hæreditatis efformaretur Capitale sc. 1000., vel majoris summæ ex cujus redditibus annuatim percipi possent d. sc. 75.

In omnibus autem suis bonis instituta Hærede Eleonora Angela Filia sua, perpetuam ordinavit Primogenituram favore descendentium Masculorum tum prædictæ Filiæ suæ, tum aliarum familiarum gradatim vocatarum; adjecta prohibitione alienationis, sub pœna caducitatis incurrendæ ab Alienante quoad se, & quoad omnes suos descendentes. Et deficientibus omnibus ad Primogenituram vocatis, substituit PP. Benedictinos S. Sixti Placentiæ, quos gravavit, ut statim tenerentur ex fructibus Hæreditatis construere Oratorium sub titulo S. Crucis in Pradio ipsius Testatoris *sul Poggio, così chiamato, dove abitano li Massari, nel Loco del Castel S. Giovanni*, per duodecim millia passuum distante a Civitate Placentiæ, cum onere quotidianæ celebrationis trium Missarum, in suffragium ejus Defunctorum in genere, ibidem explendæ a totidem Monachis, quos illic antedictus Testator residere voluit, simul cum uno, vel duobus Commissis.

Pænamque adjecit caducitatis; quod nimirum, *non volendo detti Padri, o tardando più di sei Mesi in accettare detta Eredità: ed accettata, non eseguendo qualsivoglia cosa, che di sopra si contiene: o mancando, o tralasciando qualcheduna &c. siano ipso facto privi, e decaduti da detta Eredità*, ad quam eo casu substituit Proximiorem de Familia Antonii Rubellini Parmensis, cum onere nonnullorum piorum operum. Et adeo enixe voluit suæ dispositionis implementum, ut in casu cujuscumque contraventionis etiam in minimo, penam caducitatis indixerit Contraventori, illiusque descendentiæ: & alienationem præcedenter vetitam iterum prohibuerit, non obstante quacumque auctoritate, vel dispensatione *di alcun Principe Superiore*, subdens *quali però supplico sempre, che non vogliano derogare a questa tale mia volontà, ma sempre, ed in ogni tempo ajutarla, e favorirla a fine, che sortisca effetto pienamente conforme al suo tenore, e continenza*.

Et demum in Codicillis confectis anno 1641. prædicta in Testamento scripta confirmans, præcepit satisfactionem suorum debitorum, & præcipue *il legato d' anniversario ogni anno, da cele-*

lebrarsi alla Madonna del Carmine, per l'anima del già R. D. Nicola Soprani.

Defuncto Testatore, opulentæ hæreditatis bona dissiparunt prius Eleonora Angela Hæres instituta, indeque Antonius hujus Filius. Quamobrem Marcus Joseph Maria Filius Antonii, extrema præssus inopia, existimans deficere alios ad Primogenituram vocatos, sua cessit jura anno 1714. Patribus substitutis Sancti Sixti, qui pluribus inceptis litibus contra tertios Possessores, illisque transactis; non sine gravi dispendio sc. 2500. circiter monetæ Romanæ, quorum pars erogata fuit in dotatione Sororum ipsius Cadentis, jam ab anno 1732. Capitalia nonnulla recuperarunt modo reddentia annuos fructus sc. 241. 74. monetæ Romanæ, a quibus juxta morem Regionis subducenda est nona pars pro infortuniis, & ædium reparationibus.

Interea Patres antedicti alimenta præstiterunt Marco Josepho, & quartem partē fructuū bonorū recuperatorū, ut in cessione jurium ab illo facta conventum fuerat: illique ad Sacerdotium promoto solverunt annua sc. 75. pro stipendio d. Missæ quotidianæ celebrandæ in Ecclesia Carmelitarum: Et ipsi post decretum Capituli Generalis, a die prima Junii 1737. quotidie in eorum Ecclesia celebrarunt juxta mentem Testatoris tres Missas, quæ Celebrari debuissent in Oratorio Castri S. Joannis nondum erecto: Sed Anniversarium pro Anima alterius Nicolai Soprani, de quo meminerat Testator in Codicillis, numquam impleuerunt, quia penitus ignorabant illius onus. Marcus Joseph autem, defunctus die 4. Maii superioris anni 1759., ante obitum declaravit, quod ommiserat celebrationem 9940. Missarum ex prædicto legato Missæ quotidianæ celebrandæ in Ecclesia Carmelitarum, aliarumque biscentum Missarum ex eleemosynis manualibus receptis.

Preces itaque obtulerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO Monachi S. Sixti pro absolutione a dd. ommissionibus tum Missarum, tum Anniversarii: simulque supplicarunt, ut remisso onere construendi Oratorium in Castro S. Joannis, tres Missæ in illo celebrandæ adimpleri possent in eorum Ecclesia Placentiæ. Et precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis cum facultatibus necessariis, & opportunis, auditus fuit Episcopus, qui præmissorum veritatem confirmans, arbitratur, Marcum Josephum, qui Bona non alienavit, nullam incurrisse caducitatem, & ante illius obitum nec evenisse casum substitutionis Patrum Benedictinorum, nec purificatum onus trium Missarum illis injunctarum; Oratorii autem constructionem in Territorio Castri S. Joannis, in quo Testator residere voluit tres Monachos cum servientibus, censet nedum repugnare Constitutioni Innocentianæ de parvis Monasteriis supprimendis, sed insuper difficilem videri ob tenuitatem reddituum Hæreditatis, qui deberent per vicennium erogari in ædificiis construendis, indeque non sufficerent Monachorum, & servientium substentationi.

Vo.

Votum suum denique aperit Episcopus, quod EE. VV. dignari possint, Anniversaria ab Oratoribus non adimpleta, & Sacrificia a Marco Josepho ommissa in Ecclesia Carmelitarum compensare cum Missis sine obligatione ut supra celebratis ab Oratoribus onte purificatam eorum substitutionem: necnon misericorditer indulgere animæ ejusdem Marci Josephi pro ommissione aliarum Missarum manualium biscentum, ratione summæ pauperpatis, qua loborabat; prout etiam declarare, non teneri eosdem Oratores extruere Oratorium a Testatore demandatum, sed Missas tres celebrandas esse quotidie in eorum Ecclesia Placentiæ, prout hactenus exequutum fuit, & in posterum celebrari facere quot annis in Ecclesia B.M. V. de Monte Carmelo tam Anniversarium a Nicolao Soprano Seniore ordinatum, quàm Missam quotidianam præscriptam a Nicolao Juniore. Admonet tamen sc. 75. a Testatore relicta pro eleemosyna hujus Missæ quotidianæ, tunc æquivalentia scutis Romanis quinquaginta, & ultra, modo æquare sc. 25. 61. ejusdem monetæ, ratione extrinseci augumenti valoris Monetarum Auri, & Argenti exinde in duplum illic sequuti, dum scutum illius Regionis est moneta immaginaria a libris sex conflata, & consequenter nullum unquam recipiens augumentum: ideoque opus esse, vel Oratores cogere ad solvendum Cappellano eleemosynam juxta taxam ibi vigentem, quæ est Julii unius monetæ Romanæ pro qualibet Missa, & decima pars alterius Julii similis titulo subministrationis, vel numerum Missarum reducere servatà hac eàdem Taxà; cum alias impossibile videatur invenire Sacerdotem, qui onus assumat d. Missæ quotidianæ cum supradicta tenui Eleemosyna sc. 75. monetæ Placentinæ.

Verum circa propositam compensationem Missarum, ultra defectū extremorum habilium, tum quoad Missas manuales, tum quoad anniversarium, & Missam quotidianam celebrandam in Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo, ex quo anniversarium, & Missæ certis diebus in hebdomada celebrandæ præstitutam habent applicationē difformem a tribus missis quotidianis per Monachos celebratis; animadverti posset, Marcum Josephum, cujus Pater & Avia Bona fideicommissaria alienarunt, exclusum fuisse a Successione ob caducitatem a Testatore indictam contra Alienantes, eorumque descendentes, itaut successio, & respective obligatio celebrandi tres Missas quotidianas purificata dicenda sit in PP. Benedectinis non die obitus Marci Josephi, sed post deficientiam Familiarum Contraventoribus substitutarum; Reliquuum igitur est perpendere, num deferendum sit postulationi Patrum Benedictinorum replicantium, solo se pietatis intuitu petere condonationem ommissionum Marci Josephi, ut illius animæ misericorditer indulgeatur, cum de cætero ipsi propriæ satisfecerint obligationi eligendo Cappellanum, eidemque solvendo salarium, juxta mentem Testatoris, nec teneri debeant de facto Cappellani, cujus non sunt Hæredes. Quoad constructionem vero Oratorii, etsi contemplata videri posset utilita-

tas Massariorum in loco designato habitantium, quorum meminit Testator in Testamento, itaut illorum contemplatione demandanda esset celebratio Missarum in novo construendo Oratorio per Presbyteros seculares, ob resistentiam Innocentianæ Constitutionis retinendi in illo tres Monachos juxta præceptum Testatoris; attamen ponderandum est, quod Monachi ære suo, partim in litium expensis, & partim in præstationibus occasione transactionum conventis, impenso, bona redemerunt mediante sumptu sc. 2500. monetæ Romanæ, quæ si forent detrahenda, parum remaneret in Hæreditate, quo casu nec consuleretur utilitati Massariorum, nec suffragaretur animæ Testatoris. Tandem quoad augmentum eleemosynę, vel reductione, Missarum quotidie celebrandarum in Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo, inutile foret differere de qualitate legati taxativi, vel demonstrativi, cum PP. ipsi ultro consentiant subire onus d. Missæ quotidianæ,

Quapropter definiendum erit ab EE. VV.

An sit locus commutationi voluntatis Nicolai Soprani Junioris, & quomodo sit providendum in casu &c.

FRISINGEN. RESIDENTIÆ. Equestrum Ordinem S. Georgii Martyris in honorem intemeratæ Deiparæ Virginis Mariæ institutum a G. M. Carolo Alberto Duce, & Electore Bavariæ in Romanorum Imperatorem postmodum electo, Pontificia munificentia dignum judicarunt duo immortalis nominis Summi Pontifices Benedictus XIII., qui xv. Kal. Aprilis anno ab Incarnatione 1728. Apostolica auctoritate illum approbavit, & Benedictus XIV., qui per Literas in forma Brevis expeditas die 6. Octobris 1741. confirmavit deliberationem captam in Capitulo Militum Equitum memorati Ordinis, de cooptando in Ordinem hujusmodi sex Nobiles Viros in Ecclesiastica Dignitate constitutos, *ut ad majorem Dei gloriam, & Ordinis splendorem Sacra Officia, quæ in Ecclesia dicti Ordinis pro tempore obeunda sunt, qua maxime potest majestate, & dignitate peragantur.* *S. 24. c. 12. de Ref.*

Et juxta vota piissimi Institutoris recensentur in eisdem Literis Apostolicis munera singulorum ex præfatis Equitibus Ecclesiasticis; quod nimirum primus sit Episcopali dignitate, & charactere insignitus, *ut Pontificalia munera in Ordinis prædicti Ecclesia sub invocatione S. Georgii Martyris Deo dicata, quæ in Ducalibus, & Electoribus Ædibus posita, & ab omni Ordinarii Episcopi jurisdictione immunis, & exempta est, exercere valeat*; Alter vero cum Præpositi nomine, & Pontificalium usu constituatur, *ut vices Antistitis, hoc absente, vel legitime impedito expleat*; Tertius, & Quartus Decanorum itidem nominibus deco-

rentur, *qui Divinis Officiis, sive Horis Canonicis, cum alior Choro Militum Equitum interventu in dicta Ecclesia persolvendis, in uno interfint*; Quintus, & Sextus denique Elemosynarii ab honore fint appellati, *a quibus Decanorum munera, ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis, præstentur*.

Utilitati demum eorundem Equitum Ecclesiasticorum consulitur. *Porrò*, ut pergunt Literæ Apostolicæ, *pro congruenti, idoneoque antedictorum, in suis respective Dignitatibus, & muneribus debito cum decore substinendis, emolumento, idem Carolus Albertus Dux, & Elector primos duos, nempe Episcopum, & Præpositum pro tempore existentes ad Præposituras, ad quas quemlibet nominandi sibi jus, cui non est in aliquo hactenus derogatum, competit, nominabit: Duobus Decanis Collegiales Præbendas conferet: Reliquis duobus ab honore Elemosynariis, servata antianitatis regula, eas, quibus alii Milites Equites donantur, Commendas, Pensiones, & Beneficia impartietur*.

Hujusmodi ergo facultate suffultus hodiernus Serenissimus Dux, & Elector Bavariæ, qua Magnus dicti Ordinis Magister, die 17. Julii 1748. præsentavit ad vacantem Canonicalem Præbendam in Ecclesia Collegiata SS. Martini, & Castuli Landishuti, cujus sibi competit juspatronatus, Baronem Aloysium Bonaventuram de Preysing jam Canonicum Capitularem Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis, & Parochum in Holzhalsen, ac primum dicti Equestris Ordinis S. Georgii Decanum, qui actualem dicti Canonicatus possessionem nactus est per Procuratorem, sed numquam residere incepit. In Literis tamen Serenissimi Magni Magistri die 15. Octobris 1750. datis ad Eminentissimum Cardinalem Bavariæ uti Ordinarium Frisingensem exponitur conventio eventualiter, & salva authoritate Ordinarii inita cum Capitulo Landishuti, *ut Baro de Preysing tamquam Eques Ecclesiasticus, & in primum Decanum Ordinis electus, prout etiam omnes ejusdem in hac Decanali dignitate Successores, talem Canonicalem Præbendam ad dies vitæ suæ possidere, & ea, quin ipse, & Successores ejus consuetam aliàs residentiam Canonicalem facere, vel ad Capitulum venire teneantur, modo infra dicendo, in futurum frui valeant*; & quoad perceptionem fructuum Canonicalium specialiter quoque cautum fuisse enunciatur, ut *Baroni de Preysing, prout etiam cuilibet temporali primo Ordinis Decano ob talem Dignitatem ex thesauro Capituli quotannis per aversum quingenti Floreni, & quidem singulis quatuor anni temporibus centum vigintiquinque Floreni, solvi debeant*.

Ob exortas vero nonnullas quæstiones distulit Eminentissimus Ordinarius expositam concordiam confirmare; & interpellatus a S. M. Benedicto XIV., ad quem controversia delata fuerat, minime dissimulavit præjudicia Collegiatæ Landishutanæ exinde obventura, & de quibus in suis precibus Capitulum conquerebatur; attamen una simul exposuit implicantiam optatæ residentiæ in eadem Collegiata, quia vix unquam cum illa compatibilis est permanentia apud Ecclesiam Ordinis pro sacris ibidem

dem functionibus obeundis, ad quam obligantur viri illi Ecclesiastici Nobiles in eundem Equestrem Ordinem cooptati. Sed nullo habito Sanctæ Sedis Oraculo, tandem Eminentissimus Episcopus præfatam concordiam authoritate sua ordinaria confirmavit.

Preces itaque renovavit Capitulum Landishutanum apud SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM, pro definitione propositarum quæstionum, contendens, onus personalis residentiæ executi non posse a Barone de Preysing, qui in actu adipiscendæ possessionis hujus Canonicatus, per suum Mandatarium specialiter deputatum, jurejurando se obligavit ad servanda inviolabiliter statuta ejusdem Capituli, ideoque ob continuam absentiam dicti Baronis de Preysing, qui post adeptam Canonicatus possessionem nunquam ad Chorum, Ecclesiamque Collegiatam accessit, neque annum residentiæ explevit, ut moris est, & Statuta ad fructuum perceptionem expresse requirunt, postulat declarari, nullos ei deberi fructus Canonicales, nullamque tacitam involvere dispensationem a residentia Breve Benedictinum, allegata ad hunc effectum observantia Baronis de Veuchebag Capitularis Virceburgensis, qui in Præpositum ejusdem Ordinis S. Georgei electus, & ad Præposituram ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Landishutanæ a Serenissimo Electore vigore Brevis Benedictini anno 1746. præsentatus, ut fructus Præpositurales in absentia perciperet, sollicitus fuit a S. M. Benedicto XIV. Indultum dispensationis ab onere residendi reportare.

Remissis autem his precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditoque Officiali Frisingensi, quæ supra referente, Causa nunc proponitur duobus collecta capitibus; & nomine Serenissimi Electoris defenditur exemptio Baronis de Preysing a residentia vigore Brevis Benedictini, quod cum obliget Decanos interesse Divinis Officiis in Ecclesia Ordinis cum facultate retinendi Præbendam in aliqua Collegiata, rationæ continuæ residentiæ in Ecclesia Ordinis, eosdem dispensasse videtur a residentia incompatibili penes Ecclesiam Collegiatam, juxta sententiam *Gloss. in cap. non potest* 21. *verb. retinere de præbend. in* 6., *ibique Possevin. num.*20., *Fagnan. in cap. Dudum num.*22. *de elect.*, *Piringh. in jus Canon. lib.* 3. *tit.*5. *num.*198., *Schmalzguer eod. tit. num.*149., *& Garz. de Benef. part.*3. *cap.*2. §.1. *num.*185.

Ideoque contenditur, nihil officere juramentum de observandis statutis præstitum in adipiscenda Canonicatus possessione, quia juris fictione residere dicitur, qui abest ex justa causa, vel ex legitima dispensatione; & juramentum non solum verificatur in actu vero, sed etiam in actu ficto, ad *Textum in cap. ad audientiam* 15. *de Cleric. non resident.*, *ibique Alexand. de Nevo n.*4. *&* 5. *Anaclet. in jus Can. lib.* 2. *tit.* 24. §. 2. *n.* 38., *& Leuren. eod. tit.*24. *qu.*791. *n.*3. Et quousque residet in Ecclesia Ordinis, subditur, habendum esse Baronem de Preysing pro præsenti etiam in Ecclesia Collegiata, ut percipere valeat fructus Canonicales. ad tradita per *Pignat. consult. can.* 114. *n.* 30. *& consult.* 115. *n.*35.

n. 25. *tom.* 9. *Ceccoper lucubrat. canon. lib.* 2. *tit.* 11, *n.* 1. *&* 2., *& Rot. decis.* 119. *n.* 8. *& seq. par.* 6. *recent*: & quidem omnes omnino Canonicatus fructus, nulla habita ratione quantitatis limitatæ in concoadia, quam Capitulum ratam habere noluit.

Placeat ergo EE. VV. discutere, unum Breve Benedictinum inducat obligationem continuę residentiæ in Ecclesia Ordinis, itaut Equites Ecclesiastici dispensati censeantur ab omni residentia, apud Ecclesias, quarum Præbenda obtinent, etiam relative ad servitium primi anni per statutumexpresse ad perceptionem fructuum requisitum, ut omnibus accurate perpensis definire valeant.

I. *An Canonicus Baro de Preysing Equestris Ordinis S. Georgii Decanus teneatur ad residentiam in Ecclesia Collegiata SS. Martini, & Castuli Landishuti, seu potius obstet Breve S. M. Benedicti XIV. in casu &c.*

II. *An eidem Canonico debeantur fructus, in casu &c.*

Sess. 24. *c.* 12. *de Ref.*

PISCEN. INDULTI. Sacerdos Clarissimus Mainardi Rector Beneficii, quod in Ecclesia Cathedrali Piscienſi erectum est sub titulo Circumcisionis Domini, onus habet Choro inserviendi sex anni mensibus ratione sui Beneficii, aliisque sex mensibus tamquam necessarius substitutus alterius Beneficiati S. Laurentii, quatenus hic non interveniat per se ipsum. Dudum vero idem Mainardus vexari cæpit convulsivis nervorum doloribus, qui maxime recrudescunt tempore humido, & frigido, adeout in rigidissima hyeme Curvus evaserit. Quocirca Mediorum consilio noxius illi reputatur Aer, qui circa ortum, & occasum solis in Civitate Piscienſi solet esse frigidior, & humidulus: & quotidiana experientia comprobavit grave detrimentum, quod illi affert accessus ad Chorum pro recitatione manutioni, quod in Cathedrali Piscienſi summo mane persolvatur. Preces itaque obtulit Mainardus huic Sacræ Congregationi, quibus postulabat, ut dispensaretur quotidie ab onere interessendi Choro hora Matutina, quoad reliquas autem horas tunc solum, quum actu angitur graviori convulsionum morbo, facta ei potestate nihilominus percipiendi quotidianas distributiones.

Datis autem de more Literis ad Episcopum, ut audito Capitulo Sacram Congregationem instructam redderet, votumque suum aperiret, Folium Episcopus transmisit a Capitulo exhibitum, quo contenditur, haud quaquam concedendum esse petitum Indultũ, quia Orator eodem morbo affectus erat ante Beneficii assequutionem, nec impeditur extra domum versari temporibus etiam rigidioribus, immo superiore æstate longam suscepit pe-

re

regrinationem ad S.Domum Lauretanam: & quia insuper Constitutionibus Synodalibus, & Capitularibus non injungitur Beneficiatis personale servitium, sed facultas indulgetur substituendi alium Cappellanum, cujus ope debitum servitium præstare posset Orator in casu vere infirmitatis, quin Ecclesia debitis fraudetur obsequiis, in exiguo præsertim numero quindecim Beneficiatorum, quorum nonnulli ratione ingravescentis ætatis, & imperitiæ in Cantu Gregoriano, suo muneri satisfacere nequunt. His tamen oppositionibus minime adhæret Episcopus, qui ab EE. VV. indulgeri posse arbitratur petitam dispensationem, onerata tamen conscientia Oratoris, quem exemplarem Sacerdotem prædicat, nobilis quidem generis, sed inopem.

Et Sacerdos Mainardus veram affirmat, sed mitiorem fuisse contendit suam nervorum affectionem ante adeptum Beneficium: negat, post morbi incrementum rigidiori Aeri se unquam exposuisse, nisi ut Chorum adiret horis Matutinis, proindeque defendit, ut quo diligentior fuit in servitio Ecclesiæ, cum detrimento etiam propriæ valetudinis, eo dignior reddatur petita dispensatione post adauctam morbi inclementiam *ad Text. in cap. 1. de Cler. ægr., & in cap. ad audientiam de Cler. non resid.*: neque ad hunc effectum desiderari autumat gravem infirmitatem quæ omnino impediat accessum ad Chorum, sed sufficere levem morbum, cujus augumentum timeri possit, ut firmant *Reinfestuel in jus Canon. lib.* 3. *tit.* 4. *de Cler. non resid.* §. 7. *nu.* 193, *Schmalzgrueb in jus Canon. tom.* 1. *tit.* 8. §. 4. *num.* 86., & *Pignatel. consult. Canon.* 115. *num.* 57. *tom.* 9., & definivit hæc Sacra Congregatio in *in Tranen. distributionum* 12. *Septembris* 1750., ubi agebatur de Canonico, qui inciderat in vitium nervorum Capitis, quo convulsivo motu, & vertigine abripiebatur, & disputato Dubio -- *An constet de legitimo impedimento abessendi a Choro, itaut debeantur distributiones* -- non obstante dissensu, & contradictione Capituli responsum fuit -- *Affirmative, onerata conscientia Oratoris* --, ut in *lib.* 100. *decr. pag.* 362.

Reliquas vero Capituli oppositiones nihil obesse censet, quia peregrinationem ad Sanctam Domum Lauretanam suscepit tempore calidiori summæ æstatis ad implorandam gratiam valetudinis: & Constitutiones Synodales, vel Capitulares facultatem substituendi alium tribuunt solum illis Beneficiatis, qui nolunt per se ipsos Choro interesse, nullamque imponunt necessitatem hujus substitutionis illis, qui sunt legitime impediti; Atque demum subjungit, unius dispensatione fraudatam debitis obsequiis non remanere Ecclesiam, cui serviunt duodeviginti Canonici, & Dignitates, & quindecim Beneficiati, præter Diaconum, & Subdiaconum, aliosque Clericos Choro addictos.

Definiendum itaque propunitur EE. VV.

An, & pro quibus Horis sit concedendum Indultum Beneficiato Mainardi abessendi a Choro, & lucrandi distributiones quotidianas, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 6. Decem. 1760. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor sequentes Causæ proponi nequiverunt in præterita Congregatione habita die 22. Novembris. Ideoque supplicamus EE. PP., ut reassumpto Folio tunc distributo, illas expedire dignentur.

MUTINEN. CAPPELLANIÆ, SEU LEGATI PII.

Sess. 22. c. 8. de Ref. I. *An pium relictum Joannis Bondì haberi debeat tamquam legatum pium, & Cappellania Laicalis: seu potius erigendum sit in Beneficium Ecclesiasticum, in casu &c.*

II. *An ad illius assequutionem admittendus sit Sebastianus Santi, vel potius Basilius Bondi, in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam, & amplius. Ad II. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam.

PLACENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Sess. 22. c. 6. de Ref. *An sit locus commutationi voluntatis Nicolai Soprani Junioris, & quomodo sit providendum, in casu &c.*

Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem.

FRISINGEN. RESIDENTIÆ.

Sess. 24. c. 12. de Ref. I. *An Canonicus Baro de Preysing Equestris Ordinis S. Georgei Decanus teneatur ad residentiam in Ecclesia Collegiata SS. Martini, & Castuli Landishuti, seu potius obstet Breve S. M. Benedicti XIV., in casu &c.*

II. *An eidem Canonico debeantur fructus, in casu &c.*

Dilata.

PI-

Seſſ.24. cap.1. de Refor.

PISCIEN. INDULTI.

An & pro quibus Horis ſit concedendum Indultum Beneficiato Mainardi abeſſendi a Choro, & lucrandi diſtributiones quotidianas in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Epiſcopi, onerata conſcientia Oratoris.

Seſſ.25.cap.3. de Regul.

HIERACEN. EXEMPTIONIS. In Oppido Caſtri Veteris, quod eſt in ulteriori Calabria ſub Diœceſi Hieracenſi, anno 1262. Robertus Filingerius Loci Baro Monaſterium Sacrarum Virginum fundavit, nuncupatum Sanctæ Mariæ de Valle Viridi, ſub regula, & inſtituto Monalium alterius Monaſterii pariter nuncupati Sanctæ Mariæ, aliàs Sanctæ Catharinæ de Valle Viridi Civitatis Meſſanæ; illudque pius Fundator obtulit, & ſubmiſit Prioriſſæ Monaſterii Meſſanenſis, cui, tamquam Majori totius Ordinis Prælatæ, ſub nomine Provincialiſſæ, alia ſuberant ejuſdem inſtituti Monaſteria: ut narrat antiquum tranſumptum ab Originali Inſtrumento fundationis legitime exemplatum an. 1498. Et huic fundationi aſſenſum præſtitiſſe Paulum tunc Epiſcopum Hieracenſem, erectoque Monaſterio famam eſſe, privilegia, & immunitatem conceſſiſſe Clementem V. Summum Pontificem, retulit Octavianus Paſqua Succeſſor Epiſcopus Hieracenſis in vita dicti Pauli impreſſa poſt Synodum Diœceſanam anni 1754. Conſuevit autem Provincialiſſa, poſt Clauſuræ leges in fine ejuſdem Seculi XIII. editas a Bonifacio VIII. in Conſtitutione *Periculoſo* relata *in cap. unic. de Stat. Regul. in 6.*, Monaſterium Caſtri Veteris gubernare, & juriſdictionem in eo exercere per ſuum Delegatum continuo reſidentem in loco: juxta regiminis formam, quoad ſimilia Monaſteria aliis Monaſteriis Monialium ſubjecta, traditam ab *Archidiacono in d. cap. unic. de Stat. Regul. in 6.*

Antiquiſſimã Provincialiſſæ juriſdictionem, de qua meminit etiam altera Synodus Diœceſana anni 1651., ſæpe canonizavit hæc Sacra Congregatio, quæ die 13. Junii 1579. his verbis reſcripſit Epiſcopo Hieracenſi - *Illuſtriſſimi Cardinales ad interpretanda Sacr. Concil: Tridentin. decreta conſtituti, conſideratis ſcripturis, quæ his Literis adjunctæ ſunt, cenſuerunt, Amplitudinem T. non poſſe, ex decreto Concilii Sſ.25.cap.9. de regul., gubernare*

nare, & visitare Monasterium illud Monialium Sanctæ Mariæ de Valle Viridi Oppidi Castelli Veteris Diœcesis tuæ Hieracensis. Quare A. T. ei hac de causa molestiam non exhibebit -- ut *in lib. 3. Litter. fol.* 145. *terg.* Et rursus petente Episcopo declarari, num *præsupposita, sine veri præjudicio*, subjectione dicti Monasterii Provincialissæ Messanensi, sibi liceret colligere vota in electione novæ Abbatissæ vigore Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 7. *de regular.*, de Anno 1581. hæc Sacra Congregatio respondit -- *Non posse, sed vota accipienda esse ab eo, cui ab ipsa Provincialissa commissum fuerit* -- ut *in lib.* 3. *decret. fol.* 11. Aliaque plura edita fuerunt responsa tum eodem anno 1581., ut *in d. lib.* 3. *decr. pag.*64. & 90. tùm in Congregatione habita die 26. Januarii 1692., quibus præservata fuit Episcopo jurisdictio tantum delegata, quæ de jure competit Episcopis in Monasteriis exemptis Superiori Regulari subjectis, illiusque exercitium commissum fuit Viciniori Episcopo Squillacensi, ob nimiam Episcopi Hieracensis duritiem, ut habetur *il lib.*42. *decr. pag.* 45., & videre est in calce hujus Folii, ubi opportunum duxi folium Sacræ Congregationis tunc distributum & hactenus non impressum referre.

Ob terræmotum autem in Oppido Castri Veteris sequutum sequenti nocte diei 6. Decembris 1743., fatis centes ædes antiqui Monasterii deseruerunt Moniales, animo tamen, ut solemni protestatione declararunt, perseverandi in eadem regula, & instituto, ac retinendi antiqua privilegia, & exemptiones, non obstante mutatione situs facta ex necessitate, ne opprimerentur imminenti totius Monasterii ruina. Ac prævio Episcopi assensu, ut referunt Testes, & comitatæ a Delegato Provincialissæ Messanensis, cum toto Clero, & Primoribus Oppidi, processionaliter sese receperunt in conductitiam domum, quam incoluerunt triginta duobus Mensibus. Sed protelante Episcopo illis assignare commodiorem habitationem, Conventum Dominicanorum occuparunt die 2. Augusti 1746., & expulsis Regularibus in eo manserunt fere quatuordecim Menses. Censuris illas innodavit Episcopus ob fractam Dominicanorum clausuram. Et delatis querelis ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, mandata est jurisdictio Vicario Apostolico interea deputato in Diœcesi Hieracensi, ut Moniales in loco opportuniori collocaret, illasque a Censuris cum reincidentia prius, plenarie tandem, quatenus paruissent, absolveret. Translatæ fuerunt igitur Moniales, prævia absolutione, in Palatium Familiæ Oppedisanæ, illis a Vicario Apostolico designatum pro interina clausura; probavitque Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium sequutam translationem: & injunxit Vicario Apostolico, ut statueret perpetuam clausuram Monasterii in eodem Palatio, cum facultate approbandi authoritate Apostolica quoscumque contractus emptionis, & venditionis ea de re necessarios.

Hinc duplex excitata est controversia Moniales inter, & hodiernum Episcopum Hieracensem, judicio Sacræ hujus Congregationis definienda: circa exemptionem scilicet, & antiqui Mona-

nafterii privilegia novæ Claufuræ tribuenda: & circa demolitionem cujufdam parvæ Ecclefiæ illi proximæ, ut ejus fitus novo Monafterio uniatur. Contendunt porro Moniales, exemptionem antiqui Monafterii ex lege fundationis acquifitam, Literis Apoftolicis S. M. Pauli III. in forma Brevis defenfam, & longa confuetudine, pluribufque hujus Sacræ Congregationis decretis canonizatam, de qua meminit etiam *Cardin. Petra ad Conftitu-tion. 7. Urbani IV. n.18. tom.3. pag.345., & ad Conftitut. XVIII. Eugenii IV. n.6. in fin. tom.4. pag. 553.*, in difcrimen revocari non poffe in hodierna quæftione, dum illa præfupponitur expreffe in propofito Dubio; & illius competentiam novo Monafterio vindicare præfumunt ex efficacia translationis, quia non fitus, & materiale ædificium antiqui Monafterii exemptum erat, fed corpus mifticum, & Communitas Monialium, quæ eadem femper eft five in uno, five in alio loco, ut notant *Pichler in jus Can. lib.5. tit.33. §.3. num.29., & Schmalzgueber par. 3. tit. 33. §. 5. n.148. & feq.*

Et propterea arbitrantur, vigore translationis Monafterii formalis, feu Communitatis Religiofæ in novam Claufuram, in eandem translata fuiffe jura quoque, & qualitates omnes prioris Monafterii, ad tradita *per Tamburrin. de jur. Abbat. lib. 3. difput.5. quæft.7. n.1., Pignatel. confult. 74. n.3. & 4. tom. 10., & Rot. coram Molin. decif. 849. n.4.*, præfertim cum translatio facta fuerit ex jufta caufa ruinæ Monafterii, quam fufficere probant *Text. in cap. tribus ex caufis de confecrat. dift. 1., & Rot. decif.362. n.12. p.4. tom 2; & decif.705. n.6. p.4. tom.3. recent.*: & legitima acceflerit facultas tum Epifcopi, & Delegati Provincialiffæ in difceffu ab antiquo Monafterio, tum Sacræ Congregationis Epifcoporum, & Regularium in conftitutione novæ Claufuræ, itaut dubitari nequeat de valida privilegiorum tranflatione in novum Monafterium, juxta cenfuram *Textus in cap. cum ex eo de exceff. Prælat. in 6.*, de qua *Barbof. de jur. Eccl. univer. lib.2. cap.12. n.69., & Gaill. obfer.61. n.10.*

Verum Epifcopus tum in relatione tranfmiffa ad Sacram Congregationem, tum in Libello circumferendo, negat exemptas unquam fuiffe a jurifdictione Ordinarii Moniales Caftri Veteris, & in eas jurifdictionem ullam habuiffe Priorifsam Mefsanenfem, præterquam in levioribus, ad inftar Abbatiffæ localis, quam efse compatibilem cum Ordinaria Epifcopi jurifdictione tradunt *Vanefpen. in j. e. u. par.3. tit. 22. cap.5. n. 22., Clement. in concord. Paftoral. par.1. cap.4. n. 92., & Rot. decif.341. n.6. coram Crifpo*; minimeque conferre cenfet ad probandam exemptionem agnitiones Epifcoporum, quæ innixæ funt incertæ, & dubiæ traditioni, & propterea ineptæ ad probandam immemorabilem, juxta formam traditam *per Gloff. in cap. 1. verf. memoria de præfcript. in 6.*; Nihilque relevare autumat decreta, & refcripta Sacræ hujus Congregationis, quæ non declarant, fed præfupponunt exemptionem *fine veri præjudicio*, ut exprimitur in Folio anni 1581.; præfertim quia illis non obftantibus Epifcopus conti-

nuavit in exercitio suæ jurisdictionis Ordinariæ, ter Monaster. visitando annis 1681., 1685., & 1690., & Moniales excommunicando annis 1690., & 1746. Quamobrem concludit, nullam exemptionem transferri potuisse in novam clausuram, si non competebat antiquo Monasterio; immo nec translationem in casu verificari posse, quia nondum legitima auctoritate constituta fuit clausura in Palatio Oppedissano: & facultas a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium tributa Vicario Apostolico neque ab ipso, neque a Successoribus Episcopis exequuta probatur. Et cum res adhuc infecta est, expedire censet, ut Monasterium subiiciatur jurisdictioni Ordinarii, ad notata per *Tambur. de jur. Abbatissar. disput.* 18. *quæst.* 1. *n.* 5. *&* 6.

Quoad alterum vero controversiæ caput, postulant Moniales demolitionem parvæ Ecclesiæ Monasterio proximæ, ut ejus situs uniatur Clausuræ, ex vulgato privilegio *Text. in l. si quis Sepulcrum C. de Relig. & sumpt. fun.*: præsertim quia Ecclesia demolienda nimis est depressa, & facile alioquin præberet aditum ad clausuram; Et ad hunc effectum Moniales offerunt vel pretium ædificii solvere Patronis Ecclesiæ, vel aliam similem suis sumptibus ædificare in loco illis beneviso. Excipit autem Episcopus, neque privilegium *d. Textus* extendi posse contra Ecclesiam præexistentem ut firmat *Rota in dec.* 337. *n.* 15. *p.* 10. *recent.*, nec sibi inferendum esse præjudicium, exemptum reddendo locum nunc suæ jurisdictioni subjectum, contra censuram textus *in cap. nullus* 17. *de jurepatr.*

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

I. *An Exemptiones, quæ competebant Monasterio diruto Vallis Viridis Castri Veteris ad formam Resolutionum Sac. Congregationis* 1579., 1581., *&* 1692., *competant eidem Monasterio noviter constructo in eadem Civitate Castri Veteris?*

II. *An sit locus demolitioni Ecclesiæ S. Felicis pro perficienda Clausura Monasterii, & respective translationi ejusdem Ecclesiæ in alium locum, in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative, & pro exequutionem ad Eminentissimum Præfectum ad mentem.

BRIXIEN. VOCIS IN CAPITULO. Causa hæc, quæ vertitur inter Mansionarios, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ SS. Nazarii, & Celsi in Oppido Castillionis a Stiveriis erectæ anno 1607. a S. M. Paulo V., proposita fuit in Congregatione habita die 8. Martii labentis anni; Et vocem in Capitulo a Mansionariis prætensam, contendebant Canonici, neque illis de jure debitam, juxta receptam opinionem *Glos. in cap. penult. verb. Assisios de Cler. non resid.*, neque concessam videri ex privilegio

in

in Literis Apoſtolicis erectionis præcipientibus, *Capitulum ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ inſimul conſtitui* a Dignitatibus, Canoninicis, & Manſionariis, quod interpretandum eſſe autumabant de ſimultaneo eorumdem concurſu ad efformandum Clerum Eccleſiæ, cum participatione communis Menſæ, ideoque admittendos eſſe Manſionarios ad ſuffragium ferendum in Capitulo ſolum in actibus reſpicientibus intereſſe Maſſæ communis, non autem in præeminantialibus, & juriſdictionalibus, juxta rationes deductas in Folio tunc diſtributo, quod reaſſumere EE. VV. ſupplicamus. Diſputato autem Dubio -- *An & in quibus actibus Capitularibus Manſionariis Eccleſiæ Collegiatæ SS. Nazarii, & Celſi competat jus ferendi ſuffragium in Capitulo cum Canonicis, in caſu &c.*, reſponſum fuit -- *Negative, præterquam in actibus reſpicientibus intereſſe Maſſæ communis.*

Redeunt nunc Manſionarii, impetrata nova Audientia; & controverſam Apoſtolici Indulti literam coadjuvare nituntur ſubſequuta obſervantia, ad quem effectum exhibent deliberationes Capitalares annorum 1629., & 1630., in quarum prima die 28. Novembris 1629. undecim numerantur ſuffragia pro electione novi Œconomi, licet in Capitulo intervenerint ſex tantum Canonici, cum duabus Dignitatibus, quarum una duplicem habebat vocem, itaut computatis octo ſuffragiis pro Dignitatibus, & Canonicis, cum alter eorum, ex quo agebatur de ipſius electione ad officia, ceſſare deberet a ferendo ſuffragio, alia tria tribuenda ſunt Manſionariis, qui præſentes in Capitulo aſſeruntur; in reliquis deliberationibus anni 1630. genericè exprimitur, reſolutiones cunctis Capitularium ſuffragiis captas fuiſſe pro diſtributione officiorum, vel pro expenſis faciendis, enunciata in earum altera diei 22. Martii 1630. abſentia unius Manſionarii, & enarrato in altera diei 20. Octobris ejuſdem anni omnium Manſionariorum obitu. Exhibent quoque Inſtrumentum dotationis Canonicatus Frizzardi ſtipulatum die 30. Septembris 1678. in quo Manſionarii non minus, quàm Canonici, & Dignitates conſtitutam Dotem acceptarunt. Et demum afferuntur declarationes Cancellarii Capitularis teſtantis, *Manſionarios ſimul cum Canonicis, & Dignitatibus ſemper interfuiſſe, & votum conſultivum habuiſſe, & de eo ſicut Canonicos, ita quoque Manſionarios eoſdem interrogatos fuiſſe in omnibus Congregationibus Capitularibus non ſolum in iis, in quibus agebatur de Œconomico gubernio, & adminiſtratione reddituum Eccleſiæ, verum etiam in iis, in quibus agebatur de juriſdictionalibus, & præeminentialibus*, quorum nonnulli actus indicantur ſub annis 1711., & 1712. una cum aliis incipientibus ab anno 1733. ad 1756.

Hinc autem inferunt Manſionarii, præfatam Apoſtolici Indulti literam a primæva obſervantia declarari, nec diſſimilem reputari poſſe ſucceſſivam intermedii temporis conſuetudinem uſque ad annum 1678. quum ea præſumatur conformis extremis deliberationum Capitularium annorum 1629., & 1678. præſeferentium favore Manſionariorum indiſtinctam ſuffragii competentiam.

 Ni-

Nihilque obesse putant interruptionem hujus consuetudinis; quia post Mansionariorum obitum sequutum anno 1630. diu protractam fuisse contendunt electionem novorum Mansionariorum, qui propterea usquedum non aderant, non poterant in Capitulo intervenire: postea vero sæpe reclamatum fuisse saltem extrajudicialiter apud Marchionem Gonzagam Patronum Ecclesiæ, qui anno 1687. votum insignium Virorum Partibus communicavit de suffragii jure Mansionariis competente, & anno 1705. fuit ab utraque Parte electus hac in re Judex Compromissarius; itaut legitima præscriptio induci nequiverit contra Mansionarios, qui sæpe reclamarunt: præsertim quia semper interea habiti sunt pro veris Capitularibus, & ad eorum Congregationes fuerunt advocati. Ideoque ad tramites antiquæ observantiæ, & non repugnantis Indulti Apostolici, reintegrari flagitant ad possessionem, seu quasi juris ferendi suffragium in omnibus actibus Capitularibus, quemadmodum in similibus terminis definitum est ab hac Sacra Congregatione in *Fanen.* 16. *Junii* 1731., in qua Mansionarii postulabant reintegrationem ad jus ferendi suffragium, quo pridem gavisi fuerant vigore Bullæ erectionis Collegiatæ, sed inde privati remanserant longo intervallo quinquaginta annorum, & disputato dubio -- *An & in quibus actibus liceat Mansionariis SS. Christophori, & Constantii, interesse Capitulo, ibique suffragium ferre una cum Canonicis* --, responsum fuit -- *Affirmative in omnibus ad formam Bullæ* --, ut in *lib.*81. *decret. pag.*306.

Placeat itaque EE. VV. definire.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis juxta modum, modus est competere etiam votum consultivum in reliquis actibus capitularibus, & amplius.

Sess.22. cap.6 de ref.

BONONIEN. ASSIGNAMENTI. Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita die 21 Junii proxime præteriti, & Dubio, quod erat -- *An sit locus Assignamento favore Rosæ Cristinæ Stampini ex annuis redditibus hæreditariis bo. me. Comitissæ Flaviæ Bertolelli, & in qua summa, in casu &c.* -- Responderunt EE. PP. -- *Affirmative pro summa scut.*40. *pro quolibet anno* --. Presbyteri autem Congregationis Missionis, impetrata nova Audientia, postulant iterum ab EE. VV. definiri.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess.25. cap.4. & 5. de ref.

FANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Nicolaus Fabrini de Castro S. Georgei Fanensis Diœcesis in Testamento, quod condidit anno 1698., duo scripsit pia Legata favore Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesia Spiritus Sancti ejusdem Castri, ambo purificanda post extinctas Lineas Petri Antonii,

nii, & Gentilis Bonopera hæredum institutorum. Reliqui tenim eo casu dictæ Confraternitati quoddam designatum Prædium -- *Col peso, ed obligo alla Compagnia del Santissimo Rosario di far celebrare tre Messe la settimana per suffragio dell' Anima de' Genitori del Testatore, e di altri, secondo la sua intenzione, e per l'Anima sua in perpetuo. Volendo, ed ordinando, che la Compagnia di detto Altare debba eleggere per celebrar dette Messe un Cappellano separato, e distinto dal Cappellano di detta Confraternita. E siino vigilanti li Priori pro tempore, che non venga danneggiata detta Possessione: e di quella si facci Visita ogni anno.*

Itidemque disposuit, ut Census omnes, & pecuniæ hæreditariæ in alios Census investiendæ perpetuo obnoxiæ forent celebrationi tot Missarum in certo Altari Privilegiato, *coll' emolumento di otto bajocchi papali per Messa*, sub cura, & administratione Gubernatoris alterius Confraternitatis Suffragii Terræ Mondulphi; at post defectas Hæredũ institutum Lineas voluit, *che dd. Messe si appartengano al Cappellano eletto pro tempore della Compagnia dello Spirito Santo di S. Giorgio all' Altare del Santissimo Rosario ne i giorni privilegiati; volendo, che detto Cappellano sia obligato udire le Confessioni Sagramentali, e recitare ogni Sabato le Laudi della Vergine Maria.*

Utrumque legatum nuper purificatum est; & quia redditus Prædii vix attingunt valorem scut. 14. quolibet anno; & Census hæretarii producunt annuos fructus scut. 7. 93.; propterea Œconomus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, quibus, narrata acceptatione pii relicti jam sequuta sub conditione impetrandæ reductionis cum aliqua utilitate Sodalitii, postulavit, ut utrumque legatum in Beneficium Ecclesiasticum erigeretur cum determinato numero Missarum; Et precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis, supplicavit insuper pro temporanea suspensione onerum, ut restaurari posset Domus Colonica enunciati Prædii.

Jussus ea de re Episcopus Fanensis Sacram Congregationem instructam reddere, & votum suum aperire, retulit veram esse quantitatem annuorum reddituum in precibus expositam, & necessitatem reparationum Domus Colonicæ; Missarumque eleemosynam in illis Regionibus prius consuetam in julio uno monetæ Urbini, nunc ascendere ad julium unum monetæ Romanæ pro Manuali: pro Missis vero perpetuis, præsertim certo modo adimplendis, & ab incerto stabilium redditu Emolumentum consequuturis, taxatam esse a Synodo Diœcesana Fanensi in juliis duobus ejusdem monetæ Romanæ. Ideoque concludit -- *Essem in sensu propterea, quod facta, si possibile erit, per anteactum decennium annuorum fructuum liquidatione, vel sin minus ducto fructum calculo a terreni valore, juxta Peritorum judicium, eosdem fructus esse repartiendos in fixum Missarum onus, taxata illarum eleemosyna ad rationem juliorum duorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa.*

Verum sub die 22. rescriptum fuit -- *Quoad legatum Prædii Villa-*

lanetti, pro facultate suspendendi implementum oneris Missarum relictarum relative ad idem Prædium pro rata expensarum necessariarum pro restauratione Domus Ruralis, celebrata unica Missa singulis Hebdomadis; Quo vero ad reductionem Missarum celebrandarum tam relative ad dictum Prædium, quàm relative ad fructus Censuum Legatorum, pro reductione ad Madualem, reductis prius reliqu s oneribus; Quo autem ad erectionem Legati in Beneficium, Lectum.

Huic tamen rescripto non acquiescens Oeconomus, supplex instetit, ut Causa proponeretur sub formali Dubio; & nomine Confraternitatis nunc supplicat, ut rescribatur, esse locum reductioni ad taxam perpetuæ, tributo Cappellæ, seu Confraternitati Emolumento, quod superest Manuali Celebranti assignandæ. Disputat enim, onera perpetua Missarum per ultimas voluntates relicta, & nondum acceptata, sustineri non posse, in præscripta quantitate, nisi correspectivum habeant emolumentum pro Missis perpetuis consuetum, quod probari asserit exemplis reductionum in similibus legatis perpetuis ante acceptationem concessarum ab hac Sac. Congregatione ad rationem solitæ eleemosynæ perpetuæ in *Prænestina relata inter Summaria precum 15. Junii* 1759. *lib.*49. *decr. pag.*217., ubi tamen nec quantitas Missarum a Testatore præscripta, nec circumstantia non sequutæ acceptationis enunciatur, in *in Nepesina reductionis onerum 24. Julii ejusdem anni dict. libro* 84. *decret. pagina* 364., in qua agebatur de Beneficio erigendo, & injuncta fuit Beneficiato obligatio non petendi in posterum aliam reductionem, *in Lucana applicationis Missæ quotidianæ* 12. *Februarii* 1735. *lib.*85. *decret, pag.*53., in qua agebatur de Missa celebranda in aurora, & indulta fuit reductio non ad rationem perpetuæ, sed arbitrio Episcopi, *& in Viterbien. Cappellaniæ* 11. *Januarii* 1744. *lib.*94. *decret. pag.*1. in qua pariter agebatur de Cappellania erigenda, & reductio petita fuit a Patorno ob notabilem diminutionem pinguissimæ dotis per Testatricem relictæ, quæ sine tali diminutione longe superasset quantitatem eleemosynæ consuetæ pro Missis perpetuis.

Æquo pariter jure, defendit, tribuendum esse Altari, seu Sodalitio emolumentum, quod superest ultra eleemosynam manualem Celebranti assignandam; tum ratione utensilium; tum insuper quia emolumentum superans manualem de jure cedit commodo Loci pii Legatarii, ut tradunt *Amostaz. de Causis piis lib.*2. *cap.*4. *num.* 34., *& seq.*, *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom.* 2. *quæst.*968. *& seq.*; & definivit hæc Sacra Congregatio *in Romana legati* 3. *Augusti* 1658. *lib.*21. *decret. pag.*333., *in Theatina* 7. *Julii* 1668. *lib.*26. *decret. pag.*29., *& in Civitatis Castellanæ Missarum* 15. *Decembris* 1742. *lib.*92. *decret. pag.*691.

Petitioni autem Confraternitatis opponitur Hæres Familiæ Bonopera, qui si vellet onus acceptare curandi celebrationem Missarum ad rationem Manualis, videndum esset, num expediat, Testa-

ftatoris animam privare pluribus Sacrificiis indulgendo reductionem, cui non esse locum, si commode per alios adimpleri possint præscripta onera, tradunt *Navar. conf.* 10. *de celebr. Miss.*, & *Amostaz. de caus. piis lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 34.; & in similibus circumstantiis oblationis factæ ab Hærede procurandi satisfactionem Missarum ad rationem Manualis per Sacerdotes sibi benevisos, reductionem ad rationem eleemosynæ perpetuæ concedere hæsitavit hæc Sacra Congregatio Patribus Augustinianis *in Nucerina Legati pii* 5. *Aprilis* 1732., quùm neglecta responsione ad dubia in folio proposita super reductione, rescripserit, -- *Sequuta acceptatione, vel repudiatione, recurrant*, ut *in lib.* 82. *decretor, pag.* 168.

His itaque perpensis deceroendum erit ab EE. VV.

An sit locus reductioni onerum, in casu &c.

AUXIMANA. In Testamento condito anno 1667. Epimenius Ursi, inter cætera legata, reliquit PP. Minoribus Conventualibus S. Francisci Civitatis Auximi, in quorum Ecclesia sepeliri voluit, Censum in sorte sc. 25., & annui redditus sc. 2., cum onere celebrandi in perpetuum duo Officia Defunctorum quolibet anno in suffragium ejus Animæ; Et instituto hærede Josepho Maria Filio suo, huic ante ætatem 18. annorum sine Filiis decedenti substituit Beneficium, sive Cappellaniam, quam de universa sua hæreditate erigi jussit cum certis designatis oneribus augendis arbitrio Ordinarii; Ejusdemque Beneficii Rectori præcepit, quod *debba ogni anno fare un Anniversario per l' Anima del Servo di Dio Fra Giuseppe da Copertino nella d. Chiesa di S. Francesco: eseguendo la di lui Canonizazione, o Beatificazione, debba solennizarsi la sua Festa nel giorno della sua morte in perpetuo.* *Sess.* 22. *c.* 8. *de ref.*

Post Testatoris obitum, decessit infra annum sine Filiis Joseph Maria hæres institutus; ideoque purificata substitutione, Ordinarius de universa hæreditate Cappellaniam sub invocatione Sancti Joannis Baptistę erexit in Ecclesia Cathedrali, cum onere unius Missæ quotidianæ. Et Capellanus injunctum anniversarium annis singulis celebravit, erogato sumptu pro modo Sacerdotum confluentium ad Sacra peragenda, usquequo supervenit an. 1698. Commissio introductionis Causæ super Beatificatione, & Canonizatione ejusdem Servi Dei Josephi a Cupertino; postmodum vero uniformem quantitatem Juliorum quindecim anno quolibet solvit Cappellanus ipsis PP. Conventualibus in causam hujus legati; nec tenuitatem summæ insimularunt Patres, etiam post se-

ſequutam Servi Dei Beatificationem, licet ipſi majori ſumptu ſcutorum trigintaquatuor, ut inquiunt, ſolemni ritu, venuſtaque pompa coluerint illius Feſtum diem, prout decet in Eccleſia, in qua Sacrum Beati Corpus quieſcit.

Nuper autem ſupplices inſteterunt iidem PP. in hac Sacra Congregatione, ut cogeretur Cappellanus integrum onus dd. expenſarum ſubire pro ſolemnizanda Feſtivitate Beati Joſephi a Cupertino vigore d. legati Epimenii Urſi. Auditoque de more Epiſcopo, duo concordata fuerunt Dubia, quæ nunc proponuntur. Et diſputant Patres Conventuales, legatum epimenii Urſi, qui præcepit *Solennizarſi la Feſta* Beati Joſephi, favore religionis late interpretandum eſſe, & ritum ſolemnitatis a Teſtatore non præſcriptum determinationem accipere a conſueto Regionis more, a dignitate Legatarii, & ab opulentia Patrimonii Legantis, ad *Text. in l. ſi ſervus* 53. §. *ſi numerus ff. de leg.* 1. Conſuetum eſſe defendunt in Civitate Auximi, ſolemni ritu colere dies Feſtos SS. Victoris, & Coronæ, S. Antonii Patavini, & Sancti Vincentii Ferrerii, non minori erogato ſumptu ſc. 30. in Eccleſiæ apparatu, muſicis concentibus, & Divinorum celebratione: iſtumque morem, non autem minorum Feſtivitatum ritum ſequendum eſſe in legato, quo Teſtator præcepit *Solennizarſi la Feſta*, hoc eſt ſolemniter colere, & auguſtiori pompa Feſtum celebrare, juxta proprietatem verbi *ſolennizarſi*; Dignitatem Legatarii id etiam ſuadere contendunt, intuitu recentis ejus Beatificationis, & ob illius Sacrum Corpus in Eccleſia Auximi reconditum, ubi propterea decet majori pompa Feſtivitatem explere; Et demum opulentiam patrimonii Legantis non deficere aſſerunt, fructuſque Cappellaniæ injuncta onera ſuperare in annuis ſcutis ſeptuaginta circiter, quibus commode Cappellanus ſubire poterit expenſas hujus ſolemnitatis. Nec rationem habendam eſſe putant de quantitate juliorum quindecim pro anniverſario ſoluta, quia Feſtivitas loco Anniverſarii ſubrogata, non eſt ejuſdem indolis, & naturæ.

Excipit vero Cappellanus, præſtationem proſequendam eſſe in annuis Juliis quindecim, quantum ſolvi conſueverat pro anniverſario, cujus loco ſubrogata fuit celebratio Feſtivitatis, juxta regulam ſubrogatorum, de qua *Rota coram Herrer. dec.* 128. *n.* 20. Morem Civitatis eſſe, Sanctorum Feſtum colere Miſſa cantata cantu Gregoriano, aliiſque Miſſis lectis, pro quibus major expenſa Juliorum quindecim non requiritur; nec in exemplum adduci poſſe ſolemnitates SS. Victoris, & Coronæ, S. Antonii Patavini, & S. Vincentii Ferrerii, quæ plurimorum ſumptibus, vel ex eleemoſinis per queſtores integram Civitatem, ejuſque Territorium circumeuntes recollectis, celebrantur: & in diſpari Civitatis more, obligationes interpretandas eſſe de eo, quod minimum eſt, *cap. in obſcuris* 30. *de Reg. jur. in* 6., Dignitatem Legatarii magnam quidem eſſe quoad cæleſtem Beatitudinem, ſed pro cultu illi exhibendo ſervandos eſse ritus ab Eccleſia præſcriptos, ut ſolemnitas celebretur cum ſolo cantu Gregoriano

ſine

sine exteriori pompa concentus Musices, & obstrepentium instrumentorum in Ecclesiis sæpe vetita ab Joanne XXII. in *cap. unic. extra de vit. & honest. Cleric.*, & ab Alexandro VII. in sua Constitutione 38., *&* 42. *in Bullario Cherubin. tomo* 5.; & propterea exiguam non videri pompam Missæ cantatæ cantu Gregoriano, cum aliis Missis lectis in Festivitate Beati Josephi, cum ipsi Patres majorem pompam non adhibeant in Festivitate S. Francisci; Et fructus Beneficii adeo pingues non esse, ut a Patribus prædicantur, cùm deductis oneribus vix supersint sc. 18. pro Cappellano. Hæc autem reponit Cappellanus, non ut minuatur solemnitas Festivitatis Beati Josephi, quæ a Patribus celebrari solet, sed ne ipse teneatur pro illa contribuere majorem summam Juliorum quindecim, juxta morem hactenus observatum.

At Episcopus in sua relatione censet Cappellanum gravari posse ad contribuendum pro celebranda Festivitate annuam summam sc. 7., vel paulo plus, quum in die Festo S. M. ad Nives, quem Cardinalis Spada olim Episcopus Auximanus anno 1721. injunxit Parocho, & Ministro Ecclesiæ S. Mariæ de Misericordia *solennizare ogni anno*, æqualis summa impendi soleat, itaut exemplum allatum congruam præbere valeat interpretationem verbi *solennizare*, juxta morem Regionis.

Quocirca definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Festivitas Beati Josephi a Cupertino sit celebranda quolibet anno eadem impensa, qua retroactis annis celebratum fuit Anniversarium pro ejus anima, juxta dispositionem Epimenidis Ursi?* & quatenus Negative.

II. *An, & ad quæ solemnia, & sumptus teneatur Hæreditas Epimenidis Ursi occasione annuæ recurrentis Festivitatis ejusdem Beati, in casu &c.*

Folium, & Resolutiones hujus Sacræ Congregationis anni 1692. circa jurisdictionem Episcopi Hieracensis in Monasterium Castri Veteris.

HIERACEN. VISITATIONIS. Intra Diæcesim, & in Oppido Castri Veteris adest Monasterium Monialium B.M.V. Vallis Viridis subjectum jurisdictioni Priorissæ Messanen. & pro tali a Sacra Congregatione reputatum anno 1579. in contradictorio judicio inter dictam Priorissam, & tunc temporis Episcopum Hieracensem. Ad visitationem hujus Monasterii curavit accedere anno 1690. modernus Episcopus, quà quoad Clausuram acta, volens eam perficere quoad singulas Moniales, fuit impeditus; quare præsupposita asserta exemptione, utraque parte citata, ac informante super infrascriptis Dubiis concordatis, dignentur EE. VV. respondere.

Sess. 22. c. 8. & 5. de ref. & c. 10. Ss. 25. de regu.

 I. An

I. *An Episcopus visitare possit d. Monasterium S. M. di Valverde in concernentibus Clausuram ?*

II. *An possit Administratores reddituum Monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus Monasterii, eosdemque administratores removere, quatenus iidem Superiores interpellati id renuant facere ?*

III. *An possit cuicumque Personæ etiam in* 1. & 2. *gradu conjunctæ inhibere, ne audeat ad Monasterium accedere absque ipsius licentia ?*

IV. *An possit inhibere Famulis, & Famulabus conjunctarum Personarum, ne ad d. Monasterium accedant absque licentia Episcopi?*

V. *An Medici, Chirurgi, aliique Ministri necessarii ingredi possint in Clausuram cum sola licentia, & approbatione Delegati, absque licentia, vel consensu Episcopi?*

VI. *An præfata licentia sit ad tempus determinatum, vel juxta opportunitatem pro unica vice tantum concedenda; & an possit denegari ?*

VII. *An liceat Episcopo inhibere, ne in Ecclesia d. Monasterii celebrentur plusquam duæ Missæ, etiamsi Monasterium teneatur aliquod onus explere, exceptis tamen diebus exequiarum, & Festivitatis Titularis Monasterii : & Sacerdotes debeant specialiter ab Episcopo approbari ?*

VIII. *An possit interesse electioni Abbatissæ ?*

IX. *An Cappellani, & Confessarii sint a Superiore Monasterii deputandi, & approbandi ab Episcopo ?*

X. *An occurrente obitu alicujus Monialis, vel educandæ possit Episcopus probibere, ne in Ecclesia Monasterii celebrentur Exequiæ ?*

XI. *An possit impedire celebrationem Solemnem Festivitatis BB. Petri, & Pauli Titularium Monasterii ?*

XII. *An in iis, in quibus Episcopus potest procedere jurisdictione delegata, sit locus deputationi Episcopi Viciniores ?*

XIII. *An Delegatus a Superiore Monasterii possit absque licentia accedere ad dictum Monasterium; & an aliis licentiam concedere possit solus, vel unitim cum Episcopo ?*

Die 26. Januarii 1692. Sacra &c. juribus ab utraque Parte deductis mature perpensis respondit.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Quoad primam partem Negative, quovero ad secundam Affirmative.

Ad III. Censuit danda esse decreta a S. C. Episc. & Regul. hac de re edita, tenoris sequentis -- *Trani. All' Arcivescovo -- Non intende la S. C., che negli Editti generali, che si publicano circa l'accesso a i Parlatorii di Monache si comprendino i Parenti in primo, e secondo grado delle medesime, onde in conformità della mente dell' istessa S. C. non dovrà V. S. proibire alli Preti della Chiesa di Nazaret il poter trattare colle Monache, loro Parenti in primo, e secondo grado, purchè ciò non siegua nei giorni di Feste solenni, e ne*

ne i tempi prohibiti. *Tanto &c.* Roma 23. Marzo 1662. --

Ad IV. Itidem danda esse decreta ejusdem Sac. Cong.Episc.& Reg. videlicet -- *Città della Pieve* -- *Non è solito, che le Donne piglino licenza di andare alli Monasteri a parlare alle Monache; e quanto agli Uomini, potrete prohibire che non vi vadino senza vostra licenza, eccettuandone i Padri, e Fratelli solamente, e farete, che così sia osservato per l' avvenire. E state sano*. Roma 12. Gennaro 1604.

Ad V. Danda esse decreta in hac ipsa Hieracen. a Sacra Congregatione Concilii edita de anno 1581. ad 3. Dubium, tenoris sequentis -- *III. Item se sotto nome di Clausura si contiene, che li Medici, Barbieri, ed altre Donne, che servono in caso d' Infermità, Fantesche ordinarie, Garzoni, quali hanno da portar grano, farina, legna, acqua, & altre cose necessarie, Sartori, Muratori, Falegnami, e Procuratori, possino, o non possino entrare in d. Monastero* - Sacra &c. respondit Licentiam ingrediendi Monasterium spectare ad Superiorem Regularem ex *cap.5. Sess.25.de Regular.*

Ad VI. Danda pariter decreta d. S.C. Episc. & Reg. tenoris infrascripti -- *Parma. Al Vescovo* -- *Qui in Roma, e in ogni altro luogo, dove si tiene buona cura de Monasteri delle Monache, si suol fare una Lista di Persone, che sono necessarie, come Fornaro, Muratore, Falegname, Ferraro, Facchini per certe occasioni, oltre il Medico, Cerusico, e Barbiere, a quali per una volta si da licenza per sempre, sin tanto che non è rivocata, di poter secondo i bisogni entrar nel Monastero per far ciò, che occorre di loro Mestiere, avvertendo di pigliar Persone approvate di Età, e costumi buoni: e così dovrà fare anche ne suoi, con proibire insieme, che non entrino altre persone, che quelle che sono necessarie, che così e stato scritto, ed ordinato in molti luoghi*. A 20. di Novembre 1584.

Ad VII. Respondit, Negative, & quoad approbationem Sacerdotum Secularium, Episcopum uti debere jure suo.

Ad VIII. Affirmative, juxta formam declarationis post Constitutionem Gregorianam, nempe -- 5. An per eandem Constitutionem in illis verbis -- Possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere -- Jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? Sacra &c. censuit, jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis perConstitutionem attributum --

Ad IX. Affirmative quoad deputationem: & approbationem Confessarii spectare ad Episcopum;

Ad X. & XI. Negative.

Ad XII. Deputandum esse Episcopum Squillacen.: arbitrio Sacræ Congregationis.

Ad XIII. Affirmative quoad Delegatum,& quoad alios unitim cum Episcopo.

Ut *in lib.42. decr. pag.45.*

Die

Die Sabbathi 20. Decem. 1760. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 6. currentis Menſis Decembris indeciſæ remanſerunt tres Cauſæ, quæ hic primæ in ordine deſcribuntur; Dignentur itaque EE. VV., reaſſumpto Folio antecedentis Congregationis, ad illarum definitionem procedere.

Seſs. 22. c. 6. de Ref.

BONONIEN. ASSIGNAMENTI.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Seſſ. 25. c. 4. & 5. de Ref.

FANEN. REDUCTIONIS MISSARUM.
An ſit locus reductioni onerum, in caſu &c.

Dilata.

Seſſ. 22. c. 8. de Ref.

AUXIMANA.
I. *An Feſtivitas B. Joſephi a Cupertino ſit celebranda quolibet anno eadem impenſa, qua retroactis annis celebratum fuit Anniverſarium pro ejus Anima, juxta diſpoſitionem Epimenidis Urſi?* & quatenus Negative.
II. *An & ad quæ ſolemnia, & ſumptus teneatur Hæreditas Epimenidis Urſi, occaſione annuæ recurrentis Feſtivitatis ejuſdem Beati, in caſu &c.*

Ad primum Negativè. Ad ſecundum teneri juxta votum Epiſcopi.

MA-

MACERATEN, APPLICATIONIS. Species hujus Causæ descripta est in Folio Congregationis habitæ die 22. Septembris 1759., iterumque repetita in Folio Congregationis habitæ die 30. superioris mensis Augusti, tum cum certabatur de apertione Oris; & Dubio, quod erat -- *An intret arbitrium pro Aperitione Oris?* -- responderunt EE. PP. -- *Affirmative, & amplius* -- . In sequelam itaque hujus rescripti nunc disputat Communitas Maceratæ, Motum proprium san. mem. Benedicti XIV. exequendum non esse ob eadem sub & obreptionis vitia, quæ causam dederunt aperitioni Oris, quæque retardant gratiæ Pontificiæ exequutionem, etiam motu proprio concessæ, ut per *Textum in cap. super Literis* 20. *de rescriptis* firmat *Rota in Romana, seu Bergomen. Collegii* 26. *Novembris* 1731. §. *Quibus ita coram clar. mem. Card. Aldrovando*: neque illius vigore Bona hæreditaria Canonici Vlissi applicanda esse Fabricæ Ecclesiæ, & Episcopij, quia cum comperta fuerit suppositi illorum status ruinosi insubsistentia, & solum requirantur reaptationes exigentes moderatas expensas sc.350., istis occurrendum est ex quarta fructuum Episcopatus, & Canonicatuum, *cap. fin. de his quæ fiunt a maj. part. Cap., cap.* 1. *de Eccl. Ædif., ubi Abb. num.* 3., *& Barbos. de offic., & potest. Episcopi alleg.* 64. *num.* 5., vel ope mediæ Annatæ reliquorum Beneficiorum, juxta præscripta in Constitutione *Pius, & Misericors* san. me. Benedicti XIII., quæ est 59. *tom.* 11. *Bullarij nov. typis Mainardi*. Eademque Bona defendit eroganda esse pro erectione novi Montis Pietatis, juxta dispositionem pii Testatoris, quam decet inviolatam servare, si gravissima Causa non urgeat pro commutatione, ut sancitum est a Sac. Concilio Tridentino *ss.* 22. *cap.* 6. *de refor.*, & tradunt *Fagnan. in cap. Nos quidem nu.* 36. *de Testam., & Rota in d. Romana, seu Bergomen. Collegii* 24. *Martii* 1732. §. *Secluso coram clar. mem. Card. Aldrovando*. Attenta maxime indigentia, qua premuntur Pauperes Civitatis, obtinendi Montem Pietatis idoneum, a quo valeant per pignorationem, & pecuniaru mutuationem in suis necessitatibus assequi subsidium, quod ab altero simili Monte tenuissimæ Dotis sc. bismille in eadem Civitate existente maxima Pauperum pars sperare non potest.

Sess. 7. *c.* 8. *& Sess.* 21. *c.* 7. *de Ref.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

An sit locus Applicationi Bonorum, & Multiplici Canonici Vlissi pro Fabrica novæ Cathedralis, & Episcopij; seu potius erectioni novi Montis Pietatis, in casu &c.

Negativè ad primam partem, & Affirmative ad secundam, & amplius.

Seß. 25. c. 19. de Reg.

LYCEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM : Hæc Cauſa propoſita eſt in Congreg. habita die 20. præteriti menſis Septembris, & diſputato Dubio -- *An ſit locus reſtitutioni in integrum, in caſu &c.* -- reſcriptum fuit -- *Affirmative* -- Ad novum nunc revocatur examen, ut ſervetur forma præſcripta in Conſtitutione *Si datam Hominibus fidem* ſan. mem. Benedicti XIV., quæ eſt 47. *tom.*2.ejus Bullarij. Reaſſumpto itaque antecedenti Folio, decernendum erit ab EE. VV.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Seſs. 25. c. 5. de Ref.

FAVENTINA PLURIUM. Ex tribus hujus Cauſæ Dubiis in Congregatione habita die 12. Julii labentis anni propoſitis, indeciſum remanſit primum infrareſerendum dubium, cujus reſpectu, diſtractis EE. PP. ſuffragiis, reſcriptum fuit -- *Iterum proponatur* -- Reproponitur itaque; ut iterum perpenſis Cauſæ meritis in d. Congregationis Folio expoſitis, ab EE. VV. definiri valeat.

An Confratres de numero quadraginta Congregationis Pii Suffragij Civitatis Faventiæ compelli valeant ad celebrationem Miſſæ Menſilis nuncupatæ, ſeu potius ſit ſervandum decretum anni 1714., *ac obſervantia ſubſequuta ſuper exemptione non celebrandi d. Miſſam, in caſu &c.*

Negativè ad primam partem, Affirmative. Ad ſecundam, & amplius.

Seſſ.21.c.4., Seſs. 22. decr. De obſ. & vitan.in cel.Miſſ. Seſs 22 cap.8. de ref., & ſeſs. 25.c.13. de reg.

IMOLEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Binas Terræ Lugi Parochiales, & Collegiatas Eccleſias SS. Mariæ, & Hilario, & S. Jacobo dicatas, ſuppreſſit anno 1741. ſan. mem. Benedictus XIV., & unam erexit novam Collegiatam, unamque Parochialem in venuſtiori Eccleſia S. Jacobi, ſub nova invocatione SS. Petronij, & Proſperi, cui omnia Bona, & Curam Animarum utriuſque ſuppreſſæ Eccleſiæ applicavit, certaſque præſcripſit leges ad ſtatum, & regimen earumdem Eccleſiarum ſpectantes, quibus tamen contineri nequiverunt Capitulares

lares, quin restaurarent præeminentiales controversias, quas Summus Pontifex præfata suppressione extinguere nisus erat: litemque suscitarent, quæ sub XXVI. Dubiis proposita est in hac Sacra Congregatione die 19. Septembris 1744.

Ne itaque Capitularium diffidijs, & Vicariorum negligentia detrimentum pateretur Cura Animarum, laudatus san. memor. Benedictus XIV. anno 1757. concessit Patribus Scholarum Piarum alteram suppressam Ecclesiam SS. Mariæ, & Hilarij, novo pariter nomine S. Francisci de Paula appellatam; illamque in Parochialem erexit, salvo jure Matricitatis Ecclesiæ Collegiatæ; & tribus suppressis Confraternitatibus in ea existentibus, illarum Bona dd. Patribus addixit. Alia multa præscribuntur in Literis Apostolicis desuper expeditis, quæ causam dederunt novæ liti a PP. Scholarum Piarum introductæ coram A. C., & ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi remissæ ad hanc Sacram Congregationem, ubi Causa nunc proponitur XXIII. collecta Capitibus.

Cum enim in Literis suppressionis utriusque antiquæ Collegiatæ præcipiatur celebrari *Festum solemne S. Francisci de Paula* in ejus Ecclesia, olim SS. Mariæ, & Hilarij nuncupata cum interventu Capituli, Canonicorum, & Cleri novæ Collegiatæ: & rursu in Literis erectionis novæ Parochialis declaretur, quod *ad Capitulum, & Canonicos ipsius Collegiatæ Ecclesiæ spectet, annuatim se conferre ad d. Ecclesiam S. Francisci de Paula, pro decantanda Missa solemni in die Festo eiusdem Sancti*; proptera contendunt Capitulares (octo tamen illorum exceptis, qui promotæ liti non assentiri protestati sunt) quod occurrente die Festo d. S. Francisci de Paula in una ex Feriis Majoris Hebdomadæ, ei liceat differre accessum pro celebranda festivitate ad diem, in qua ab Ecclesia universali fit Officium ipsius Sancti, ut etiam censuit Episcopus: quodque ea occasione nequeant PP. Scholarum Piarum denegare Paramenta, aliaque necessaria pro Sacrificio Missæ, & pulsationem Campanarum, quæ sunt accessoria celebrationi Festivitatis. Adversantur autem PP. Scholarum Piarum, quia dies festus, de quo loquuntur Literæ Apostolicæ, non omittitur in Hebdomada Majori quoad præceptum audiendi Missam; & vacandi ab operibus servilibus, licet officium transferatur, ut decreto generali Sac: Congregationis Rituum definitum est quoad Festum S. Josephi *die 13. Septembris* 1692. ad relationem san. mem. Clementis XI. tunc Causæ Ponentis; & de translatione Officij Annunciationis B. M. V. in Feriam secundam post Dominicam in Albis extat aliud ejusdem Sacræ Congregationis Rituum decretum *Urbis, & Orbis diei* 20. *Julii* 1748. *Ponente cl. me. Card. Millino*.

Convenientibus Partibus quoad tertium dubium; pro omnimoda suorum jurium defensione ajunt Capitulares, habendam esse præ oculis animadversionem, quod in constitutione Ecclesiæ

clesiæ Parochialis sub titulo S. Francisci de Paula concessæ Patribus scholarum Piarum, san. mem. Benedictus XIV. non processit per viam reintegrationis ad jura competentia antiquæ Parochiali SS. Mariæ, & Hilarij, sed tantum per viam novæ Erectionis; & hoc jacto fundamento, disputant, quod celebranda sint a Canonicis in eorum Ecclesia Collegiata Officia omnia, & Legata pia a Benefactoribus relicta Ecclesiæ olim SS. Mariæ, & Hilarii, ante illius suppressionem, intuitu sive ipsius Ecclesiæ, sive ejus antiqui Capituli; quia in Literis suppressionis transferuntur ad eandem Ecclesiam Collegiatam SS. Petronij, & Prosperi *omnia, & singula Bona, res, proprietates, actiones, & jura, ac etiam omnia, & singula pia Legata ad unam, & alteram Communias prædictas, unamque, & alteram Collegiatas Ecclesias &c. suppressas prædictas, illarumque Capitula, & Canonicos respective spectantia, & pertinentia, & ubivis existentia.*

Et licet in disputatione habita in hac Sacra Congregatione dicta die 19. Septembris 1744. dubitatum esset de loco adimplendi d. pia Legata, attamen dubiū omne sublatum esse prætenditur a posterioribus Literis erectionis novæ Parochialis S. Francisci de Paula, quibus Summus Pontifex confirmavit suas præcedentes suppressionis Literas, *per quas*, inquit, *declaravimus translata esse ad d. Sæcularem, & insignem Collegiatam, ac Parochialem Ecclesiam SS. Petronii, & Prosperi omnia Legata pia, ac onera Missarum ad unam, & alteram Collegiatas Ecclesias per Nos, ut præfertur, suppressas respective spectantia, & pertinentia, quod satisfieri debent in præfata Sæculari, & insigni Collegiata, ac Parochiali Ecclesia SS. Petronii, & Prosperi ab illius Canonicis manus dexteræ nuncupatis.*

Itidemque autumant, ad eosdem Canonicos spectare jus *celebrandi anniversaria* in Xenodochijs S. Mariæ de Limite, & S. Rocchi existentibus intra limites Ecclesiæ Parochialis S: Francisci de Paula, ut cavetur expresse in Bulla erectionis hujus novæ Parochialis. Et pari modo defendunt, ipsis committendum esse adimplementum piorum Legatorum Vincentij Essani, & Cæsaris Zannelli, qui Hæredem instituerunt Confraternitatem Sancti Caroli in eadem Ecclesia S. Francisci de Paula, olim SS. Mariæ, & Hilarij erectam, cum onere celebrari faciendi præscriptum Missarum numerum a Presbyteris Consortialibus d. Ecclesiæ, statuta eleemosyna obulorum 15. & respective obulorum 12. pro qualibet Missa; Cum enim antiquis Presbyteris Consortialibus, & postea Canonicis olim Collegiatæ Ecclesiæ SS. Mariæ, & Hilarij quæsitum esset jus celebrandi dd. Missas, juxta præceptum utriusque Testatoris; propterea illarum celebrationem committendam esse putant Canonicis novæ Collegiatæ, ad quam translata fuerunt in suppres-

pressionis Literis omnia jura utriusque antiquæ Communiæ, & suppressæ Collegiatæ, juxta verba superius relata. Patres autem Scholarum Piarum excipiunt, facultatem Canonicis tributam in Literis Apostolicis intelligendam esse de Officiis solemnibus, quæ Capitulariter celebrari consueverunt, non autem de Officiis minus solemnibus, quæ ad aliorum distinctionem ab eis Sicca vocantur, hactenus celebratis in Ecclesia S. Francisci de Paula, quibusque Canonici interfuerunt, ut Testes ajunt, tamquam simplices Presbyteri, sine insignibus Canonicalibus.

Altera excitatur controversia super perceptione Emolumentorum, quæ ab Hospitali S. Mariæ de Limite penduntur, vel a Legatorum adimplemento procedunt. In transactione siquidem stipulata anno 1669., Officiales Hospitalis S. Mariæ de Limite, occasione facultatis eisdem indultæ construendi sepulcra in eodem Hospitali, promiserunt Parocho annuam summam scut. 9., quæ usque modo solvuntur. Illa sibi deberi contendit Capitulum, una cum emolumentis provenientibus a quibuscumque legatis piis, ratione translationis jurium quorumcumque, & piorum Legatorum, ad Ecclesiam olim Parochialem SS. Mariæ & Hilarij spectanctium in novam Collegiatam a san. mem. Benedicto XIV. anno 1741. expletæ; & quatenus, tribuenda essent Parocho S. Francisci de Paula, prætendit illa esse imputanda in computum annuæ pensionis sc. 40., quæ illi debentur a Capitulo vigore Bullæ erectionis novæ Parochialis. Reponunt autem PP. Scholarum Piarum, ad ipsos eadem emolumenta spectare, ratione funerum, & juris sepelliendi, quia in Literis Apostolicis novæ erectionis Parochiæ præscribitur, quod *Emolumenta Funeralium, quæ pro tempore peragentur in d. Ecclesia S. Francisci de Paula, & in aliis Ecclesiis intra illius Limites existentibus, Curato Regulari ipsius Ecclesiæ S. Francisci de Paula spectabunt*.

In eisdem Literis erectionis novæ Parochiæ statuitur quoad Funera Parochianorum S. Francisci de Paula, quod si Curatus Regularis *aliis Presbyteris eguerit* pro associatione Cadaverum, *tali casu præferri debeant Presbyteri adscripti servitio d. Collegiatæ &c., quod si major numerus Presbyterorum ultra adscriptos præfatos necessarius foret, aut Presbyteri adscripti præfati non valerent, seu nollent intervenire, liberum sit Curato Regulari præfato alios Presbyteros ad sui electionem invitare*. Hinc disputant Capitulares, quod in Funeribus prædictis, si Curatus eguerit majori numero Presbyterorum, ultra suum Cappellanum, seu Sacristam, teneatur invitare Presbyteros adscriptos servitio Collegiatæ, ad exclusionem Presbyterorum suæ Parochiæ, etiamsi ei data esset facultas a Defuncto eligendi

Presbyteros benevisos; quodque majori interveniente numero Presbyterorum, illi adscripti servitio Collegiatæ præcedere debeant omnibus aliis, secluso Curato, aut Vicecurato: quia præcedentia quoad incessum desiungi nequeat a præcedentia quoad vocationem illis tributam in Literis Apistolicis, ut notat *Ceccoper. Lucubr. Canon. lib.*1. *tit.*8. *nu.*16.. Utrumque autem nimis exorbitans videtur Patribus Scholarum Piarum, cum ipsi, qui continuo inserviunt Ecclesiæ Parochiali, cæterique Presbyteri vel Parochiani, vel in Ecclesia Beneficiati, de quorum existentia fit mentio in eadem Bulla Suppressionis, deterioris conditionis esse non debeant in propria Ecclesia, & Parochia, quam in aliis, in quibus libere invitari possunt ad Funera, sine ullius prælatione; & hos Presbyteros exclusos non fuisse arbitrantur, ob prælationem datam illis adscriptis servitio Collegiatæ in solo casu, quo Curatus *aliis Presbyteris eguerit*, ex quo hæc verba præsupponant aliquos adesse non exclusos. Et quatenus ipsi accedere possint ad funera, præcedentiam quoque obtinere autumant, uti constituentes Clerum Ecclesiæ Parochialis, nisi interveniat Capitulum ipsum Ecclesiæ Collegiatæ.

Et ob eandem rationem, quod ipsi constituant Clerum Ecclesiæ Parochialis S. Francisci de Paula, olim SS. Mariæ, & Hilarii, prætendunt Patres Scholarum Piarum interesse Anniversariis Officiis, quæ fiunt in Ecclesia PP. Minorum Conventualium ex pia dispositione Joannis Antonii de Magnapanis, a quo invitantur *quatuor Sacerdotes S. Hilarii, & quatuor S. Dominici, quatuorque Presbyteri S. Jacobi, & quator Presbyteri S. Mariæ de Lugo*. Canonici tamen arbitrantur, hanc facultatem uti connumeratam inter jura Ecclesiæ olim SS. Mariæ, & Hilarii, translatam fuisse cum reliquis juribus in Ecclesiam Collegiatam.

Præterea contenditur, Curatum Regularem de jure teneri accedere ad Processionem Sanctissimi Corporis Christi in ejus Solemnitate, & ad alias generales ab Ecclesia præscriptas, vel ingruentibus necessitatibus indicendas, juxta locum illi in Literis Apostolicis assignatum quoad Processiones Funebres, scilicet ante Mansionarios Ecclesiæ Collegiatæ: nec eum posse, præsente Clero adscripto servitio Collegiatæ cum Cruce Capitulari, propriam elevare Crucem, distinctumque Clerum efformare cum Presbyteris suæ Parochiæ. Renuit autem Curatus ad Processiones prædictas interesse, vigore privilegiorum Ordinis, quæ præservata fuisse censet in Literis Apostolicis præscribentibus, ut in Processionibus ob publicas necessitates faciendis a Capitulo cum immagine B. M. V. *della Centura*, quæ in Ecclesia S. Francisci de Paula asservatur, nullam habeant ingerentiam vel Curatus, vel aliiRegulares Scholarum Piarum; & ex iisdem Literis Apostolicis defendit, Crucem

Capitu

Capitularem tunc solum elevari posse in Funeribus, quando intervenit Capitulum, quo casu non dissentit incedere ante Mansionarios, secus non interessente Capitulo, juxta tenorem dd. Literarum Apostolic. præscribentium, ibi — *In in eventum vero, quod Capitulum, & Canonici præfati in Corpore non interveniant, tali casu Curatus Regularis discedet una cum Processione suæ Ecclesiæ iturus recto tramite ad Domum Defuncti, ac Crucem elevabit, omnibusque aliis præcedet*.

Expositiones Sanctissimi Sacramenti peragere tempore Adventus, & Quadragesimæ, & assueta quinque anniversaria pro Benefactoribus in genere celebrare, obligatos esse Patres Scholarum Piarum putant Canonici, quemadmodum explere consueverant suppressæ Confraternitates Sanctissimi Sacramenti, & S. Caroli; quia in applicatione illarum Bonorum ipsis PP. facta cautum fuit, *quod præfati Clerici Regulares d. Ordinis in præfata Ecclesia S. Francisci de Paula nuncupati pro tempore extituri omnia, & singula onera Confrafratribus præfatis respective spectantia, & pertinentia adimplere debeant, & teneantur*. Ad expositiones tamen censent Patres non teneri, quia pietatis intuitu, non autem ex obligatione fieri solebant a suppressis Confraternitatibus; Anniversaria vero per errorem novissime celebrata fuisse, inquiunt, pro Benefactoribus in genere, cum ex libris Confraternitatum appareat illorum onus pro particularibus Personis, quibus ideo applicanda erunt.

Statutum quoque est in sæpedictis Literis erectionis novæ Parochialis quod expensæ Processionis cum Immagine B.M.V. *della Centura* fiant ex oblationibus ea occasione collectis, *cæteræ vero oblationes cujuscumque generis extituræ, quæque eidem Immagini Beatissimæ Virginis Mariæ pro tempore fient &c., ad eandem Immaginem B. V. M. spectent, & pertineant, & ad liberam dispositionem eorundem Clericorum Regularium remaneant: & pari modo omnes oblationes, aut eleemosynæ infra annum cuilibet Immagini, vel Altari in d. Ecclesia S. Francisci de Paula &c. sita, seu sito, ad eosdem Clericos Regulores spectent*.. Putant itaque Patres Scholarum Piarum ad ipsos pertinere oblationes, & elemosynas, quæ præfatæ Immagini, vel eorum Ecclesiæ fiunt a Communitate Lugi vigore Statuti, & a Confraternitatibus Loci ex inveterata Consuetudine; sed Canonici arbitrantur sibi eas debitas esse vigore translationis jurium suppressæ Ecclesiæ in eorum Collegiatam, exquo agatur de annuis præstationibus magis, quam de oblationinibus eventualibus.

Descendunt pariter ex iisdem Literis quæstiones promotæ a PP. Scholarum Piarum, ut ipsis restituantur Archivium, & libri suppressæ Collegiatæ, & Parochialis S. Mariæ, Vascula Argentea, & stamnea Sacrorum Oleorum, Horologium, Agnosterium, & præsertim Reconditorium, cum Sacris Paramentis,

quæ pro missis quotidie a Capitulo celebrandis in eadem Ecclesia retinebantur, & amota, ac translata ad Collegiatam Ecclesiam SS. Petronij, & Prosperi fuerunt in actu traditæ dd. PP. possessionis Ecclesiæ S. Francisci de Paula olim SS. Mariæ, & HilariiContendunt enim, in concessione Ecclesiæ ipsis facta, tributa quoque fuisse illius Cappellas, & Altaria, *Cæteraque omnia, & quæcumque cujusvis generis, & speciei, tam Mobilia, & pretiosa Sacra, & profana, quam immobilia, res, proprietates, Campanile cum Campanis, Cæmeterium &c.* Recusant autem Capitulares quidquam tradere dd. Patribus, quia fuit illis concessa Ecclesia *in statu, & terminis in quibus illa ad præsens reperitur*, ut legitur in Literis Apostolicis; & propterea sub concessione comprehendi non posse ajunt res ejusdem Ecclesiæ prius translatas in Collegiatam vigore antecedentium Literarum suppressionis: Addunt insuper, Libros antiquæ Parochialis suppressæ non pertinete ad Ecclesiam S. Francisci de Paula haud reintegratam ad antiqua jura, sed in novam Parochialem erectam, ideoque novos Libros pro ejus servitio efformari debere: Vascula vero Sacrorum Oleorum ad usum Fontis Baptismalis eo minus restituenda esse d. Ecclesiæ, quæ Fonte caret; & illud Sacri Olei Infirmorum, non in Collegiatam translatum fuisse, sed retineri ab ipsis PP.. Horologium, & Agnosterium parata fuisse ad usum suppressi Capituli, & cum Capitulo ipso recte translata in Collegiatam Ecclesiam S. Petroni, & Prosperi: Ac demum Reconditorium cum Sacris Paramentis non probari acquisita fuisse sumptibus Ecclesiæ magis, quàm Capituli translati in novam Collegatam; & indecore postulari a Patribus, postquam a Capitulo amota fuerunt vidente, & patiente P. Provinciali Ordinis.

Denique controvertitur jus nominandi Puellas ad subsidia Dotalia, & interveniendi Congregationibus Locorum Priorum, quo fruebantur antiqui Parochi suppressæ Parochialis S. Mariæ. Illud sibi altribuit Parochus Regularis, quasi jure Parochiali, præsertim quia in Constitutionibus synodalibus præscribitur interventus Parochi in Congregationibus Locorum Piorum suæ Parochiæ: & in Literis Apostolicis novæ Erectionis Parochialis S. Francisci de Paula præservatur Capitulo jus celebrandi Anniversaria in Xendochiis existentibus intra limites d. novæ Parochiæ, quod innuere subditur, cætera jura relative ad eadem Loca pia fuisse illi adempta. At Capitulares hoc quoque jus ad Collegiatam spectare affirmant, cum reliquis Juribus in eam translatis in Bulla suppressionis antiquæ Parochialis.

Omnibus itaque mature perpensis, definiendum erit ab EE.VV.

I. *An occurrente die Festo S. Francisci de Paula in una ex Feriis Majoris Hebdomadæ liceat Capitulo differre accessum ad Ecclesiam ejusdem Sancti ad diem, in qua ab Ecclesia universali fit Officium ipsius Sancti?* & quatenus affirmative.

II. *An*

II *An PP. Scholarum Piarum possint denegare Sacra Paramenta, & alia necessaria pro celebratione Missæ, & impedire pulsationem Campanarum?*

III. *An in solemni Processione Sanctissimi Corporis Christi Capitulum possit ingredi in Ecclesiam S. Francisci de Paula, & deponere super Aram Majorem Sanctissimum Sacramentum ad modicum tempus, in sublevamen Delatoris?*

IV. *An, & quæ Officia, & Legata a Benefactoribus relicta celebranda sint per Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ SS. Patronij & Prosperi, sive potius per Curatum S. Francisci de Paula?* & quatenus negative ad secundam partem.

V. *An liceat iisdem Capitularibus d. Officia, & Legata adimplere in Collegiata?* & quatenus negative.

VI. *An Curatus S. Francisci de Paula possit impedire Capitulares, ne accedant ad ejus Ecclesiam pro adimplendis dd. Legatis?*

VII. *An, & ad quos pertineant scuta novem solvenda ab Officialibus Hospitalis S. Mariæ de Limite?*

VIII. *An emolumenta provenientia ex adimplemento dd. Legatorum in casu, quo adimpleri debeant per præfatum Curatum, una cum dd. scutis novem annuatim solvendis ab Officialibus Hospitalis S. Mariæ de Limite sint comprehendenda in summa scutorum quadraginta singulis annis debita PP. Scholarum Piarum?*

IX. *An Curatus S. Francisci de Paula, si occasione Funerum eguerit majori numero Presbyterorum, ultra suum Cappellanum, seu Sacristam, in exclusionem Presbyterorum ejus Parochiæ, teneatur invitare Presbyteros adscriptos servitio Collegiatæ, non obstante quod per Defunctum data ei fuerit facultas eligendi Presbyteros benevisos?* & quatenus affirmativè.

X. *An in associatione dd. Cadaverum Presbyteri adscripti servitio Collegiatæ debeant præcedere omnibus aliis, secluso Curato, & Vicecurato?*

XI. *An liceat d. Curato S. Francisci de Paula accedere ad Officia, quæ fiunt in Ecclesia PP. Conventualium?*

XII. *An Curatus S. Francisci de Paula teneatur per se ipsum accedere ad Processionem Sanctissimi Corporis Christi in ejus solemnitate, & ad alias generales ab Ecclesia præscriptas, imo etiam ad illas, in quibus intervenit uterque Clerus pro publicis necessitatibus, & incedere in loco sibi a Motu proprio assignato?*

XIII. *An Curatus, præsente Clero adscripto servitio Collegiatæ cum Cruce Capitulari, possit elevare Crucem separatam, & cum Presbyteris commorantibus in ejus Parochia incedere?*

XIV. *An PP. Scholarum Piarum teneantur peragere Expositiones Sanctissimi Sacramenti tempore Adventus, &*

 Qua-

Quadragesimæ, quæ fiebant a Societatibus Sanctissimi Sacramenti, & S. Caroli suppressis?

XV. *An dd. PP. teneantur singulis annis adimplere quinque Anniversaria pro Benefactoribus in genere dd. Confraternitatum suppressarum eo modo, quo semper adimplevit Capitulum usque ad suppressionem suprad.?*

XVI. *An & ad quos pertineant oblationes, quæ olim fiebant tum à Communitate Lugi, tum à Confraternitatibus d. Terræ, Ecclesiæ olim Sanctæ Mariæ in Titularis die Festo, itaut sint restituendæ?*

XVII. *An Archivium Collegiatæ, & Parochialis olim S. Mariæ sit consignandum Curato S. Francisci de Paula?* & quatenus affirmativè.

XVIII. *An Lucra percipienda per Curatum S. Francisci de Paula ab extractione monumentorum existentium in Libris hodie asservatis in Archivio Capituli, & prædicto Curato consignandis, sint computanda in scutis quadraginta solvendis annuatim d. Curato?*

XIX. *An Vascula tùm argentea, tum stamnea, quæ detinebantur in Baptisterio Ecclesiæ olim S. Mariæ, & quibus Parochi d. Ecclesiæ utebantur pro conservatione Sacrorum Oleorum Chrismatis, & Cathecumenorum, sint consignanda d. Curato S. Francisci de Paula?*

XX. *An Horologium, & Agnosterium translata ad* Collegiatam *sint consignanda d. Curato S. Francisci de Paula?*

XXI. *An Reconditorium, cum Sacris Paramentis, quæ pro Missis quotidie a Capitularibus Celebrandis in Ecclesia olim Sanctæ Mariæ retinebantur, sit quoque consignandum Curato S. Francisci de Paula?*

XXII. *An jus nominandi Puellas ad subsidia dotalia in Festis Nativitatis B. Mariæ, S. Rocchi, & Montis Pietatis, spectet ad Capitulum SS. Petronii, & Prosperi, seu potius ad suprad. Curatum?*

XXIII. *An jus accedendi ad* Congregationes *dd. Locorum Piorum spectet ad Deputatum d. Capituli, secluso eodem Curato, in casu &c.*

Ad primam Affirmative, & amplius ad secundum Negatitive, & amplius. Ad III. Affirmative, & amplius. Ad IV. ad primam partem Affirmative in omnibus, comprehensis Legatis etiam Essani, & Zannelli, exceptis Legatis ad Confraternitates suppressas spectantibus, pro quibus Affirmative Ad secundam partem. Ad V. Affirmative, exceptis Legatis Essani, & Zannelli adimplendis in Parochiali S. Francisci de Paula, & amplius. Ad VI. Negative quoad Legata Missarum Essani, & Zannelli, in reliquis affirmative, & amplius. Ad VII. spectare ad Capitulum Ad VIII. provisum in antecedentibus. Ad IX Affirmative, & amplius. Ad X. Affirmative. Ad XI. spe-

XI. spectare ad Collegiatam jus transmittendi octo ex suis Presbyteris ad Officia, de quibus agitur in Ecclesia PP. Conventualium, & amplius Ad XII. Affirmative in omnibus, & amplius Ad XIII. Detur novum dubium juxta mentem Ad XIV. Dilata, & audiatur Episcopus. Ad XV. teneri ad formam Testamentorum Ad XVI. spectare ad Ecclesiam S. Francisci de Paula, & amplius Ad XVII. Negative. Ad XVIII. provisum in antecedenti. Ad XIX., & XX. Negative, & amplius. Ad XXI. dilata, & ad D. Secretarium ad mentem Ad XXII. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad XXIII. spectare ad Parochum.

Reliquæ indecisæ remanserunt.

MACERATEN.. In Consilio, quod vocant Reformantiæ, Civitatis Maceratæ statutum fuit die 24. Augusti 1756., *che chiunque si trovasse accasato, o si accasasse in avvenire con Persone ignobili, o plebee, o di nascita disdicevole al decoro del proprio grado, e condizione, non debba essere ammesso ad alcun grado di Nobiltà: anzi sia egli, e i Figli, e Posteri suoi ipso facto cassato dal Rollo della Nobiltà sud., e rimanga esso, e ciascun di loro subito privo ai tutti i gradi, onori, e privilegi, che alla d. nostra Nobiltà si concedono; eccettuando da questo decreto solo quelle persone, vita però loro naturale durante, che quantunque accasate, come sopra, si trovano attualmente nel possesso di d. gradi di Nobiltà. Con espressa dichiarazione anche, che qualora di qui in poi chiunque, doppo essere stato ammesso, si accasasse con persona ignobile, o plebea, o di nascita disdicevole al decoro del proprio grado, e condizione, come sopra, sia egli stesso egualmente, che i Figli, e Posteri suoi parimente ipso facto decaduto, e resti privo di tutti i gradi, oneri, e privilegj sud., e debba subito esser cassato dal Rollo, e tolto dal Bussolo di questo Regimento.* *Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.*

Ob querimonias autem nonnullorum Civium, qui jam impares contraxerant nuptias, novum editum est decretum ab eodem Consilio Reformantiæ die 2. Aprilis 1759., quo, *inerendo anche al decreto fatto nella passata Riformanza*, sancitur lenioribus verbis, ut *siccome è in piena libertà di ciascuno di scegliere la Persona, con cui voglia congiungersi in Matrimonio; così in avvenire, e ne i futuri casi, sia in eguale libertà del Conseglio di Riformanza, a cui appartiene il dritto di esaminare la qualità di quelli, che pretendono anche a titolo di successione i nobili gradi della Città, di negarglieli, o accordarglieli, secondo le circostanze, e le qualità de Matrimonii fatti da i Pretendenti, quali rimasti una volta esclusi, restino ancora i di loro Figli, e Nipoti ad una tal' esclusione soggetti. Ed ad effetto, che una si provida disposizione abbia in tutt' i futuri tempi perpetua fermezza, se ne dovrà chiedere l'approvazione, e conferma dalla Santità di Nostro Signore felicemente Regnante.*

Adversus utrumque decretum preces Zelatorum nomine oblatæ sunt

sunt huic Sacræ Congregationi, ut illa abrogarentur tamquam contraria libertati Matrimonij, & sanctioni Conciliari *in sess.* 24. *cap.*9. *de ref. matr.*, qua prohibetur sub anathematis pæna Magistratibus, & temporalibus Dominis *ne quovismodo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonium contrahant*. At Episcopus de more auditus suam aperit animi sententiam his verbis -- *Si quod prædicta Decreta præjudicium libertati Matrimonij inferre posse viderentur, satis provisum existimo per hoc, quod ante exequutionem præservata est approbatio, & confirmatio sedis Apostolicæ*.

Causa nunc propronitur; Et disputat Magistratus, Libertatem Matrimonij intactam servari a prædd. Decretis, quæ Nuptias non prohibent directe, seu indirectè extra certum numerum Familiarum, vel extra Civitatem Maceratensem, sed pænam indicunt ejectionis ab Ordine Nobilium contrà eos, qui decus propriæ Nobilitatis maculant vilibus, abjectisque Conjugiis; Cum enim libera maneat facultas Nobilibus digne nubendi, absque incursu pænæ, cuicumque maluerint paris conditionis Mulieri, propterea statutum, vel præceptum in his terminis substineri, etiam ex mente Concilii, tradunt *Faguan. in cap. Cum dilectus num.* 43. *de consuetud.*, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 4., *& Sanchez de Matrimon. lib.* 1. *disput.* 34. *num.* 40.

Præsertim vero, quia generosa Nobilitas puritatem Sanguinis requirens æque læditur exercitio vilium artium, quam Connubiis abjectarum Mulierum, quarum Filii propterea, etiamsi præclara fulgeant Genitoris Nobilitate, non admittuntur ad recte institutos Ordines Equestres. Quamobrem pæna illius ammissionis indicta contra indigne nubentes, non Matrimonij lædit libertatem, sed studium respicit conservandi Nobilitatem in suo nitore: quod maxime fieri potuisse contenditur in Civitate Maceratensi, in qua patriis Legibus Auctoritate Pontificia confirmatis statutum est, quod *i Figliuoli non possano pretendere tal Luogo per successione, quando sia concesso alli Padri*, quodque *Tutti quelli, che si ballotteranno per essere ammessi all' Officio di Credenza del Magistrato, o vero del Consiglio generale, s'intendano essere ottenuti canonicamente per due terzi delli Suffragij, che saranno resi, tanto quelli, che vengono per successione, come gli altri per grazia. siccome si è costumato sempre per il passato*, itaut Magistratus insinuando Nobilibus æquales nuptias, & a prærogativis, quibus solent docorari Nobiles, arcendo indignis pollutos connubiis, novam condidisse legem non videatur magis, quàm veterem explicasse.

Exemplis id etiam confirmat similium decretorum, quorum alterum a Senatu Bononiensi anno 1748. editum, & a san. memor. Bene-

Benedicto XIV. approbatum, statuit, quod *Chi sposasse Donna non Nobile perda ipso facto la Capacità al Magistrato de Signori Anziani, ancorche prima lo avesse altra volta investito*: & alterum quod promulgavit anno 1756. generale Consilium Civitatis Imolæ, & plaudente Eminentissimo Emiliæ Cardinali Legato confirmavit Sac. Congregatio Status Ecclesiastici consultationibus præposita, constituit *che quelle Persone dell' Ordine Nobile, le quali anno sposato, o in avvenire sposaranno Donne Vili, e plebee, o d' Arti Mecaniche, o vero che esercitaranno arte, o impiego improprio della Nobiltà, o pure che incorreranno in qualche delitto, che Iddio non voglia, il quale inferisca pena d' infamia, e perciò demeritaranno la grazia del Principe, restino esse, e loro Figli esclusi ipso facto dal grado di Consigliere*. Si enim hujusmodi decreta in Civitate Bononiensi, & in Civitate Imolensi reputata non fuerunt contraria libertati Matrimonii, contraria pariter videri non posse autumat sua decreta Magistratus Maceratensis.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

An Decretum, seu Decreta Consilii Reformantiæ, de quibus agitur, obstent libertati Matrimonij, & sint abolenda, in casu &c.

CONSENTINA DECLARATIONIS. Clerus Ecclesiæ Majoris Montis Alti, precibus oblatis huic Sacræ Congregationi, postulavit declarari, eandem Ecclesiam fuisse olim Cathedralem, deinde suppressam, & unitam Sedi Consentinæ: post suppressionem verò, & unionem præd. remansisse in ea Collegium cum quatuor Dignitatibus, & annexa Cura animarum: illarumque primam, & principalem, Decanatum nuncupatum reservatam esse collationi, & dispositioni Sedis Apostolicæ: & reliquas tres conferendas esse prævio examine, sed absque concursu: atque d. Ecclesiam, attentis qualitatibus, quibus decoratur, fuisse, & esse reputandam Collegiatam Insignem. Datæ idcirco fuerunt Literæ ad Archiepiscopum Consentinum, ut auditis interesse habentibus Sacram Congregationem instructam redderet, votumque suum aperiret. Adventa Archiepiscopi relatione, in qua testatur audivisse habentes: ac exhibito documento *Sess. 24. c. 12. & 18. de Ref.*

de

de citatione executa adversus *Promothorem* Fiscalem, Causa nunc proponitur; plurimaque afferuntur ad probandas expositas prærogativas.

Testimonio siquidem ipsius Cleri, Magistratus, & Civium, editisque Archiepiscoporum relationibus vel in hac causa, vel occasione Visitationis Sacrorum Liminum defenditur, Oppidum Montis Alti, Civitatem nuncupatam, in Consentina Diœcesi præcipuum, Ædificiorum elegantia, Ordinum distinctione, & Civium Nobilitate, ac eruditione decorari, quatuor Regularium Virorum Cænobiis, Sacrarum Virginum Monasterio, Pænitentium, & Perichlitantium Mulierum Conservatorio conspicuum reddi, illiusque splendorem augeri ex pluribus Ecclesiis, Confraternitatibus, Oratoriis, Congregationibus, Hospitali, Monte Pietatis, aliisque Locis piis, & florenti Literarum Accademia dudum Montaltina, modo vero Incultorum appellata.

Major Ecclesia B. M. V. in Cælum Assumptæ dicata, quæ nuncupatur etiam *della Serra*, seu *del Serrone*, juxta descriptionem a Regio Ministro factam anno 1627., apud Oppidi mænia sita, exhibet Magnificum Ædificium, circumadicentium Populorum religione ad Sac. Imaginem B. M. Virginis ibidem asservam confluentium illustratum; pretiosa Suppellectili ornatur, nuncupatione gaudet Collegiatæ, cum omnibus prærogativis, quibus reliquæ Collegiatæ decorantur. Præter numerosum Clerum illi inservientem, habet quatuor Dignitates nuncupatas Decanum, Archidiaconum, Cantorem, & Thesaurarium, qui Curam exercent Animarum, & in omnibus Ecclesiasticis functionibus Mozzetta utuntur coloris Violacei, cum rubris globulis, & supra cæteros præeminent de Clero Sæculari, & Regulari ejusdem Loci, collegialiter celebrant Divina Officia in Choro distinctis stallis ornato, simul congregantur ad sonum Campanæ in loco Capituli consueto, & acta Capitularia in peculiari Libro describunt, capsamque retinent, & Mensam Communem, & sigillum pariter commune exprimens Crucem supra tribus Montibus cum epigraphe *Capitulum Montaltinum*; Decanatus tamquam prima Dignitas a Sede Apostolica conferri solet. Et Capitulum antedictæ Ecclesiæ, tam in Synodis, quàm in solemni cujusque Archiepiscopi ingressu, & in præstanda eidem obedientia XVIII. Kalendas septembris cujuslibet anni, supra cæteros de Clero totius Diœcesis Primatum obtinet.

Hæc quoad statum recentem Ecclesiæ Majoris Montaltinæ, quæ ab immemorabili tempore viguisse præfati Testes affirmant. Norrant etiam veterem Patriæ traditionem, quod Civitas Montis Alti Cathedræ Episcopalis honore quondam præfulserit, eaque postmodum suppressa ac unita fuerit Sedi Consentinæ, remanente Collegio in prædicta Ecclesia Majori, quodque non procul a Mænibus Oppidi adhuc inspiciuntur rudera antiquæ Ecclesiæ olim

S. Ni-

S. Nicolao dicata in loco, qui dicitur *il Vescovado*: Et Archiepiscopus Consentinus nedum Curam immediatam habet alterius Parochiæ Montis Alti, quam exercet per suum Æconomum, sed etiam multa possidet Bona in illius Territorio, & præsertim amplissimum Latifundium nuncupatum *S. Antonio di Settimo*, seu *S. Antonello* annui redditus ducatorum 600. circiter: quæ bona fama est fuisse Mensæ Archiepiscopali incorporata occasione unionis Sedis Montaltinæ. Quam quidem sententiam amplectitur etiam ipse Archiepiscopus, qui in relatione ad hanc Sacram Congregationem transmissam sic habet -- *Ipse quoque incunctanter assero, laudatam Civitatem, quæ Vffugum olim appellabatur, sæculis anteactis Episcopalis Cathedræ honore fuisse honestatam*.

Quod vero Uffugum in Brutiis esset circa Cosentiam, erui potest ex *Livio decad.*3. *lib.*30., ubi refert, quod in Bello Punico defecere ad Romanum Consulum, qui in Brutiis erat, *Cosentia*, *Vffugum*, *Vergæ*, *Besidiæ*, *Hetriculum*, & alia loca. At nomen Montis Alti Sæculo XV. obtinuisse Oppidum, de quo disceptatur, constat ex Epistola S. Francisci de Paula die 11. Maij 1446. scripta ad Simonem *dell' Alimena*, cujus Nobilis Familia adhuc viget in Oppido Montis Alti, in qua Sanctus commemorat accessum trium Presbyterorum *di Montalto*, *D. Dieni*, *D. Giovanni di Cesare*, *e D. Trojano di Azopardo*, ut in centuria illius Epistolarum collecta a P. Francisco *di Longobardi Epist.* 8. *pag.*61. Ipsique Cives in attestationibus pro hac Causa editis asserunt, Civitatem Montis Alti die prima Januarii 1489. Nobilis, & Fidelissimæ titulo fuisse decoratam a Ferdinando I. de Aragona Neapolis Rege. Et *Leander Albertus*, qui Calabriam circumivit anno 1525., testatum reliquit in sua descriptione Italiæ, & Insularum adiacentium *pag.*185., inter alia Loca in ea Regione reperiri Civitatem Montis Alti, cujus olim fuit dux Filius d. Ferdinandi I. de Aragona Regis Neapolis. Indeque celebris reddita est d. Civitas, ut pote destinata pro Regiæ Aragonensis Prosapiæ Dinastia, ut habetur in relatione occasione Visitationis Sacrorum Liminum transmissa ab Archiepsco Censentino anno 1660.

Primus omnium *Gabriel. Barrius* opinatus est, Civitatem Montis Alti antiquum fuisse Uffugum, & Sedem Episcopalem habuisse, scriptumque reliquit in suo opere *de antiquitate, & situ calabriæ Romæ inpress. anno* 1571. *lib.* 2 *pag.* 102. quod nimirum in Regione Calabrjæ *est Montaltum uffugum olim dictum Sedes Episcopalis, quæ Consentinæ juncta, est*. Et Barii testimonium sequuti, hoc ipsum deinde affirmarunt P. Hieronymus Marafioti *Cronic. ed antich. di Calabr. impress. Patavii anno* 1601. *pag.*272. Scipio Mazzella *descriz del Regn. di Napol. ingress. Neap.* 1601. *pag.* 138. Robertus Viræus *Geograph. Eccles. impress. Lugduni* 1620. *pag.* 140. & 286. Philippus Ferrarius *Lexic. Geograph. impres. Mediolani anno* 1627. *sub. lit. u.*, Octavius Beltranus

Brev.

Brev. descr. del Regn. di Napol. impres. Neapoli 1640. *pag.* 250. Philippus Brierius Abavillæus *Paralel. Geograph. Ital vet. & Nov. impres. Parisiis* 1649. *pag.* 975. & 1030. , P. Franciscus di Longobardi *Cent di Lett. del glorios. S. Franc. di Paola impres. Romæ* 1655. *pag.* 46. , Ferdinandus Ughellius *Italia Sacr. impress. Romæ* 1662. *tom.* 9. *pag.* 240. , P. Joannes di Fiore da Cropani *Calabr. Illustr. impres.* 1691. *tom.* 1. *pag.* 106. , & *tom.* 2. *impres. Neapoli* 1743. *pag.* 281. P. Seraphinus Montorio *Zodiac. Marian. impress. Neapol.* 1715. *pag.* 376. , qui supponit unionem sequutam esse tempore incursionis Saracenorum; Nicolaus Coleti *append. ad Ital. Sacr. tom.* 10. *pag.* 144. P. Elias de Amato *Pantopologia Calabra impres. Neapoli* 1725. *pag.* 240. . Et Antonius Zavarrone *Nott sopra la Boll. di Gadano Arciv. dell' Acerenz. impres. Neapol.* 1755. *pag.* 212.

Hujusmodi autem Scriptoribus Barrio assentientibus, qui hanc opinionem evulgavit anno 1571. , quantum deferri valeant pro adstruenda antiqua Cathedralitate Ecclesiæ , cum nulla afferantur antiqua monumenta, neque Episcoporum subscriptiones antiquis Concilijs , late differitur *in decis.* 489. , & 938. *cor. Molin.* ; Et nisi concurrat continuata possessio , vel saltem retentio nominis Cathedralitatis , cum distinctione Limitum antiquæ Diæcesis , nequaquam attendendas esse vagas tranditiones, & signa æquivoca, atque recentium Sciptorum enunciativas obiter emissas , firmant *Barbos. de jur. Eccl. un. vers. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 60. , & *seq.* , *Franc. de Eccles. Cathed. cap.* 8. *nu.* 211. , & *seq.* & *Card. de Luc. de præem. disc.* 3. *num.* 9. . Addito prælertim , quod cum juxta Civium depositiones , in loco , ubi dicitur *il Vescovado* , rudera inspicientur alterius Ecclesiæ olim dicatæ S. Nicolao, non est potior ratio, cur ejus Capitulum , si vere unquam fuit Cathædralis, præsumi debeat translatum in hodiernam Ecclesiam Majorem Montis Alti , de qua contenditur , & non in Cathedralem Consentinam , cui supponitur unita Sedes Montaltina .

Circa Collegialitatem vero, licet non appareat de illius erectione attamen antiquissima prætenditur ; & verbum *D. Dieni* expressum in præcitata Epistola S. Francisci de Paula intelligendum putat Clerus Montis Alti de Decano , qui vernaculo idiomate , ibi appellatur *lo Dieno* . In Instrumento pariter celebrato die 25, Aprilis 1456. Testis adfuit Fuldentius de Principe *Cantor Montis Alti* ; & in altero Instrumento stipulato die 17. Februarij 1501. interfuit Joannes Cesare *Cantor Majoris Ecclesiæ Montis Alti* . Duæ pariter afferuntur Sententiæ Curiæ Archiepiscopalis , una publicata anno 1593. , qua unitur Ecclesia Parochialis S. Angeli Montis Altj *cum Dignitate Thesaurariatus ejusdem Civitatis, quæ curam habet animarum annexam* : & alterata lata est anno 1610., qua primum enunciatur Collegialitas Ecclesiæ Montis Altis cum quatuor Dignitatibus Curatis , quarum primum locum obtinere decernitur Decanatum , secundum Archidiaconatum, ter-

tertium Cantoratum, quartum vero Thesaurariatum. Exhibentur quoque Literæ Apostolicæ provisionis Decanatus tamquam primæ, & principalis dignitatis, cum adnexa Cura animarum per turnum exercenda a Decano, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Montis Alti. Dignitates, & Cappellani hujus Ecclesiæ Collegiatæ enunciantur in quodam publico actu celebrato coram Visitatore Apostolico anno 1628.; Et Monitorium coram A.C. expeditum fuit a Dignitatibus d. Ecclesiæ Collegiatæ anno 1642. contra Capitulum Terræ Rublani super jure præcedendi in functionibus Ecclesiasticis, absque eo quod litis exitus innotescat: Atque anno 1646. per Literas Apostolicas imposita fuit pensio super Archidiaconatu Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ della Serra Oppidi Montis Alti, cum enunciativa, quod principalis forsan esset dignitas cum Cura animarum; rursusque anno 1725. Literæ Apostolicæ provisionis cujusdam Beneficij directæ fuerunt pro exequutione Archidiacono Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi de Montalto. His autem antiquis enunciativis motus Archiepiscopus concludit in sua relatione -- *Proindeque Supplicantium precibus indulgeri posse autumarem, ut Ecclesia ipsa sequioribus temporibus vera, & propria Insignis Collegiata fuerit, & sit, & reputari debeat.*

Ex longæva autem possessione, & antiquis enunciativis probari Collegialitatem, etiamsi deficiat documentum erectionis, firmavit *Rot. dec.* 1229. *n.* 17. *tom.* 5. *cor. Molines*, & *dec.* 469. *n.* 6. *par.* 19. *tom.* 2. *Recent.*; & Collegiatam constitui etiam a solis Dignitatibus tradit *Card. de Luca de Canon.*, & *Capit. disc.* 19. *num.* 4.; Cumque agatur de Collegio adnexam habente Curam animarum, in Dignitatum provisione non requiri concursum, prætenditur, ad firmata per *Card. de Luca de jurepatr. disc.* 7. *n.* 15., qualitas vero insignis Collegiatæ desumitur ex prærogativis, quibus decoratur, & ex nobilitate Oppidi, in quo sita est, ut alias Decisum fuisse ab hac Sacra Congreg. refert *Corrad. prax. benef. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 23.

Pertinet autem ad EE. VV. definire.

I. An constet de antiqua Cathedralitate Majoris Ecclesiæ Civitatis Montis Alti, ejusque Cathedræ suppressione, ac Sedi Consentinæ unione?

II. An in ipsa Ecclesia, post d. suppressionem, & respective unionem, remanserit Collegium cum quatuor dignitatibus, easque fuisse, & esse vere, & proprie Dignitates, cum perpetua animarum Cura?

III. *An Decanatus uti prima ; & principalis dignitas in Collegiata, reservata sit Collationi, & dispositioni Apostolicæ : Ceteræ autem tres dignitates conferendæ sint prævio examinæ, & absque concursu .*

VI. *An Ecclesia ipsa, attentis qualitatibus, quibus decoratur fuerit, & sit Insignis ac perpetuo dicanda, & insuibenda sit titulo Collegiatæ Insignis, in casu &c.*

F I N I S.

INDEX

CONCLUSIONUM OMNIUM, AC RESOLUTIONUM,

Quæ in singulis Causis in Sacr. Concilii Congregatione Anno 1760. propositis fuerunt adnotatæ.

A

B

C

In

Illam-

Illamque controverti nequit ab altero præsentato sub conditione quatenus primus non obtinuisset dispensationem. *Ibidem per tot.*

In hac etiam sententia fuit Sacrum Tribunal supplicationemque signandam esse rescripsit, in *Parmen. Dispensationis p.90. cum seq.*

Dispensatio ætatis non est concedenda clerico inhabili, & incapaci in prajudicium clerici habilis de genere vocatorum. *p.62. §. Preces*,

Secus si ageretur de dispensatione favore filii Patroni passive vocati a Fundatoribus *p.61. §. Sed his*.

Quo casu etiam cum puero quadrimo dispensatum fuit. *Ibid.*

Amplia si fundatores nullam præscripserunt qualitatem Clericatus, & legitimæ ætatis, sed utpote a jure requisita pro idoneitate instituendi verificari sufficit de tempore institutionis. *p.61. §. Et spernendas*.

Unde, nec acquiritur tertio jus donec supersit spes obtinendæ dispensationis, nec tertius legitimus erit contradictor ad impediendam dispensationem *p.61. cum seq. §. Spernendas circa med.*

Dispensatio super defectu ætatis petita a filio Patroni, quamvis ad sit legitimus contradictor passive vocatus in casu deficientiæ clerici habilis de linea Patronorum, concedenda est. *p.190. §. Territus.*

Et sic sentiit S. Tribunal, in *Neritonen. Abbatiæ p.190.*

Dispensatio, & absolutio ab irregularitate contracta ex præsumpta, & non plene probata simonia conceditur ad cauthelam, in *Calaguritana Absolutionis, & Dispensationis p.37.*

Dispensatio a servitio Chori petita a Canonico post adauctam sui morbi inclementiam concedi debet. *pag.201. §. Et Sacerdos*.

Ad quam obtinendam, non requiritur gravis infirmitas, quæ omnino impediat accessum ad Chorum, sed sufficit levis morbus, cujus augumentum timeri possit. *Ibid.*

Fortius, quia in simili casu dispensatus fuit Canonicus, qui vertigine abripiebatur. *Ibid.*

Et ita definivit favore Canonici oratoris, in *Piscen. Indulti p.201. & seqq.*

Distributiones dandæ sunt inservientibus Choro, Divinisque Officiis. *p.92. §. Ferentina*.

Nec assistentia in organis æquipoliet servitio Ecclesiæ, ad effectum lucrandi distributiones, nisi fiat sine stipendio. *Ibid.*

Neque ex Canonicorum tolerantia, vel expresso consensu valida fieri potest consuetudo percipiendi distributiones in absentia. *p.92. §. Nihilque*.

Imo nedum quotidianis distributionibus privandus est Canonicus pro horis absentiæ, quas facile dimitteret pro lucrando majori stipendio organistæ, sed quatenus in contumacia persistat coercendus est aliis pœnis pecuniariis arbitrio Ordinarii. *p.92. cum seq. §. Imo*.

Quod procedit etiam pro discedentibus a Choro tempore Divinorum Officiorum causa celebrandi Missam. *Ibid.*

Et unus Canonicorum cæteris negligentibus valet jura Capituli promovere. *Ibid.*

Et in precisis terminis rescripsit Sacra Congregatio, *in Ferentina, p.92. cum seq. ad Dub.*

Dos dotale subsidium, vide *Pauperum filiæ*.

E

Ecclesia restaurari debet cum pompa ad excitandam, & favendam Populi fidem. *p.158. §. Alia vero*.

Et ita definivit Sac. Congregatio, in *Lisbonen. p.156. cum seq.*

Ecclesiam de novo ædificare sine consensu Ordinarii vetitum est, non autem restaurare Ecclesiam jam existentem, cujus reparatio haud vetanda sed præcipienda est ab Episcopo. *p.26. §. Nec indirecte*.

Quod confirmatur a Sacr. Congreg. in *Civitatis Plebis, p.47. cum seq.*

Ubi permisit Confraternitatis Mortis Montis Juveni, ut posset reparare Ecclesiam ex fructibus super extantibus, & non necessariis pro implemenro operum piorum, ac prævia approbationes donationis Ecclesiæ & salvis juribus Parrochialibus.

Episcopi habent jus Congregationes sodaliũ, & officiales in illis deputandi vel per se, vel per suum deputatum, nequeunt tamen prohibere quin prævia ipsius, vel Deputati certio ratione habeantur Congregationes vel Officiales eligantur sine suo, suique Deputati interventu. *p.26. §. Ad jus, & in Civitatis Plebis. p.47. cum seq. ad III. Dub.*

Aliter

& Officiales Curiæ, *Ibidem*.

Quod Ecclesia consecrata fuit ab extero Episcopo de licentia solius Vicarii Bajulivatus. *Ibid.*

Et ipse Vicarius erexit, & contulit beneficia, Ecclesias visitavit, quæ præbent argumentum Territorii separati quia minime licuisset Prælatis inferioribus secundæ speciei. *Ibid.*

Et exercuerit alios actus jurisdictionales, in quibus consistit principaliter jurisdictio Episcopalis. *p.*135. §. *Docet*.

Visitationes in locis Nullius fieri debent ab Episcopo viciniori. *Ibid.*

Episcopi in eorum ingressu solebant exigere a personis Ecclesiasticis quoddam donativum quæ consuetudo per Sacrum Concilium Tridentinum sublata est. *p.*29. §. *Alias*.

Quod tamen donativum uti non voluntarium sed potius charitativum, in levamen scilicet expensarum factarum occasione promotionis solebat concedi Episcopis in prima Synodo Diœcesana; & quandoque attenta consuetudine loci Sacra Congregatio deberi respondit. *p.*24. §. *Ceterum &* §. *adducit, & in Gerunden. Charitavi subsidii*, *pag.*51. Permittitur etiam ex Taxa Innocentiana ubi talis vigeat consuetudo, *p.* 24. *cum seq.* §. *Adducit circa med.*

Et prædicta Taxa Innocentiana afficit tantum Curias Ecclesiasticas Italiæ. *Ibid.*

Et hoc casu ratio habenda est non relative ad solam taxam conciliarem, sed magis relative ad circumstantias loci & temporis petiti subsidii, *p.* 25. §. *De Insufficientia*.

Episcopo spectat electio Deputati qui non est Officialis Monasterii sed potius Ordinarii subdelegatus ad custodiendam clausuram, licet curam gerat honorariam & consultoriam in rebus temporalibus Monasteriii, *p.*88. §. *Viterbien*;

Episcopo datum est onus incumbendi rectæ administrationi Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum. *Ibid.*

Et utramque facultatem potest Episcopus subdelegare. *Ibid.*

Neque ex urbana Episcopi propensiono in eligendis personis Monialibus benevisis contrariandum est jus prælectionis. *p.*89. §. *Nec immemorabilem*.

Quæ omnia confirmata fuerunt, in *Viterbien. jurisdictionis & electionis*, *pag.*90.

Et quoad exemptionem Monialium a Episcopi jurisdictione require *Moniales*.

Episcopo ægrotanti ministranda sunt Sacramenta Sanctissimæ Eucharistiæ & extremæ unctionis non a Paroco intra cujus Parochiæ limites existit Palatium Episcopale, sed a prima Capituli Dignitate, sive id fiat solemniter sive private. *p.*95. §. *Contendit*.

Sacra autem Congregatio jussit servari Cæremoniale, in *Faventina Præeminentiarum & Funerum. pag.* 93. *ad VIII. Dub.*

Episcopi examine & approbatione indigent quicumque ad exercitium curæ animarum præficiendi sunt etiam in Parochiis Regularibus pleno jure subjectis. *p.* 89. §. *Curia*.

Semel tamen approbatus ad curam Animarum certæ & determinatæ Parochialis non tenetur iterum se examini subiicere pro eademmet cura, *pag.* 84. §. *Nec putat*.

Erigere Erectio Ecclesiæ, vide *Parochus*.

Examinatores in concursu male retulisse dicitur ob defectum epitomes requisitorum, a singulis concurrentibus exhibitorum cujus confectio ad instructionem examinatorum præcipitur, *p.* 35. §. *Examinatores*.

Male retulisse dicitur si de omnibus sententiam non aperuerunt, sed approbarunt dumtaxat, & declararunt primo loco idoneum *quoad scientiam, ætatem, & mores*. Secundo loco *quoad scientiam, & mores*; cum attenta conciliari sanctione examinatores esse non debeant Judices solius doctrinæ, sed inquirere teneantur etiam de omnibus aliis qualitatibus a Concilio recensitis. *Ibid.*

Approbatus vero *quoad scientiam*, *ætatem & mores* uti dignior omnibus est præferendus, *p.* 35. §. *Et demum*.

Nec illi obesse poterit, vel diffamatio contra illum apposita in actis concursus, de qua ratio habenda non est, vel sententia Curiæ Episcopalis qua rejecta fuit præsentatio ejusdem ad quoddam beneficium utpote simoniaca labe fœdata. *Ibid.*

Nam pro inferenda infamia juris in personam provisi, eique impingenda nota irregularitatis, & inhabilitatis non sat est sententia declaratoria simoniacæ præsentationis, sed requiritur sententia declarans reum simoniæ ipsum provisum. *Ibid.*

 Ma-

H

I

nem


Cap-

Quæ

So.

Eccle-

F I N I S.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 06 009 9